6
29-e

D. 110

L 20. e-3

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Assistentia Germaniæ
S. J.

PETRI MAMBRVNI

SOC. IESV

OPERA POETICA

Accessit

Dissertatio de Epico Carmine.



FIXAE ANDECAVORVM,
Ex Officinâ GERVASII LABOE,
M. DC. LXI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD ILLVSTRISSIMVM,
NOBILISSIMVMQVE VIRVM
HENRICVM LVDOVICVM
HABERTIVM
MOMMORIVM,
REGI A CONSILIIS SANCTIORIBVS,
ET SVPPLICVM LIBELLORVM MAGISTRVM,&c.

DE TRIBVS POEMATIBVS CAVSÆ DICTIO.

ET

Totius hujus Operis consecratio.

IVRE quidem meo (Vir Illustrissime) *ab instituto, atque consuetudine eorum, qui hac ætate nostrâ, viris primariis lucubrationes suas nuncupare solent, visus sum mihi tum discedere: cùm huic Operi epistolam præmittere nolui; quæ à reliquo corpore disjuncta, defungeretur eo munere; & uni tuæ, & tuorum laudi tota serviret. Neque enim ego tantùm ad id officij sum adductus, nominis tui atque familiæ amplitudine, aut etiam singulari humanitate atque beneficentiâ; quibus plerosque omnes viros doctos in familiaritatem tuam, aut clientelam adducis facilè: sed etiam, & quidem multò magis, quia in actione hac meâ atque defensione, Te, & mecum actorem, & causæ meæ patronum nactus sim acerrimum. Præterea mihi injecta est religio, ne tuam, & præstantissimorum hominum, quos tibi, aut sanguine, aut affinitate conjunctos, in laude tuâ præterire nefas erat, gloriam atque decus, styli & ingenij culpâ*

Digitized by Google

deterere potiùs viderer, quàm ornare. Etenim mihi tantùm licere non puto, ut Avunculi tui Budæi laudes æquare velim dicendo: quem ætas ſuperior, tanquam novum in re literariâ ſidus ſuſpexerit, & noſtra in rebus difficilimis ducem atque principem ſequatur. Quid de patruo Cadurcenſi Antiſtite Petro Habertio pro dignitate ſatis dici poteſt, qui Regi & Aulæ fuit in deliciis, quem Gallicani Pontifices in ſuum ordinem cooptatum ſummâ ſuâ gratulatione proſequuti ſunt, quem Lutetia Oratorem Chryſoſtomis, & Gregoriis ſupparem audivit, atque demirata eſt. De Germano Habertio fratre tuo Abbate Ceriſienſi Muſæ noſtræ ſibi gratulantur, cujus Poëmata Italorum retudère faſtum, & externam quorundam hominum fregère audaciam. Metamorphoſim oculorum Phillidis, Ovidianis omnibus meritò poſſim ego præferre: de Templo verò Mortis ſtatuerunt viri non invenuſti, adeò illud vel Morti placuiſſe, ut Poëtam ante diem ipſa ſuſtulerit, ne eſſet, qui deinde Vitæ Templum excitaret. Quamvis id poëticè dictum placere poſſit, ſanctius tamen aliquid velim aſſerere; nihil eſſe in antiquis auctoribus, quod illis Poëmatibus anteferri queat. Tacco nunc quidem temporis patrem tuum Virum clariſſimum, & avos, quorum prudentiâ ſingulari & morum ſanctitate factum eſt, ut Te omni virtutum genere cultiſſimum haberemus, & ætas noſtra, priorum temporum eruditioni atque felicitati non invideret. Ampliſſimæ verò familiæ gloria, ſuis veluti terminis, atque limitibus contineri non potuit: ad clariſſimas quoque pertinet, eásque & eruditionis, & ſapientiæ, atque etiam armorum claritate longè nobiliſſimas. Nullam non modò Gallicani orbis, ſed ne Europæ quidem totius provinciam, Sanluciorum, Eſtræorum, & Frontenacorum fortitudo bellica, & ingenij præſtantia pervagata non eſt. Eos tibi, Vir Illuſtriſſime, ſic conjunxiſti, & demeritus es, ut in nepotibus tuis, trium familiarum, in quibus Mareſchalli non uni floruère, ſpem omnem, & felices veluti ſurculos facilè numeremus.

Atque hæc, cùm magna ſint & eximia, quæque alios, & me tibi faciant eſſe deditiſſimos: aliud tamen nunc temporis ſpectavi, quod noſtrâ in palæſtrâ primum eſt. Tu, inchoatum hoc Opus ut perficerem, auctor fuiſti: Tu, eam Poëmatis noſtri partem, quæ petebatur, tutatus es, corroboraſti, & contra omnes impetus munitam dediſti. Tu de Virgilio, & Torquato quæſtionem, quam habuimus, haberi voluiſti, & ad locos aſperos, hiulcos, ἀλόγους, manum atque digitos primus intendiſti. Præterea cultus ille, quo Chriſtianum hominem ornatum volui, à te atque moribus tuis in

Opus

CAVSÆ DICTIO.

Opus meum tractum eſt, ut eſſet emendatiſſimæ formæ exemplar, in quod intenta poſteritas, ſe ſuamque vitam ſanctè componeret. Nam cùm ſapientis vitam his virtutibus definiri certum ſit, prudentiâ imprimis, tum juſtitiâ, & temperantiâ, atque fortitudine: non potui ego ab alio Viro ſapientiùs exempla petere, quàm ab eo, qui toti Galliæ, atque adeo omnibus ordinibus, merito ſuo, atque earum virtutum gratiâ ſit venerationi. Quamobrem quod tui juris erat & poteſtatis ſubducere, neque æquum fuit, neque integrum. Ea igitur, quæ inter nos aliquando diſputata ſunt, recognoſce mecum, & in publicum exire pro tuâ humanitate ſinito.

Cùm Epicum Poëma ſcribere viri docti rem eſſe omnium longè difficillimam putent; tùm id magis ſentiunt illi, qui ad ejuſmodi litterarum genus mentem aliquando atque animum convertêre. De variis ac multiplicibus difficultatis illius cauſis à me quidem diſputatum eſt abundè in eâ Diſſertatione, quam de Epico Carmine ante aliquot annos edidi, quæque ad calcem hujus operis addita eſt; & firmis id pro meâ diligentiâ rationibus confirmatum: nunc verò ab experientiâ, quæ diſciplinarum & artium omnium parens eſt, & alumna, id conabor oſtendere. Periculum itaque faciam in duobus Poëmatibus, Æneide Virgilij, & Torquati Gierusa-lemme liberata: *neque id tamen faciam eâ causâ, quòd de illorum dignitate aliquid detractum velim: ſed ut intelligant omnes, quàm difficile ſit tanto in opere non peccare, cùm viri omnium judicio præſtantiſſimi in eâ re, quæ caput erat totius operis, tam graviter hallucinati fuerint: & ut noſtris peccatis minùs iraſcantur, qui cum Principibus illis neque ingenio, neque eruditione, neque otio ſumus comparandi.*

Quanquam jam hinc proſpicio, quàm magnum calumniæ dem locum: querentur quippe viri amici, & qui amici non ſunt, Principes Poëtarum, Virgilium, & Torquatum, indignis haberi modis; & me impietatis quodammodò reum dicent, cùm in eos, à quibus profecerim, gravius aliquid dicere non reformidem. Enimverò mirari mihi ſæpè contigit, quî fiat ut in re Theologicâ atque Philoſophicâ, in Mathematicis diſciplinis omnibus, ſine injuriâ cujuſquam & offenſione, ab aliis Auctoribus non modò liceat diſcedere; ſed etiam eorum opiniones refellere, contrarias inducere, tutari, & pro illis tanquam pro aris atque focis dimicare: in re verò Poëticâ id ſi conatus fueris, ſtatim majeſtatis accuſeris, & omnium maledictis pateas. An quia Poëtæ ſancti ſunt, non Philoſophi, non Theologi? At iſtis res ſacræ & publicæ committuntur; illis nulla pars

Reipublicæ

Digitized by Google

Reipublicæ demandatur. An res ipſæ, quæ Poëſi ſerviunt, & ſubjectæ ſunt, graviores quoque ſunt, & religioſæ magis? At de majeſtate Dei, de ſanctiſſimâ Trinitate, de Incarnatione Verbi, déque aliis rebus & dignitate maximis, & Religione ſanctiſſimis Theologia diſputat: de totâ naturâ, déque Reipublicæ totius adminiſtratione quærit Philoſophia. Et verò ita de quæſtionibus illis graviſſimis Thomiſtæ cum Scotiſtis, Formales cum Realiſtis, & omnes cum Nominalibus viciſſim diſputant, ut uniuſcujuſque dignitati cautum ſit, & unicuique fiat poteſtas cum laude & plauſu ab aliis diſceſſionem facere, eorum opiniones convellere, atque illam, quæ magis arriſerit, ſententiam arctiſſimè complecti. Quæ cùm ita ſint, non video cur nobis grande ſit piaculum, ſi fabulæ, fabulæ inquam, hoc eſt, rei fictitiæ conſtitutionem minùs feliciter ſuſceptam eſſe, modeſtè (neque enim iſtos Auctores, aut etiam alios, duriùs unquam appellavero) audeam dicere: aut ſi Æneæ cum Turno duellum minùs peritè commiſſum eſſe certis rationibus apertè demonſtrem. Quod quàm non inimico à me fiat animo, ſatis indicare mihi videor, cùm è multis rebus, quas in utroque Auctore poſſem reprehendere, unam delegi, quam excuterem molliſſimè, ut non Actoris, ſed Rei penè atque defenſoris partes ſuſtineam. Ex bene amicis itaque nonnulli diligenter & ſanctè me admonent, videam etiam atque etiam quid agam: neque noſtris temporibus, neque ſequentibus, defuturos viros doctos, qui utriuſque Poëmatis defenſionem ſuſcipiant, & ex Talionis lege in Conſtantinum inquirant accuratiſſimè. Ego verò, uti par eſt, illis gratias habeo maximas, quibus res meas utcunque curæ eſſe intelligo: neque tamen à propoſito mihi abeundum eſſe ſentio: cùm neque Virgilio, neque Taſſo, quos ego quàm honeſtiſſimos eſſe volo, infenſus hæc ſcripſerim: neque eo animo Poëma ſim exorſus, ut illud ab omni cenſurâ eximium eſſe velim. Vni veritati, & rei litterariæ ſtudium omne meum & operam dedi ſic, ut nemini libertatem opinandi, ſentiendi, ſcribendi, & ſi placet, etiam declamandi, optaverim eſſe præreptam.

ÆNEIS VIRGILIANA.

Actio Æneïdos Virgilianæ omnium quidem judicio, atque imprimis meo, ad Epicum Poëma judicatur aptiſſima: ea tamen, quæ per ſe magnifica fuit, modo & ratione tractandi vitioſâ, ſic corrupta mihi videtur eſſe, ut dignitatem illam ſuam amiſerit; & Heroï, cujus gloriæ ſervicbat, ſit dedecori atque vituperio. Actionis

Digitized by Google

nis illius hic eſt contextus, & compoſitio. Poſtquam cognovit Turnus Latinos animis deſeciſſe, & ſe omnium oculis ad ſingulare certamen vocari.

Tum ſic affatur Regem, atque ita turbidus infit:
Nulla mora in Turno, nihil eſt quod dicta retractent
Ignavi Æneadæ, nec quæ pepigêre recuſent.
Congredior, fer ſacra pater, & concipe fœdus.
Aut hâc Dardanium dextrâ ſub Tartara mittam
Deſertorem Aſiæ, ſedeant, ſpecténtque Latini,
Et ſolus ferro crimen commune refellam.
Aut habeat victos, cedat Lavinia conjux.

Deinde.

Longè illi Dea mater erit, quæ nube fugacem
Fœmineâ tegat, & vanis ſeſe occulat umbris.

Tùm.

Nuncius hæc Idmon Phrygio mea dicta Tyranno
Haud placitura refer. Cùm primùm craſtina cœlo
Puniceis invecta rotis aurora rubebit:
Non Teucros agat in Rutulos, Teucrûm arma quieſcant
Et Rutulûm: noſtro dirimatur ſanguine bellum:
Illo quæratur conjux Lavinia campo.

Enimverò magnificè, & ut Heroëm decuit. Sequenti die Reges ad certaminis & pacis conditiones ſeriendas cum copiis in campum procedunt. Latinus & Æneas ante aras jurant juramentum ſanctiſſimum. Accedit & Turnus juraturus, heu! quàm non ferox ille & jactabundus. En homini muto ſtupent oculi, tabent genæ, vultus pallet: uno verbo ita concidit corpore & animo, ut commiſerationem moveat. Non cohærent iſta, neque decent virum, qui cum Æneâ Heroë fortiſſimo componatur. In hæc verba loquitur Poëta:

Inceſſu tacito progreſſus, & aram
Suppliciter venerans demiſſo lumine Turnus,
Tabentésque genæ, & juvenili in corpore pallor.

Quod intuentes Latini,

Turni ſortem miſerantur iniquam.

Atque hoc primum eſt peccatum in texendâ & componendâ actione, idque non leve. Nam etſi gloriæ Turni non ſtudebat Maro, tamen Heroïs ſui Æneæ laudi & ornamento debuit cavere, cui parum prudenter quæritur adverſarius tam exigui, imò tam nullius animi.

Singulari

Singulari illo certamine ſoluto pugnatur infeliciter à Latinis, & Turnus iterum congredi cogitur: qui præceps animi, enſem aurigæ Metiſci pro ſuo rapit. Hic error in re tantâ gravis quidem eſt, ſed is tamen, qui in juvenem animo turbatum poſſit cadere: vitari nihilominus debuit à Poëtâ, non Turni fortaſſe, ſed Æneæ causâ, cui objicit non jam meticuloſum juvenem tantùm, ſed inermem, ſed nudum: cùm interea Æneas munitus ſit armis à Vulcano, & totâ gente Cyclopum elaboratis, quæ frangi, perforari, aut vinci nullis queant viribus. Certatur itaque armis imparibus: quare

Perfidus enſis
Frangitur, in medióque ardentem deſerit ictu.

Neque mirum; nam quî reſiſteret mucro mortalis in clypeum immortalem impactus?

Poſtquam arma Dei ad Vulcania ventum eſt,
Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Diſſiluit, fulvâ reſplendent fragmina arenâ.

Veſtram fidem?

Mutentur clypei, Æneæque inſignia Turnus
Induit.

Vter victor? Non viro, ſed armis ea victoria debetur: neque virtuti Heroïs, ſed arti Cyclopum accepta referri debet. Enimverò fortitudinis erat Heroïcæ, Æneam levi tectum armaturâ, de hoſte etiam cataphracto triumphare.

Fracto enſe, quid Turnus? Fugit perditè. Quid Æneas? Perſequitur obſtinatiſſimè: neuter Heroïcè. At quid faceret inermis Turnus? aut quid ſtuperet victor Æneas? nihil quod dignitatem ſuam dedeceret. Erat Virgilio ratio pugnæ ineunda, quæ neutri daretur vitio. Certè noſtrates ut fugam ignaviæ, ita perſequutionem illam contumacem crudelitatis damnare ſolent.

Turnus itaque magnâ animi & vocis contentione

Rutulos ſimul increpat omnes
Nomine quemque vocans, notúmque efflagitat enſem:
Æneas mortem contra, præsénsque minatur
Exitium, ſi quiſquam adeat.

Vterque meticuloſè, turpiùs tamen Æneas, qui pugnare cum armato detrectet, atque victoriam amet non virtute, ſed caſu partam.

Tandem enſis Turno, & Æneæ jaculum miniſterio Dearum redduntur, & hic arma ſunt imparia, & Æneæ quidem potiora,

cui

cui præter enſem, etiam haſtile conceditur. Scilicet ejus inertiâ contra Turni fortitudinem cavetur.

Ergo

Olli ſublimes armis, animisque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer & arduus haſtâ,
Adſiſtunt contra certamine martis anheli.

Quis noſtrûm non expectet à Turno Heroïcum facinus, qui jam manu vibret enſem, tanto petitum ambitu, & tanto datum. *Expectate quam maximum, vincet veſtram expectationem.*

Saxum circumſpicit ingens,
Saxum antiquum ingens, campo qui fortè jacebat
Limes agro poſitus, litem ut diſcerneret arvis.
Vix illud lecti bis ſex cervice ſubirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Quid hoc rei? nempe enſe neglecto, quo nuſquam deinceps uſus eſt, ut fruſtra illum expetierit, ſaxum rapit. Hîc artem Poëtæ mirari licet. Nam ſaxi illius laudes omnes accuratè proſequitur: rem quippe magni momenti præterire nefas fuit. Saxum illud bis ſaxum, bis ingens dicitur, & commendatur ab antiquitate, & ab officio, qui limes agro poſitus lites dirimeret, & tanti ponderis, ut robuſtiſſimi duodecim viri non modò illum non humo tollere, ſed ne impoſitum quidem ſuis humeris ſuſtinere poſſent. Memini Æneam ipſum eundem in Iliade ſaxum quoque torquere, & magnum illud, ſed quod tamen duo homines ferre quirent. Quantò Turnus Æneâ fortior?

At metuebat ſibi à jaculo Turnus. Audio; cominus non potuit enſe pugnare, voluit eminus ſaxo peterę. Itáne verò non potuit juvenis pedum velocitate, & juventute fretus tarditatem vulnerati Æneæ vitare? Vbi nobis Mezentiani illi gyri exteriores & interiores? Quantò majus ſpatium temporis, & ampliorem anſam & locum dedit vulneri, cùm ſaxum illud ingens, immenſum, infoſſum terræ, quod ipſe jam ſublatum torquere non poteſt, totis nitens viribus ægrè revellit.

Ad controverſiæ caput, & cujus gratiâ hæc à me inſtituta eſt diſputatio, progrediatur oratio.

Sanctè cavet Ariſtoteles machinæ locum in ſolutione actionis nullum eſſe, & meo quidem judicio ſapienter. Nam actionis laus omnis atque dignitas, admotâ machinâ, penitus contabeſcit. Æneas cum Turno ſingulari certamine congreditur vir cum viro, Imperator cum Imperatore, aut ſi placet Heros cum Heroë: Nunc appello

ego non jam ſapientum judicia illa perpolita, ſed hominis non ineptè ſenſus interrogo. Nunquid ſatis prudentiæ, fortitudinis atque animi magnitudinis eſſe debeat in Æneâ, quem laudatum vult Poëta, ut cum uno Turno queat decertare? Ne Hercules quidem, ut ferunt, contra duos, quantò minùs Turnus contra Iovem & Æneam.

Nunc actionis Maronianæ ſolutionem ſpectare licet.

Stabant Æneas & Turnus in arenâ, cùm Iupiter de cælo unam è Diris illis exitialibus, quas Furiæ pepererunt, cum imperio dimittit: ſed qualem? non quæ unum aliquem hominem, ſed quæ, ut docet Maro,

Totas territat urbes.

Illa igitur è cælo delapſa

Turni ſe peſtis ad ora
Fértque refertque ſonans, clypeúmque everberat alis.

Ergo juveni

Membra novus ſolvit formidine torpor,
Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæſit.

Quamobrem rectè inſultanti Æneæ reſpondet.

Non me tua fervida terrent
Dicta ferox, Dij me terrent, & Iupiter hoſtis.

Addit Poëta.

Neque *Turnus* currentem ſe, nec cognoſcit euntem;
Tollentémque manu ſaxúmque immane moventem:
Genua labant, gelidus concrevit frigore ſanguis.

Turnum itaque metu ſolutum, torpentem, horrentem, mente confuſum atque perditum, lapſantem in genua, uno verbo à Iove victum Æneas, Heros ſcilicet fortiſſimus, necat.

HIEROSOLYMA TORQVATI.

Quid Torquato faciemus noſtro, cujus causâ nos multùm volumus, quem tota Italorum natio miris effert laudibus, cui hæc noſtra ætas omnis ſtudet? Quid ſi cum Ariſtotele in re ſimili ſimile aliquid ſapimus, amicus magni fieri debet, pluris etiam veritas, dent arbitros, qui ſecus exiſtimant; eorum judicio rem credimus. Sic itaque rem mecum puto. Quidquid in Hieroſolymâ Torquati arduum eſt, quidquid magnum & illuſtre, id Reginaldo, id Tancredo indulgetur. Hoſtium Principes ſunt Aladinus, Argantus, Solymanus, Chlorinda, Adraſtus, Thyſſapernus, Emyrenus. Argantum & Chlorindam Tancredus perimit:

hanc

hanc quidem Cantu XII. tanto apparatu, tantâ affectuum vi atque varietate, ut illo in loco Poëta ſe deamaſſe facilè intelligi poſſit: Argantum verò interficit Cantu XIX. cui primæ fortitudinis partes toto illo Poëmate conceduntur. Adraſtum, qui fortiſſimos inter recenſetur, tùm Thyſſaphernum Armidæ defenſorem, & Solymanum illum partium inimicarum veluti Hectorem Cantu ultimo Reginaldus interficit choragio verborum, ſententiarum, comparationum ſuperbiſſimo: ut nemo ſit, qui hæc legerit, idem qui non intelligat victoriam in illorum nece conſiſtere. Supererat Aladinus Hieroſolymorum Rex; palmam illam invidit Heroï ſuo Godofredo, & eam Remundo conceſſit. Tandem Torquatum haud dubiè puduit ſui judicij, atque illud contempſit. Nam ſub finem libri ultimi, ne nihil egiſſe videretur Godofredus, Emyrenum illi maſtandum objicit frigidè, obſcurè, & paucis omninò verſibus; ut vel invitus, & ingratiis id conceſſiſſe videatur. Atque ut aliquid ex eâ gloriolâ decerperet; illum ab hoſte certo vulnus accepiſſe canit: & quod turpius eſt, Cantu IX. à Chlorindâ vulnerari: quæ duo ſunt præter morem ſummorum Poëtarum. Scilicet dum nationi & Mecænati ſuo plus æquo ſtudet, non animadvertit Poëmati ſuo ſe injuriam facere.

Verùm enimverò illud mihi pluris eſt, quo uno cauſæ totius caput continetur. Primùm ſpectatur in Poëmate Epico actio Heroïs, utpote quæ ſit argumentum Epopœiæ. Quid igitur invenuſtum magis, quàm ejus actionis, quæ tota Heroï conſecrata eſt, laudes, alterius cujuſdam hominis virtuti odiosè adſcribere? In Homero Divinum aliquid ſuſpexit Philoſophus, & omnium temporum literati omnes, præter paucos Philoſophiæ ignaros, qui ex ſordibus Grammaticæ caput non extulerunt. At cùm in aliis laude dignus ſit tantus Poëta, tum in actione ornandâ, hoc eſt, in fabulâ fuit eximius. Iliadis hic eſt nodus, atque ea ſolutio. Homero conſilium fuit Achillis fortitudinem laude aliquâ ſingulari efferre. Quò itaque eum non Trojanis tantùm, quæ laus futura erat magna, ſed etiam Græcis anteponeret, quæ gloria erat cumulatiſſima: finxit illum juſtis de cauſis à bello ſibi ad tempus abſtinere; tum amicorum precibus placatum, iterum arma induiſſe. Quo is tempore à prælio manus continet, cæduntur Græci, triumphant Trojani, de ſolvendâ obſidione conſilia habentur, afflictæ & deſperatæ jacent res Græcorum: poſtquam iterum in certamen atque prælium rediit, inclinata Græcorum fortuna erigitur, affligitur exultans illa Trojanorum gloria. Ecquid dici poteſt Heroï ornando magis ac-

commodatum, quàm ſi utrique parti, non inimicæ tantùm, quod ab aliis Poëtis factitatum legimus, ſed etiam amicæ, quod à nemine tantâ cum gloriâ uſurpatum eſt, is præferatur: ut ab eo uno utriuſque partis ſalus atque cædes, gloria atque dedecus, nec non victoria pendere videatur? Hoc Alexandro Macedoni lacrymas extorſit. Hoc Græci omnes, & Latinorum peritiſſimi admiratione proſequuti ſunt. Nunc Taſſi factum cum Homerico committamus. Actio Poëmatis Taſſiani eſt Hieroſolymæ receptio. At non Godofredi, non totius exercitûs viribus ſine Reginaldo recipi potuit. Reginaldo abſente de obſidione ſolvendâ, de reditu in Gallias deliberatur; nedum civitas capi poteſt. Vt rediit, inſtaurantur omnia, commeatus exercitui, animus militi, victoria Imperatori acceſſit, urbs ipſa capta eſt. Quid tam alienum ab Homerico Poëmate? quid tam diſpar? quid tam à ratione ſejunctum? Gloriam ſummam, ſolidam, atque unicam Heroï ſuo præripere, & ad alterum deferre, à ratione alienum eſt. Torquatum ipſum audiamus Cantu XIII. Silva fuerat ab inſigni Mago diris religionibus conſecrata: in eâ lignatio fieri nulla potuit, & debuit tamen: nam ejus opus erat ad machinas, quibus civitatis obſeſſæ muri & turres verberarentur. Multi nequidquam ſuæ virtutis periculum fecerant, qui cantatæ illius ſilvæ difficultates perrumperent, etiam Tancredus animi præſentiſſimus: exercitum habebat ea cura: Godofredus ipſe per ſeſe id diſcriminis ſubire meditabatur. En illum his verbis deterret Propheta Petrus, homo divini particeps conſilij, atque adeò falſi minimè patiens.

Laſcia il penſiero audace, altri conviene
Che de le piante ſue la ſelva ſpolie.
Già, già la fatal nave à l'erme arene
La prora accoſta, & l'auree vele accoglie
Già rotte l'indegniſſime catene
L'aſpettato guerrier dal l'ido ſcioglie.
Non è lontana homai l'hora preſcritta
Che ſia preſa Sion, l'hoſte ſconfitta.

Audis rem eſſe arduam magis, quàm ut Godofredo conveniat, quaſi ſit aliquid ſupra vires Heroïs ipſius? Audis fata Reginaldo id concedere, & ipſo reduce fore, ut Sion capiatur, & debelletur hoſtis? Iterum in cælo, ne dubio ſit locus, monet Hugo Godofredum, civitatem capi non poſſe, imò exercitum deletum iri, niſi adſit Reginaldus. Ita Cantu XIV.

Sol che richiami dal lontal eſſiglio

Il figlivol di Bertholdo, io ti consiglio.
Per che, se l'alta Providenza elesse
Te, de l'impresa sommo Capitano,
Destino insieme, ch' egli esser douesse
De' tuoi consigli esecutor soprano:
A te le prime parti, à lui concesse
Son le segonde: tu sei capo, ei mano
Di questo campo, & sostener sua vece
Altrui non puote, farlo à te non lece.
A lui sol di troncar non fia disdetto
Il bosco, c'ha gli incanti in sua difesa.
Et da lui il campo tuo, che per diffetto
Di gente, inhabil sembra à tanta impresa,
Et par che sia di ritirarsi astretto,
Prendera major forza à nuova impresa.
Ei rinforzati muri, e d'Oriente
Supererà l'essercito possente.

Quò spectant illa verba? A lui sol, &c. *Tum* Altrui non puote. *Deinde an id tolerari potest?* Et da lui il campo tuo che per diffetto de gente, inhabil sembra à tanta impresa. Et par che sia di ritirarsi astretto.

Quæ sequuntur etiam odiosa sunt magis: Nempe neque silva illa exscindi, neque languor pelli ab exercitu, neque muri civitatis dirui, neque ullæ civitates in Oriente capi possunt, nisi Reginaldi viribus. Exercitus ipse sia di ritirarsi astretto. *Id in suis Cantibus inculcat, & obtrudit nobis identidem, ne nos sui Reginaldi capiat oblivio. Certè inglorij est Imperatoris id expeditionis suscipere, quod nequeat ad exitum adduci sine uno aliquo singulari homine, præsertim adolescentulo, qualem his versibus prædicat Reginaldum, Cantu tertio.*

Questi hà nel pregio della spada eguali
Pochi, ò nessuno, & e fanciullo ancora.

Neque satis purgari potest Torquatus, quòd Godofredum dicat caput exercitûs, quæ pars est nobilissima corporis, cùm ejusdem manum pronunciet esse Reginaldum. Tum quia victum & effœtum videtur nobis ducem dare, qui per se id efficere non possit, ad quod aggreditur: tum quia, quod longè turpius est, & consilij & armorum gloriâ pares, aut etiam superiores producit Cantu tertio.

Nè fra turba si grande huom più guerriero
O più saggio di lui potrei mostrarti,

Sol Remundo in consiglio: & in bataglia
Sol Rinaldo, & Tancredi a lui s'aggualia.

Accedit Episodia nobilissima, & pulcherrima tribui Reginaldo & Tancredo, aut aliis Heroibus. Si quid jejunum, si quid triste, id Godofredo in partem cedit. Pluviam precibus impetrat, supplicationes indicit, fruitur divinis somniis, & alloquio Angelorum: Pontificem putes, non Imperatorem. Si vacuus essem, & per tempus liceret, esset mihi quàm facile ostendere in Episodiis istis, ubi nulla Godofredi mentio est, bene magnam partem Poëmatis occupari. Nam Cantus integros, solidos, & non paucos suis illis Tancredo & Reginaldo dicavit. His rationibus putatis, ne potiori jure Reginaldus *inscribi debuit illud Poëma, quàm* Godofredus.

Parum commodè Torquatum excuset, qui exemplo Homeri illum tegi posse crediderit. Sic enim Iliadem cum Hierosolymâ quidam componunt, ut partes Agamemnonis Godofredus sustineat, Nestoris Remundus, Achillis Reginaldus, Ajacis Tancredus, Vlyssis Guelpho, Calchantis Petrus Eremita, Armidæ Circe. Parum inquam illum hæc juverint. Nam ut ista conveniant, quæ dissident plurimùm: tamen id vitij semper residet, quòd Heros Homericus sit Achilles, cujus est actio tota, quæ celebratur, non Agamemnonis, qui inglorius est apud Homerum. Nequitiâ & inertiâ nobilitatur Imperator, qui bello illi præficitur, cui gerendo prædicetur esse impar. Tum quid turpius, aut fœdius esse potest, quàm expeditioni unum aliquem è militibus non socium tantùm & æmulum, aut etiam supparem, sed superiorem asciscere, cujus animi magnitudine ea conficiatur feliciter, & quo sine, illam turpiter necesse sit exire. Taceo Heroïs primariam laudem, & velut adoream in animi fortitudine, & bellicâ virtute sitam esse. Taceo in unum Reginaldum vix puberem totam Francorum, & totius exercitûs salutem atque gloriam incumbere: hæc quæ magna sunt, missa facio. Homerum & ejus factum appellant, sequor. Agamemnon est dux exercitûs Græci, & caput: itidem Godofredus dux est & caput exercitûs Galli, feliciter id sanè. Achilles ensis est, & scutum exercitûs Græci: Reginaldus Franci, pulchrè. Achille absente capi nequit Ilium: absente Reginaldo nequit capi Hierosolyma, cautè. Achille reduce res Græcorum afflictæ eriguntur: Reginaldo reduce res Francorum perditæ instaurantur, mirificè. Achilles Trojanorum fortissimos cædit, & necat: Reginaldus robustissimum quemque Barbarorum perimit, nihil

nihil ſupra. Amo te, quidni pergis? nam bellè proceſſiſti. Achilles eſt Heros Poëmatis Homerici, Reginaldus Taſſiani. Inglorius eſt Agamemnon apud Homerum, inglorius eſt Godofredus apud Taſſum. Hæc certè ex illis confici debent, ſi quid ſapit Philoſophia.

At (inquit non nemo) actio eadem duorum Heroum eſſe poteſt, cùm duo in illam unam connituntur, veluti Godofredus, & Reginaldus. Nunc miſeret me Homeri, qui de præcepto iſto nihil audivit: pudet Maronis, qui tantò poſt nihil ſapere didicit, quique Æneæ ſuo adoleſcentem non dedit, quo res ſuas tutaretur. Iam etiam tædet me Philoſophi, qui actionem Epici carminis unam, & unius Heroïs eſſe juſſerit. Quid ego hìc nuperos homines Italos, Batavos atque Gallos compellem, qui priſcis illis ſuffragantur. Te, te inquam appello, Torquate, te judicem in hac tuâ causâ nihil reformido. Tuum eſto arbitrium, tua poteſtas. Quæ mens tua fuit? Quod conſilium in hoc Poëmate? Quid tandem conaris? Audite, quotquot ab antiquis moribus defeciſtis.

Canto l'arme pietoſe, e'l Capitano
Che'l gran ſepolchro liberò di Chriſto:
Molto egli oprò co'l ſenno, e con la mano, &c.

Quid ais te arma Ducis canere? Vide, quid dicas. Cur unius? cur non duorum? Tum ſi unius, cur Godofredi? Enimverò, inquit, id tantùm de me profiteor.

Canto l'arme pietoſe, e'l Capitano, &c.

At meritò quidem id tantùm audet. Nam Homeri, & Virgilij ſecutus exemplum, unius Heroïs actionem unam aggreditur. Bene itaque exorſus eſt Torquatus, ſed ſtudio partium à viâ deflexit.

Atque hæc à me obſervata ſunt, utì jam monui, non ut de cumulo gloriæ, quâ Virgilius & Torquatus florent, aliquid deratum eſſe velim, ſed ut veritati locus ſit, & ut ingeniis noſtrorum hominum, qui erudire ſeſe, & ſcoriam, ſi fas eſt cum Plinio loqui, ponere nituntur, ſim auxilio. Atque ut id commodè magìs fiat, non modò illis Poëma ſubjicio, in quod ſi placet inquirere, moleſtè id non feram, ſed etiam moneo, quod mihi non videntur ſatis intelligere, quibus de rebus in illud inquirant.

DE TRIBVS POEMATIBVS.

QVA DE RE IN POEMATE CRITICVS quæſtionem habere debeat.

In Poëma Epicum judiciariam poteſtatem & criticen exercere qui velit, de his quæſtionem habeat neceſſe eſt.

De Actione primò, quæ eſt materia Poëmati Epico ſubjecta: tum de Fabulâ, quæ eſt Poëmatis forma, & velut anima. Deinde de fine, ſive causâ finali Poëmatis; ac poſtremò de iis, quæ ad cauſam efficientem Poëmatis pertinent.

In actione legitimâ hæc ſunt. I. *Veritas.* II. *Veriſimilitudo.* III. *Vnitas.* IV. *Integritas, & ſi fas eſt dicere, Totalitas quædam.* V. *Magnitudo juſta.* VI. *Dignitas quædam, ac majeſtas. Hæc inquam in actione ponderanda ſunt, non quatenus actio eſt* ὄντως ὄν *& in eſſentiâ ſuâ, ſed quatenus à Poëtâ exhibetur.*

In Fabulâ hæc ſunt. I. *Neceſſitas.* II. *Vnitas.* III. *Simplicitas.* IV. *Peripetiarum, agnitionum multitudo congruens.* V. *Nexus & ſolutio.* VI. *Machinæ ſuis locis collocatæ.* VII. *Epiſodia apta & congruentia.* VIII. *Mores apti & congruentes.* IX. *Sententiarum frequentia quæ & qualis.* X. *Styli dignitas, æqualitas, & aliæ ejus laudes.*

In causâ efficiente quæret, an Poëta ingenio vel arte Poëma conſtituerit.

In causâ finali, quæret utrùm virtus in Poëmate ſuadeatur, & vitia improbentur; tum an omnes virtutes Principe viro dignæ illo contineantur. Quæ omnia qui noſſe velit, conſulat Diſſertationem, quam ad calcem Poëmatis pro noſtrâ induſtriâ & diligentiâ accuravimus.

De his Criticum judicare neceſſe eſt, quæ quoniam neque mulierculæ, neque vulgus imperitum poſſunt perſpicere, neceſſe eſt ab iis flagitiosè judicari. Quid verò eruditi viri in Poëmate noſtro laudaverint, non honeſtum eſt à me recenſeri, neque aliis proficuum & utile. Quid verò reprehenderint, non me pudebit referre, cùm uſui eſſe poſſit, iis qui ad hæc ſtudia mentem volucrint convertere.

REPRE

CAVSÆ DICTIO.

REPREHENSIONIS CAPITA IN Poëmate, quod *IDOLOLATRIA DEBELLATA* inſcribitur, & reſponſio.

Primò quidem non deſuêre, qui putaverint parum prudenter incipere Poëma à Sacrificio Veneris, & Adonidis: cùm ab inſigni aliquo Conſtantini facinore deberet exordium habere. Illis etiam adſunt quidam ſuccenturiati, qui criminantur exordium noſtrum, quaſi ſit Epiſodicum. Vtraque certè petitio tantò gravior eſt, quantò à viris magis rerum iſtarum peritis videtur eſſe facta: cui ut reſpondeam, diligenter mihi connitendum eſt: ac primò quidem inquirendum, sitne initium noſtrum Epiſodicum. Agedum, quid eſt Epiſodium? Actio quæ aptè, & congruenter in primariam inſeratur ſic, ut hæc ſine illâ integra eſſe poſſit. Didûs & Æneæ conſuetudo, quæ libris altero, & tertio Æneidos continetur, Epiſodium eſt: quia ſine illâ in Italiam Æneas appellere potuit. Tempeſtas verò Æoli, tum Veneris, & Neptuni concurſatio in Epiſodiis non ſunt; ſine adversâ quippe tempeſtate tam longa navigatio ut plurimùm eſſe nequit. Nunc verò da te mihi vacuum. Poëmatis noſtri & ſcopus, & inſcriptio eſt Idololatria debellata. *Tuam fidem? An Epiſodium erit Idololatria in Poëmate, quod Idololatria inſcribitur? An Idololatria debellari poteſt, quæ nulla ſit? Quid ſi vel hiſtoricè id Operis ſcribendum eſſet, an convenientius ipſo initio aliquid adduci, aut magis neceſſarium potuit, quàm Idololatriæ, quæ debellanda eſſet, impietas? Adi Euſeb.* lib. I. vitæ Conſtant. cap. XXI. XXII. XXIII. *& ſequentibus, qui bellum Licinianum orditur à cauſâ ipſius, quæ fuit hominis impotentiſſimi nefaria ſuperſtitio. Enimverò præſtantiſſimus ille ſcribendæ Hiſtoriæ Baronius rem impediti ſſimam his verbis* ad annum Chriſti CCC. XVII. *explicat.* Non autem ſingula ſingulis reddentes temporibus à Cibalenſi conflictatione ſumimus exordium. Sed meminiſſe debemus quæ ſuperiùs recenſitæ ſint juſti belli cauſæ, ſcilicet Licinij impietas, &c. *Nempe Conſtantino Licinianâ in expeditione mens fuit, atque conſilium Idololatria debellanda. Mihi in hoc Poëmate, alia non fuit animi ſententia, quàm actionem Conſtantini celebrare, quâ Idololatria debellata fuit: & erunt qui putent Idololatriam hic eſſe Epiſodium!*

Atque hæc cùm & clara, & certa ſint; ſupereſt ut inveſtigem quid cauſæ fuit, cur eruditi viri in contrariam opinionem venerint. Si quid conjecturâ licet aſſequi, certè illud eſt, de quo ante

decem annos ſæpe, diligenter, & graviter admonui in Diſſertatione de Epico Carmine, parte I. *quæſt.* III. *ſub finem, & iterum quæſt.* IV. *ejuſdem partis, & alibi, quam ut conſulas etiam atque velim: nempe contra edictum Philoſophi putavêre Epopœiam eſſe imitationem hominis, non actionis. Quare in Heroëm ſuum ſemper intenti, de actione minùs ſolliciti ſunt, & in eâ re, quæ primum locum tenere debuit, aliquantò negligentiores fuerunt. Qui fuit ſcopulus, ad quem multi illisâ nave naufragium fecêre. Neque enim alia cauſa fuit, cur quidam etiam actionem impiam in argumentum ſumerent: alij verò eam quæ dedecori, & detrimento eſſet, niſi quia perſonis quibuſdam addicti, illis ſe, ſuámque operam devoverunt. Eâ de causâ Homerus Iliadem, non Achillem inſcripſit Poëma ſuum de bello Trojano; neque Vlyſſem, ſed Odyſſeam, quaſi actionem Vlyſſis, alterum dixit Poëma. Sed neque Virgilio placuit Æneam ſuum Poëma appellare, ſed Æneïdem, hoc eſt, Æneæ actionem, aut etiam, ut quibuſdam placet, Rem Romanam. His Auctoribus Poëma meum Idololatriam debellatam inſcribi volueram; ſed me abſente ab amicis, etiam Conſtantini nomen adjectum fuit; nunc verò temporis, ut offendiculum amoveam ἁπλῶς aut ſaltem inſigniter, dicatur* IDOLOLATRIA DEBELLATA. *Detersâ primâ parte calumniæ, ad alteram tranſeamus.*

Sciſcitaris cur incipiat Poëma à ſacrificio Veneris & Adonidis, cur non Martis, in cujus ditione bellum geritur, aut aliorum? Audio, fateris, utì par eſt; ab Idololatriâ non modò aptè, ſed etiam neceſſariò ducendum fuiſſe initium: ſed quæris cur à Veneris & Adonidis ſacris? Conſule Euſebium in vitâ, lib. III. cap. III. & cap. LVI. *Tum Socratem* libro I. cap. III. *tum alios: Audies Conſtantino alia quidem ſimulachra, & Idolorum Templa odio fuiſſe, imprimis tamen Veneris, & Adonidis. Cauſam etiam addunt Auctores illi, propterea quòd in eo loco, in quo Chriſtus Dominus Cruci affixus fuerat, Veneris & Adonidis aras, atque ſtatuas erexiſſent impij. At inſtant. Certè à Conſtantini egregio ac ſuperbo facinore meliùs inciperet Poëma. Pace istorum dixerim, minùs vident, quàm priores illi. Etenim initia Poëmatis, ut ex edicto antiquorum, Ariſtotelis, Horatij, & aliorum oſtendi accuratè in Diſſertatione de Epico Carmine, debent eſſe modeſta. Nam*

Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut ſpecioſa deïn miracula promat

Antiphatem

Antiphatem, Scyllámque, & cum Cyclope Charybdim. *qui rectè Poëma conſtituit. Tu conſule Diſſertationem.*

Secundò, queruntur Conſtantini exercitum, atque duces à me quàm magnificè explicari, ita ut terrorem ſpirare videantur quodammodo; Licinij verò copias, & paucis verſibus, & obſcuro in loco, & frigidè deſcribi. Quæ res Conſtantinianæ laudi officiat non mediocriter, cùm eum Imperatorem victorem exiſtere, qui tanto exercitu præcellat, neque arduum ſit, neque glorioſum. Factum id à me excuſare potui, tum quia Licinij copiæ tribus in locis, iisque clariſſimis majores dictæ fuerant; tum quia duces ipſos, licèt minimè uno in loco, variis tamen occaſionibus, & maximè in ipſo conflictu, pro cujuſque dignitate atque gloriâ appellaveram honorificè. Illum tamen ego nævum, qui amicis diſplicuit, abſterſi ſedulò, quantùm quidem res mihi viſa eſt poſtulaſſe.

Tertium peccatum eſſe aiunt, quòd Conſtantinus à me victor ſemper inducatur, ſive per ſe, ſive per Legatos rem gerat, eáque de causâ carere Poëma maximo ornamento ſuo criminantur, converſione ſcilicet, quâ res afflictæ atque perditæ maximâ legentium voluptate poſſent erigi & inſtaurari: Ego verò non parum veritus ſum aliquando, ne violaſſem dignitatem Heroïs mei; primò quidem, quia pari eventu cum Licinio ex navali pugnâ illum juſſi diſcedere: deinde quia Byzantium neque vi, neque arte ad deditionem tam longâ obſidione potuerit compellere: demum captis proditione Seſto & Abydo, atque Ajacis cum alâ dextrâ deſectione, & Arabum inopinâ pugnandi ratione, res in ſatis magno periculo & diſcrimine mihi videbantur eſſe conſtitutæ. Præterea licèt in Epico carmine peripetiis etiam frequentibus locus eſſe debeat, non tamen fortaſſe ejus generis peripetias admittit Epopœia, qualem iſti requirunt: ſed hæc controverſia alterius eſt loci. Verùm huic malo, ſi tamen malum eſt, medicinam feci, cùm in decimo libro tantâ rerum perturbatione, atque deſperatione bellum confudi, ut ad victoriam virtute omnino heroïcâ opus fuerit.

Quartò nobis objicitur tanquam monſtrum aliquod informe & horrendum Triremis octo verſuum, ſeu potiùs Octeris, à nobis libro II. *inducta: ſed pace illorum dixerim, inanis eſt iſta petitio, neque ictum habet. Luculenti à nobis ſtant Auctores, tum è veteri patrum memoriâ, tum è noſtrâ. Ab Athenæo* libro IV. Dipnoſoph. *formam & magnitudinem, & remorum ordines mutuatus ſum. Longè majores referunt Hiſtorici omnium gentium. Sed his ſuperſedendum puto, quæ ſi quis legere voluerit,*

adeat Iosephum Scaligerum in Animadverſ. ad Euſebij Chronic. pag. lxi. *tum Mariſotum, qui poſtremis iſtis annis doctiſſimè de maritimo orbe ſcripſit: vel etiam P. Fornerium de noſtrâ Societate*, in ſuâ Hydrographiâ. *Religio tamen eſt præterire verba veteris Auctoris ad calcem Æliani, quæ citantur à Scaligero loco ſupra laudato, quæ ſic ſe habent*: Navis dicitur Triacontoros & Teſſeracontoros, & Pentecontoros, à multitudine manubriorum. At *navis* dicitur Moneris (*id eſt, Vniremis*) & Dieris (*id eſt, Biremis*) & ita deinceps ab ordinibus, ſive verſibus remorum, qui ſecundùm altitudinem ſibi ſuperpoſiti ſunt. *Ex quo loco conficitur id quod ſcripſi, ſcilicet Octerem illam habuiſſe octo verſus, ſive ordines remorum ſibi ſuperpoſitos.*

Quintò, peccatum à nobis putant, qui uſtuariâ nave uſi ſumus Libro III. cùm longè poſt hæc tempora id genus machinæ excogitatum ſit. Vſque adeò nos parum petit hæc objectio, ut meritò vereri poſſim, ne mihi ipſi prævaricatorem appoſuiſſe videar. Nam vir clariſſimus Dominus Du Freſne Ambianenſis, Hiſtoriæ Conſtantinopolitanæ & Scriptor & Illuſtrator doctiſſimus, paginâ 306. Obſervationum quas in Vill'Harduinum edidit, *docet il generis naves jam à multis ſæculis uſurpatas eſſe, & ignem illum, quo incendebantur, à Conſtantino noſtro inventum eſſe, atque poſteris magnâ cum religione traditum, cautumque ſanctiſſimè, ne artem illam externis nationibus communicatam vellent. Quamobrem nihil aptius, aut quod magis congrueret cum noſtro Heroë, dici potuit.*

Sextò conqueruntur tripudium in civitatis obſidione, quod dedimus Libro IX. At faciunt à nobis multa: primò quidem, quòd neque eſſet metus à civitate, quæ duplici vallo, duplici foſſâ, & caſtellis circumductis, & duplicatâ cuſtodiâ munita eſſet: neque à Licinio, qui longè in Aſiâ exiſteret: Tum quòd neque Imperator, neque Duces, ſed adoleſcentes numero circiter viginti illud agerent. Deinde ubi tandem latrunculorum ludus inventus eſt, niſi ante Trojam? Demum quis neſcit in caſtris noſtris juventutem variis exerceri ludis, maximè militaribus, qualis eſt illa noſtra pyrrhiche?

Septimò, Conqueruntur quidam, neque illi à Religione alieni, me pietati plus æquo ſtuduiſſe, & in Epiſodio, quod ſancto Antonio dicatum eſt, nimium fuiſſe. Quandoquidem ſic jubent, Epiſodium illud circumcidi.

Octavò, non placet aliis apud Beroën virginem inſciis parentibus

rentibus Christianos personatos versari. Cùm multa sint in veteri Christianorum Historiâ, quæ admirabilitatis habeant plurimum, tum meo quidem judicio nihil est admirabilius, quàm Sanctum Sebastianum & ejus socios in palatio Dioclesiani, cùm iste totâ in urbe debaccharetur impotentiss. mè, & in conclavi contra Christianos edicta scriberet saviss.ma, eos inquam in tabulato superiori & conciones habere, & preces agere, & Synaxes celebrare. Hæc qui legerit in actis S. Sebastiani, & qui audiverit ea quæ à Patribus Societatis nostræ plerisque in Provinciis sequioris religionis fiant; næ is nihil mirabitur paucos Christianos, numero admodum sex, simulatis personis cum Beroë potuisse versari, quorum unus (Episcopus scilicet) Medicum ageret, alius equitem, alius mercatorem, alius servum repræsentaret.

Postremò, magnam profectò calumniam patitur fictum illud Beroës virginis, quæ libro primo, ut declinet Sacerdotium Veneris & Adonidis, oculos sibi eruit. Audax, inquiunt, frenus, odiosum, crudele, immane, quod plus horroris quàm commiserationis habeat. Agnosco hîc Francorum ingenium, quibus crudelitas odio sit. Cùm in Galliis, in Italiâ, in Hispaniâ, atque aliis Europæ partibus multi planè sint viri sancti, quorum nomina in Tabulis Christianis diligenter serventur: in Italiâ certè, & in Hispaniâ præsertim, plures Martyres quàm in Galliis numerari certum est: in Galliis verò Confessores numero longè plures recensentur. Quare cùm Christianis omnibus nostrum Poëma scriptum sit, quid Christiana pietas postularet; non quid unius populi mores ferrent, vel probarent, spectari debuit. Sed cominus pugnandum est.

Commiserationis (inquiunt) habet parum Beroës facinus, horroris plurimum. Grave scilicet crimen! Accepimus ab Aristotele cap. 6. de Poëticâ, *in Tragœdiâ commiserationem & metum dominari: in Epopœiâ rerum dignitatem, majestatem, admirabilitatem, & (absit verbo injuria) insolentiam rerum magnificam. Quod proprium est Tragœdiæ, in Epopœiam infeliciter traducitur. Verùm quid tandem est quod illos commovet? An novitas rei? an crudelitas? an magnitudo facti? Non certè magnitudo, quæ tota quanta est, & quàm maxima, tota inquam est Epopœiæ. Sed neque novitas facti, quod à multis usurpatum, à plerisque omnibus summâ cum laude celebratum est, uti modò demonstrabimus. Crudelitas itaque. Itane verò Christianæ Sanctitati, quæ rogos & flammas inter, cruciatusque saviss.imos, & opprobria maxima, quæ in Christi ipsius morte crudelissimâ vitam*

accepit

accepit, aliquid acerbi pro tuendâ Religione, & castitate videri poterit. Tu, qui provolutus in genua Crucem (Crucem cùm appello, furcam & patibulum appello) Tu, inquam, qui Crucem, in quâ Filius Dei & Deus tuâ causâ animam efflavit, adoras pronus; durum & crudele putas facinus in puellâ, quæ ne Veneri & Adonidi faceret Sacerdos, oculis illis carere maluit, qui ad tantum scelus & sacrilegium occasionem præbuerant, & quidem eo in rerum articulo, cùm illi mortem oppetere atque oculos illos amittere necesse erat, quàm Religionem ejurare. Tu, qui Christianus es, aversaris facinus, quod probat, quod consulit, quod imperat Christus. Nam cujus est ista vox, aut quo tandem ore pronunciata? Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te. *O! sæculum voluptati natum, quod fortitudinis Christianæ pudet.*

At Sacerdotium illud Veneris molliori (ut aiunt viâ declinari potuit, si acu comatoriâ, si adamantis acumine frontem sibi Beroë atque genas deformet. Ergòne quia puella sibi extremam cuticulam delibârit aciculâ, tumultuabitur in civitate, Senatus cogetur, deliberabitur de tollendis Christianis, Orpheus primæ nobilitatis adolescens, Beroës procus, ad Christi fidem transibit, Imperatoris adventus & edictum expectabitur. Qui sic rem putant, non satis, meo quidem judicio rerum consequentias vident.

Nunc superest hoc unum, ut Beroës facinus exemplis comprobemus. Ab extremâ orbis parte Scotia sit exordium. Virgo nobilis Triduana nomine, anno salutis IↃXXXII. *quò molestum à se procum averteret, illi oculos, quibus irretitum se adolescens asserebat, exsculptos transmisit. Quam virginis actionem ante mille annos laudavit Antiquitas, retulit Dempsterus lib.* XVIII. *Historiæ Scot. eleganti celebravit Epigrammate Bastideus Gallus. Ejus verba sunt.*

Vt Triduanæ oculos sine crimine vidit ademptos,
Attonitus potuit dicere jure procus:
Heu! quo jure oculi, virgo fortissima, pœnam
Quam meruêre mei, sustinuêre tui.

Altera sit ab Ægypto virgo Alexandrina, quæ abhinc mille annos auctore Ioanne Moscho in Historiâ ad Sophronium scriptâ cap. LX. pari fortitudine sibi oculos eruit, & ipsa per sese illos gravi & odioso juveni dedit, quo facto hic attonitus, frugi factus est.

Atque ut alias taceam bene multas, quæ non dissimili facinore nomen suum atque gloriam consecrârunt æternitati; unâ in virgine Gallicanâ finem faciam. Auctore Ioanne Vallensi in libro qui

CAVSÆ DICTIO.

Illuſtratio in Cantica Canticorum *inſcriptus eſt, fuit in Monaſterio celeberrimo Fontiſebraldi virgo formæ emendatiſſimæ, cujus pulchritudine Anglus vir, de Regio ſanguine, captus eſt. Hic multis illecebris virginem nequidquam adortus, miſit tandem, qui omni ope, ſtudio, atque arte illam ad amorem ſui compelleret: Atque hic virum Principem oculis ejus captum primò, tum penitus exarſiſſe retulit. Iubet hominem virgo pauliſper ſe opperiri, cui mox redux ad herum oculos dedit. Quâ magnitudine animi, & robore pluſquam virili vir Princeps obſtupuit illico, deinde etiam laudatâ virgine, Monaſterium regiâ planè munificentiâ ditavit.*

Ad artis ipſius caput, & præcipuam partem accedat oratio.

DISTRIBVTIO ET OECONOMIA Poëmatis.

Cùm Poëſis Epica ſit accurata viri Principis inſtitutio, neque ab eâ parte Philoſophiæ, quæ Politica dicitur, ſegregata ſit, niſi quia hæc in Spatiis Academicis triſtior eſt quodammodo, illa verò inter Poëtarum delicias nutrita, ſuis blanditiis virtutem ſuadeat: neceſſe eſt utriuſque partes eſſe eaſdem, atque idem officium, ut qui alteram noverit, alteram ignorare non poſſit. Quæ res & in Diſſertatione noſtrâ de Epico Carmine demonſtrata eſt, & ab iis quæ mox dicemus, lucem accipiet clariſſimam. Enimverò quod Ariſtoteles Politicæ tribuit, ut omnium diſciplinarum virtutes complexa doceat quid & artes ſingulæ, & cives ipſi conari debeant & perficere: hoc ipſum Epicæ Facultati deberi ex Auctoribus rerum iſtarum conſultiſſimis oſtendimus, atque hoc noſtro in Opere à diſtributione partium demonſtrare placet.

Propterea quòd Principis Chriſtiani inſtitutio ſit Poëma noſtrum, Principes Chriſtianos ipſo initio compellavi.

Chriſtiadûm Proceres, ſeu vos, &c.

Deinde quia Principem Chriſtianum virtutes, tum militares, tum urbanæ & pacatæ decent, eâ diviſione uſus ſum.

Chriſtiadûm Proceres, ſeu vos pulcherrima pacis
Cura tenet, ſeu bella juvant: utraſque per artes
Spectandum cano Flaviaden.

Et iterum.

Bello ille ſuperbas
Edomuit gentes, & primus inania Divûm
Numina, Romanum ſancitâ pace per orbem,
Suſtulit.

Politicæ

DE TRIBVS POEMATIBVS

Politica diſciplina & in pace, & in bello dominatum exercet. Poëma noſtrum erit Politica diſciplina, quod totum in pacis & belli artibus verſatur, ut ex his clarebit.

BELLICÆ VIRTVTES.

In bello hæc ſunt. I. *Delectus militum, & luſtratio exercitûs.* II. *Societates bellicæ.* III. *Arma unicuique populo propria.* IV. *Alloquutiones.* V. *Pugnæ terreſtres collatis ſignis.* VI. *Pugnæ navales.* VII. *Pugnæ tumultuariæ.* VIII. *Singularia certamina cum apparatu, & religione.* IX. *Oppugnationes urbium more majorum per teſtudines, muſculos, vineas, pluteos, arietes, terebras, &c.* X. *Propugnationes urbium veteri quoque more.* XI. *Fluviorum trajectiones.* XII. *Caſtrorum metationes.* XIII. *Caſtrorum deſcriptiones.* XIV. *Caſtrorum oppugnationes.* XV. *Tumultus tum in caſtris, tum in urbe.* XVI. *Conjurationes, proditiones, defectiones.* XVII. *Angelorum & Dæmonum conjurationes.* XVIII. *Varia Stratagemata.*

VIRTVTES PACATÆ.

In pace ſunt. I. *Vrbes conditæ.* II. *Leges datæ.* III. *Deliberationes de pace & bello.* IV. *Religio Chriſtiana.* V. *Matrimonia ſacra.* VI. *Baptiſmus.* VII. *Miſſa, Sacroſanctum Sacramentum Euchariſtiæ.* VIII. *Reſurrectio Chriſti.* IX. *Reſurrectio mortuorum.* X. *Supremum Iudicium.* XI. *Aſcenſio Chriſti.* XII. *Inferi.* XIII. *Deſcenſus Chriſti ad Inferos.* XIV. *Beatorum patria.* XV. *Mors Chriſti.* XVI. *Mors Sanctorum.* XVII. *Sepulchrorum, ſive Cæmeteriorum inſtitutio, Epitaphia.* XVIII. *Tentationes, ſive oppugnationes Dæmonum occultæ.* XIX. *Caſtitatis laus & præmia.* XX. *Iuramenta ſacra.* XXI. *Superſtitio, ſive Religio profana.* XXII. *Sacrificia profana.* XXIII. *Oracula profana.* XXIV. *Excitantur Dæmones per magiam.* XXV. *Amores pudici.* XXVI. *Amores profani. Amoris varij effectus.* XXVII. *Munificentia & liberalitas Principis.* XXVIII. *Ludi varij.* XXIX. *Curſus ad annulum.* XXX. *Curſus equeſtris.* XXXI. *Saltatio, ſive Tripudium.*

Virtutes iſtas omnes & ſigillatim quidem in noſtro Poëmate contineri facile eſt animadvertere, & ipſe locis citatis notaveram, ſed id non tam Poëtæ eſt, quàm artis poëticæ. Quamobrem illud à me lectoris induſtriæ & ſagacitati permiſſum.

PANISCVS

PANISCVS.

ECLOGA I.

OBSERVATIO.

ARGVMENTVM *huius Eclogæ, subjectam illi materiam, & Fabulæ contextum videre, operæ est non facile: quæ res est illi communis cum Eclogâ VI. Virgilij, cui nomen est* Silenus. *Quam ob rem pauca mihi de* Sileno *dicenda sunt, quæ Grammaticorum aciem videntur fugisse. Nam qui utramvis noverit, ambas etiam cognoscet.*

Ac primò quidem plerique omnes falluntur, quibus placuit, hâc Eclogâ Vari laudes contineri. Mittitur quidem illa, & dicatur Varo, at de laudibus illius tam altum est hic silentium, ut ne verbo quidem illas attigerit.

Falluntur quoque, qui putant Veterum Theologiam hîc tractari, cùm neque Deus ullus, aut etiam Religionis meminerit Poëta.

Non desunt qui putent, id consilij fuisse Virgilio, ut Metamorphoses & Fabulas caneret. Ne parum prudenter faceret Poëta, qui rem tantam, tam variam, ac multiplicem, atque omnium longè maximam, adeò jejunè, & tam paucis versibus complecteretur.

Alia fuit Poëtæ mens, aliud institutum: Galli, felicet hominis sibi charissimi, Poëtam voluit commendare. Id mira arte aggreditur, & ut limati ingenij virum decuit, dissimulanter.

Nam qui aperte & palam de laudibus alicujus dicere se profitetur, minus honestè id facit, tam suâ & audientium gratiâ, tum etiam ejus causâ, cujus gloria studet: hujus enim modestiam oppugnat, quem in os laudari pudet. Apud Lectores de fide non parum amittit, qui Poëtam corruptum, & ad id redemptum existimant. Quam ob rem laudes illustrium virorum ita debent in Epopœiam, aut in Eclogæ telam intexi, ut non arte videantur quæsitæ, aut eminenti tanquam adhæsiuj panni, sed debent eodem sub-

tegmine, & unâ texturâ aptari, atque conjungi. Debent, inquam, laudes à re ipsâ nasci, non ingratis obtrudi. Silenus itaque huc inducitur, qui inter cæteras Fabulas canit illam, quâ Musarum una aliqua, Gallum Poëtam in Parnassum adduxerit, & eum Linus fistulâ donaverit: quasi hæc postrema nec minùs dignitatis habeat, nec minùs nota sit, Sileno, & Diis; quàm illæ priores, omnium Poëtarum versibus celeberrimæ.

In eâdem Virgilij Eclogâ id quoque est, quod observem, nullum genus Fabulæ ab Eclogâ alienum esse. Nam etsi Pastores hîc Fabulas illas tot, & tantas non narrent; ipsis tamen illæ narrantur, eosque dignos putavit meritò Virgilius, qui vel reconditissimas audirent.

Cæterùm hæc Virgilij Ecloga artis est partus exquisitæ, in quâ omnia placent, præter Pasiphaës invereundum amorem, in quo, nescio cur in tanto delectu rerum pulcherrimarum, se Poëta amaverit. Nunc ad Paniscum *redeamus.*

ECLOGÆ

ARGVMENTVM.

ECloga Argumentum est celebrare, qui vir illustrissimus Habertus Montmorius in Academiam Parisinam rogatus venerit. Daphnidis nomine illum adumbramus.

ECLOGÆ

FABVLA.

PAstores duo Paniscum varia fabularum veluti themata à Pane patre dictata repetentem audiunt: & eidem rupem, sub quâ canebat, non sine libaminibus consecrant.

OBSERVATIO ALTERA.

PRima ex iis Fabulis, quæ hîc de Europâ narratur, notissima est. Altera de Lunæ Eclipsi facilè intelligitur; siquidem in capite vel caudâ draconis Lunam pati eclipsim scitum est. Solitas verò esse mulieres, in defectu illius, æra & tympana pulsare, neminem fugit. Tertia, quæ est de Pori, & Peniæ matrimonio, habetur apud Platonem in convivio, & est ejusmodi.

Peniæ nomine materia primâ compositi Physici intelligitur; nomine verò Pori, formæ itidem Physica, ex quarum conjunctione consletur compositum. Eâdem de causâ Aristoteles primo Physicorum

corum *materiam appellavit fœminam, formam verò marem: tum materiam quoque ibidem dixit esse τὸ αἰσχρὸν, formam verò τὸ καλόν.*

PANISCVS. THYRSIS, Pastor.

LYCIDAS, Caprarius.

Paniſc. NEMPE ita me genitor, memini si rite, docebat.
Iupiter Europam tranquilla per æquora raptat,
Raptat Amor Iovem : aquis circùm ridentibus exstat
Nereïdum pulcher chorus. Eheu! cætera fallunt
Immemorem. Forte hic meliùs succesſerit. Ecce
In medio dum Luna nitet placidiſſima cœlo,
Ore draco invaſit mediam. Date tympana, matres;
Æra manu pulſate, nurus, pulſate puellæ.
Ah! pallet Dea. Macte animis pulcherrima, macte
Aſtrorum decus. En! vicit Dea. Parcite matres,
Iam ſatis eſt: ceſſate nurus, ceſſate puellæ.
Salve Noctis amor. Proh! mollis cera cicutam
Deſerit, & tenerum diſperdit fiſtula carmen.
Thyrſ. Neſcio quid certè eſt. Iraſci parcite Nymphæ,
Nymphæ, noſter amor. Viret hic in margine ripæ
Et thymus, & cithyſus; tenera eſt in collibus herba;
Hic matutino florent ſub rore myricæ:
Lyc. Et cythiſum ſprevêre agni, ſprevêre myricas!
Euge, Melampe, gregi lupus imminet, euge Lyciſca.
Proh! ſurdis canimus. Nymphas meliora precamur.
Thyrſ. En ſubitò ſilet omne nemus, pinúsque, ſalixque.
Lyc. Vox Zephyro cecidit, cecidit vocalibus auris.
Cur Philomela taces, cur tu Pare? Protinus omnes
Ore tacent preſſo volucres: tacet hic quoque rivus,
Qui rivus querulas vexabat murmure ripas!
Thyrſ. Ad numeros ſaliunt coryli, ſalicésque ſequuntur!
Lyc. Et rigidæ motant ſaxoſa cacumina rupes!
Thyrſ. Audio, nec fallor, ſacro ſub vertice rupis
Dulce canit, ſenſim venientis ſibilus auræ.

Lyc. Non contra Damon, noſtris in montibus ille;
Ille ſciens calami Damon contendere poſſit.
Thyrſ. In genua, ô! Lycida. Deus, eſt Deus. Aſpice vultum,
Aſpice flagrantes oculos, hædinâque crura.
Eſt tener hic agnus: Pani quis deneget agnum?
Lyc. Non hædum invideat genitor, non ipſa noverca.
Paniſc Nunc iterum experiar, nâmque hærent undique ceræ.
Ecce Porum (Porus ille Deûm ditiſſimus) alto
Iupiter in cælo Peniæ dedit eſſe maritum.
Huc ades, ô! Penia, ô! vitæ ſecura beatæ,
Huc ades, & Phrygium ſepoſtâ cannabe velum
Induere. Eoum tibi deſerit Heſperus æquor.
Iam thalamos ſparsêre roſis florentibus horæ:
Prodit Amor, prodit Venus: En tibi Iupiter ipſe,
Ipſe virum ducit, circùm fremuêre Hymenæi.
Hæc utcunque: Nihil pater arguet. Vltima res eſt
Ardua, ſeu Muſam ſpectas, ſeu verba recenſes.
Aonas in montes Daphnim ducebat Apollo:
Protinus aſſurgit Phœbo Chorus omnis, & omnis
Paſtori Chorus aſſurgit. Pulcherrima cœtus
Lætum cincta caput circùm florentibus Aſtris
Vranie, auratâ Daphnim teſtudine donat.
Accipe, quæ ſanctum Vranies teſtetur amorem.
Hâc tibi dicatur Mundi naſcentis origo:
Vt vacuo tellus libratur in aëre: terras
Vt ſubeunt undæ, & molli ſe corpore miſcent:
Quo maria alta fremunt æſtu, quo cardine cæli
Ingeminant nimbi, tempeſtatesque ſonoræ.
Cura tamen tibi ſit potior (quæ maxima Phœbo,
Maxima quæ nobis) ſtellantia dicere templa:
Præcipitem Lunæ currum, tardúmque gementi
Saturnum axe ſuper: medios complexus ut orbes
Æternis illinc Mundum Sol temperet horis.
Hæc ubi Paniſcus, animam dum colligit: Ecce
Illius ante pedes pueri cecidêre precando.
Lyc. Deliciæ ruris, nemorum, Paniſce, voluptas,
O! noſtrum decus, & Nymphis gratiſſima cura:
Hæc rupes tibi ſacra eſto, tibi liba quotannis
Hæc debet, vini cyathum, duo cymbia lactis,
Præterea. Dum plura parant, Paniſcus oborto
Blanditus riſu, ſilvas, montésque petivit.

ABELVS

ABELVS

ECLOGA II.

ARGVMENTVM.

IN Sacrificio Abeli deſignatur Sacrificium, quo Chriſtus humanum genus redemit.

FABVLA.

FAbula per ſeſe aperta eſt, nec eget interpretatione. Poteram hic ſilere querelam, quæ à viro rerum iſtarum parum perito facta eſt. Is quid fabula in Poëſi eſſet, cùm non intelligeret, graviter conquerebatur de audaci noſtro facinore, qui Abelo fabulam dederimus. Is adeat primam partem noſtræ Diſſertationis quæſt. IV. num. X. & irarum deſinet.

OBSERVATIO PRIMA.

IN Eclogâ locus eſt interdum Propoſitioni, & Invocationi. Exemplum eſto in Pharmaceutriâ *Virgilij. In quâ* Propoſitio *continetur quinque primis verſibus: Invocatio verò octo ſequẽtibus definitur.*

OBSERVATIO SECVNDA.

IN Propoſitione & Invocatione, quæ ſint etiam in Eclogis, verſus poſſunt eſſe grandioris eloquentiæ, ut claret in eâdem Pharmaceutriâ *: niſi fortè putet aliquis Virgilium utrobique peccaſſe; quam notam ut vitarem, ſeparavi Invitationem meam ab Eclogâ.*

PASTORIBVS INVITATIO.

VOs quibus herboſo lentis in margine ripæ,
Aut patulam ad fagum, vel opacâ rupis in umbrâ,
Eſt ſtudium tenui curas lenire cicutâ:
Vos, ô! Paſtores, veſtræ primordia gentis,
Et Paſtoritiæ cunas inviſite Muſæ.
Nondum bella tubæ, fletus indicere nondum
Tibia, nec teneros teſtudo nôrat amores:

Cùm

Cùm leni campos flatu, cùm mollia prata,
Cùm ſilvas, riguósque amnes mulcebat arundo.

ABELVS CAINVS.

SOLE novo, ſummi fulgent dum lumine colles,
It lare de patrio (fuit olim prima domorum
Illa domus) placido immitis cum fratre Caïnus.
Ille ovium primus cuſtos, hic ruris arator
Primus: ut ille pedo, raſtri ſic robore nitens
Hic graditur, dulcis fratrem compellat Abelus.

Abel. Nonne vides, tener ut læto ſub ſidere Mundus
Floreat, ut montes ſilvæ, ſaltúsque coronent
Arboribus, niteant ut prata virentibus herbis?
Hæc cernis quæcunque, Dei ſunt munera, frater.

Cain. Mollibus in pratis, lætis in vallibus ecquis
Inſidias poſuit? Colles Vrſique, Lupique
Inſedêre, tenent triſtes tua prata colubri.
Quis ſegeti lolium, ſteriles quis ſparſit avenas?
Hæc cernis quæcunque, Dei ſunt munera, frater.

Abel. Mulcetur variis volucrum concentibus aër,
Impellunt Zephyri ſilvas vocalibus auris:
Impellunt Zephyri, reſpondent omnia ſilvæ.
Addunt ſe ſocios tremulo cum murmure rivi.
Hæc audis quæcunque, Dei ſunt munera, frater.

Cain. Scilicet inde Striges cecinêre, hinc carmina lætus
Dat Bubo, feſto formoſus gutture Buſo
Inde canit: tremulis ſaltus concentibus implent,
Implevêre Vlulæ, reſpondent omnia ſaltus.
Addunt ſe ſocios magno ſtridore Dracones.
Hæc audis quæcunque, Dei ſunt munera, frater.

Abel. Ecce tibi ſtacten roranti Balſama ſudant
Cortice, odoratis ſpirant tibi Cinnama latè
Folliculis: auras herbæ, florésque vaporant;
Serpyllum, violæque, roſæque, & lilia. Odores
Afflantur quicunque, Dei ſunt munera, frater.

Cain. Ignavis reſides fœtent Aquilonibus undæ:
Eheu! quàm triſtem exhalant ſpelæa mephitim.
Ecce auras herbæque ſimul, florésque vaporant,

Rutáque

Rutáque, Parthenijúmque, Vrticaque putida. Odores
Afflantur quicunque, Dei ſunt munera, frater.
Abel. Pone modum ſceleri, ponent aconita venenum:
Dejice ſublimes animos, mi frater, & ecce
Iam cecidére feris, cecidére Leonibus iræ:
Miteſcent colubri, ſi tu miteſcere diſcis.
Quoſcunque indueris vultus, Deus induet: illum
Finge tibi, veniet facilis, quocunque vocaris.
Cain. Si leni Deus eſt animo, ſi pectore miti,
Vt perhibes, nam cur patriis nos exigit hortis,
Nos patriis, ſobolem regnis procul egit avitis?
Iam tot luſtra pater miſerè lacrymatur Adamus,
Iam tot luſtra pater fruſtra lacrymatur Adamus;
Nec mitis tuus ille Deus miſereſcere diſcit.
Ire jubet terras alio ſub ſole jacentes,
Et fodere, & duros manibus tractare bidentes.
Ah! nimium eſt. Alio rerum me provocat uſus,
Et ſegeti jubet alma Ceres ſupponere falcem.
Abel. Ecce abit. Infelix quorſum te inſania vertet?
At vos, ô! mea cura, gregis lætiſſima proles,
Vos agni, ad tumulum, puro qui floreus amni
Imminet, ut ſolitum, lætis ſuccedite mecum
Paſſibus, hic aram poſui de ceſpite vivo.
Lactentes fugient hædi prius ubera matrum,
Atque caput repetent adverſo flumine rivi:
Ante Vlulis cedet cantu Philomela, & acutis
Horridus in foliis Paliurus lilia vincet;
Quàm noſtrum ulla Dei capiant oblivia pectus.
In grege forte fuit pulchro pulcherrimus agnus,
Anteit ille nivem puro ſub ſidere lapſam,
Anteit & cygnos, anteit candore liguſtra.
Purum illi vellus, frons prima in cornua turget,
Os etiam tenerum, atque oculus qui fallere nolit.
Addebat puer & violas, addebat Acanthum,
Addebátque Roſas, & purpureos Amaranthos.
Illum etiam blando aggreditur de nomine Paſtor.
Lebe, tui Paſtoris amor, præque omnibus unus
Lebe mihi dilecte, tui nunc poſcit amoris
Argumenta tuus Paſtor; triſtisne repulſæ
Mœſtitiam dabis, atque preces fruſtrabere noſtras?

Lebe, Deo votum debes, & debet Abelus.
Ah! utinam facilis ſineret Deus, hoſtia ſacras
Ante Aras caderem: inſontis tu tempora vitæ
Vallibus in lætis ageres, & flumina circùm.
Te tamen ille Deus tanto dignatur honore.
Quid dubitas? Pulchrúmne mori averſabere demens?
Annuis, ô! noſtræ meritò pars maxima laudis.
At tibi, ſumme Pater, rerum divina poteſtas,
O! vitæ, mortisque potens, Mundique repertor;
Ecce inſons pro ſonte tibi cadit agnus Abelo.
Hæc ait, & properans ibat jam vulnere ſanguis:
Ecce autem rapidus mediis è nubibus ignis
Rumpitur, & ſacros flammis depaſcitur artus.
Hic ſanctus puero tanta inter gaudia ſomnus
Inſinuat ſeſe obrepens, gliſcítque per oſſa:
Protinus incurrunt variis ſimulachra figuris.
Vrbs erat (urbs quid erat primùm tunc novit) ab urbe
Effuſi montem populi clamore petebant,
Cum nuribus matres, puerique, & grandior ætas.
Tum colle in ſummo pendebat ab arbore funus
Extincti juvenis: circùm fremit impia turba,
Turba ferox fremit, & morienti illúdere certat.
Continuò tenues vox eſt allapſa per auras.
Quem cernis duro ponentem in ſtipite vitam,
Hic ille eſt Agnus, veſtræ qui crimina gentis,
Impreſsásque notas ſcelerum detergat; hic ille eſt,
Sanguine qui fuſo cæleſtes mitiget iras.

PHASITHEA.

ECLOGA III.

ARGVMENTVM.

ARGVMENTVM *eſt deſiderium vitæ æternæ, quod in allegoriâ exprimitur.*

ALLEGORIÆ EXPLICATIO.

EX *nominis notatione intelligi poteſt, hâc Eclogâ contineri deſiderium vitæ æternæ. Eſt enim* Phaſithea, *Dei ipſius quædam, ſi fas eſſet ita loqui, apparitio; de quâ Vates Regius:* Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. *Phaſithea eſt formoſa, ſed immitis, quia beatitudinem, ſeu viſionem Dei, hoc eſt, Phaſitheam nemo, niſi per magnos & labores & dolores adeptus eſt; cùm de ſe Chriſtus pronunciarit:* Nonne hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam. *Queritur Poëta non Phaſitheæ decus & formam marceſcere, cùm Dei viſio ſit perpetua, ſed ſanctitatis ſuæ decus & deſiderium vitæ æternæ tantâ dilatione, & tot tantisque variis humanæ vitæ caſibus ſenſim tabeſcere, quare in pueritiâ, quæ innocentia floret, optat mori. Phaſithea cum amore nata dicitur: Viſionem quippe Dei ita ſequitur amor, ut ab invicem ſeparari non doceat Theologia. In collibus æternis, hoc eſt, in cælo, nemo eſt, qui non amet Deum. Nam & Chriſtus dicitur* deſiderium collium æternorum. *Phaſithea dicitur Nymphas omnes formâ ſuperare, quia omnium donorum maximum eſſe docet Theologia. Damon, & Amyntas, qui nati dicuntur mediâ in urbe, ſunt Angeli qui creati in cæleſti civitate, charitate in Deum, & amore, non ſemper homines ſuperant. Nomine patris & matris intelliguntur reipsâ parentes, qui liberos aliquando à Chriſtianâ ſanctitate revocant: Nam hominis* domeſtici *dicuntur eſſe ejus inimici. Lycoris & Hyale Nymphæ cum dote ſuâ, & blanditiis, ſunt appetitus duo cum variis ſuis affectionibus, qui deliciis mentem*

Pſalm. XVI.

Luc. XXIV.

Geneſ. XLIX.

Mat. X.

tentant corrumpere. Silvis & Zephyris adumbrantur mentis cogitationes variæ atque multiplices, quarum examine, & disquisitione diligenti discitur, quid de Phasitheâ, hoc est, felicitate, & cæleſti patriâ sperandum sit. Differtur Phasithea, *hoc est, Dei visio, usque ad mortem.* Non enim videbit me homo, & vivet, *inquit Mosi Deus. Statuit itaque mori Pastor; Sancti quippe viri cum Davide sæpè exclamant:* Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini: *& cum Paulo:* Cupio dissolvi, & esse cum Christo. *Reliquæ Nymphæ præter Phasitheam faciles dicuntur: quia gratiæ dantur gratis, viso verò Dei minimè.*

Exodi. XXIII.

Psalm. LXXXIII.

Formosa, sed immitis Phasithea, quid ævi,
Quid formæ decus hoc pateris marcescere, virgo?
Cùm rosa nascentem læto dedit ubere gemmam,
Pulchri illâ pueri, pulchræ petiêre puellæ:
At rapido Solis postquam defloruit æstu,
Pulchri illam pueri, pulchræ sprevêre puellæ.
Nescis quid sit amor? Venit tecum ille sub auras,
Tecum crevit amor, nec tu cognoscis amorem?
Quid te, quid miseros vanâ spe ludis amantes?
An magis es, Phasithea, tibi crudelis, an illis?
Crudelis certè ipsa tibi, crudelis & illis.
Collibus in vestris, vestris in vallibus omnis
Pastor amat, omnes dicuntur amare puellæ,
Illas cum superes formâ, cur cedis amore?
Te petit & Damon, petit & formosus Amyntas?
At mecum neuter (mediâ sit natus uterque
Vrbe licet) neuter mecum certârit amando.
Iam procul à patriâ, tua dum vestigia sector,
Sole sub ignoto mè septima detinet æstas,
Detinet, & longâ miserum spe conficit æstas:
Cùm tamen intereà crudelem nomine dicunt
Et senior pater, & luctu jam perdita mater.
Quò præceps te, Nate, furor? Phasithea superba est,
Est Phasithea superba, sui nec curat amantes;
Et dura est Phasithea, mori te denique coget.
Sunt aliæ innuptæ, sunt & florentibus annis;
Est oculis Hyale glaucis, est flava Lycoris:

Docta

Docta Hyale varios sertis intexere flores :
Et canere, & choreas inducere docta Lycoris.
Centum Hyale niveos spondet cum matribus agnos,
Centum agnos Hyale, bis centum flava Lycoris.
Te patrij, te Nate lares, te rura paterna,
Nate, vocant, amnesque, sacrisque in collibus umbræ.
Non precibus genitor, dulci non mater amore,
Non nivei centum, totidem cum matribus, agni,
Non oculis Hyale glaucis, non flava Lycoris
Blanditiis movêre animum, retróque dedêre.
Fruſtra Hyale, dixi, texuntur florea serta :
Parce choris, dixi, jam sordent, parce Lycori.
Vos, coryli ! vos, ô ! salices, tu purior albo
Quæ petis electro campum, quæ rupis ab antro
Lympha cadis ; vos, ô ! per vestros testor amores,
O silvæ (nam vos, nec miror, amasse loquuntur)
Dicite, num vestrâ nostri Phasithea sub umbrâ,
Dum queritur, meminit, nostro num tangitur igne ?
Daphni, quid insanis ? nihil est Phasithea locuta ;
En tacet omne nemus, tacet ultro garrula lympha,
Garrula lympha tacet, nihil est Phasithea locuta.
At vos, ô ! Zephyri, Zephyri misereſcere lenes,
Omnia queis teneræ narrant suspiria Nymphæ,
Sic vobis niteat tellus sub vere rubenti,
Dicite, si quid fortè meo suspirat amore,
Si quid fortè gemit ? Rauco quid murmure mussant,
Et tristes queruli spargunt per inane querelas ?
Ah ! Daphni, ah ! nimium est, lucis jam tædet, & auræ.
O ! formosa, sed immitis Phasithea, puellas
O ! faciles inter crudelis, amare viciſſim
Non potes ? Anne etiam non possis dicere ? Daphni
Iam morere, optatâ placidum sic morte beabis.
En erit vt quondam, legat isto in cortice Pastor :
Hic Daphnis jacet, hic Daphnim Phasithea peremit.

CHRISTVS NASCENS.

ECLOGA IV.

Argumentum facile eſt, nec Fabula indiget interpretatione.

DANIEL, Galaadites. SAVLVS, Bethleemites.

Dan. SAVLE, quid inſanis? Fruſtra quid arundine Muſam
Sollicitas? Moſi Sulamitis ducitur uxor,
Ducitur, & pergis vanos ſuperaddere fletus.
Saul. Flevimus hæc olim, Daniel; at nunc mihi durùs
Nec cantatur amor, nec Virgo ruſtica: quanquam
Et cantatur amor, quanquam & cantatur amore
Pulchrâ magis Virgo: cui nunc mea fiſtula carmen,
Et magnas tenui laudes meditatur avenâ.
Sí neſcis illam Vpilio canit omnis, & omnis
Montibus in noſtris Paſtor, magnique bubulci:
Silvæ etiam, fontes etiam, rupésque loquuntur.
Dan. Vnde amor iſte tamen? Quænam, aut quibus hoſpes ab oris
Virgo venit? quæ rura tenet tam magna voluptas?
Saul. Si vacuum eſt audire tibi, mihi dicere dulce eſt.
Nocte ſuper, feſſos quando complectitur artus
Alta quies, lento perfundens membra ſopore,
Excutimur ſomno. Claro tum lumine colles,
Et rigui tremulâ fontes ſub luce micare.
Tum molles ſpirare auræ, Zephyríque tepentes.
(Nam Zephyri, nequidquam hyeme indignante, tepebant)
In florem videas ſeſe, mirabile viſu,
Induere, & ramos ſilvas motare comantes.
Tum nube in roſeâ, criſpóque in lumine ſacrum
Extulit os Iuvenis, qualem non ulla parentum
Aut ætas tulit, aut quondam feret ulla nepotum.

Vivite

Vivite felices, inquit pulcherrimus ille,
Paſtorum ille puer pulcherrimus, ille Parente
Æterno natus, ſoboles æquæva Parenti,
Ille oleo tinctus ſacro, jam limina vitæ
Attigit, & Mundi revehit naſcentis honores.
Ite alacres, ite, & primi cognoſcite Regem.
Bethlemio Puerum fas eſt reperire ſub antro,
Cunnabe ſuffultum mundâ, palæque recenti.
Tum chorus Aligerûm (non te ſub nocte ſerenâ
Aſtra micant) variis mulcent concentibus auras:
Quorum nunc memori repeto dum carmen avenâ,
Inductâ malus objurgas Sulamitide Muſam.

Dan. Quin age, nec numeros tantùm, ſed verba repone.

Saul. Gloria Rectori Superûm, ſuper ardua Mundi,
Trans Lunæ, Solisque vias: Sanctiſſima terras
Pax habeat, mitesque viros, qui ſimplice vitâ
Inſontes patriis agitant ſub legibus ævum.
Continuò ſolvere Choros, cæloque recepti
Luminibus fixos tacitis, avidoque relinquant.

Dan. Credo equidem. Nam qui vobis ſub pectore ſenſus?

Saul. Omnibus ire viam placuit, Samuelius hædum,
Hædum vix primis turgentem cornibus, agnam
Lactentem teneræ mittit cum matre pharezus:
Vellus ego puro lotum quod flumine, magnis
Nequidquam Eliabe votis abducere certat.
Ergo iter ingredimur, nec longum tempus, & arces,
Arces Ieſſidis habitata mapalia quondam
Apparent procul, & montis ſub culmine ſaxum.
Eſt ſaxo latus ad rupis, de ceſpite ficco
Eſt pauper tuguri tegmen, collemque ſub ipſum
In penetrans late ſpeluncæ, & faxea fornix.
Extat humo truncum præſæpe; hic candidus Infans,
Aggeſtis circùm paleis, purâque jacebat
Velatus lino. Non ſeſe Lucifer illi
Contulerit, licet Eoo lavet æquore frontem.
Circùm mater erat, circùm pater: illa pudoris
Intacti Virgo mater, pater hic quoque puro
Flore pudicitiæ virgo: tamen illa virili
Divinum fœcunda parit ſine ſemine Natum.
In genua exemplò cadimus, tum gloria turis
Bethlemij Phanuel ſanctum ſic Numen adorat.

Parve

Parve puer, quis te noſtros inviſere fines
Cogit amor? Patriis tibi paret in ædibus omnis
Regia Cælicolûm; hic inter ſpelæa ferarúm
Exul, egens, Paſtoris amas noménque, decúsque.
Qui tibi, qui tanto grates pro munere ſolvat,
Nullus Paſtor erit; quod poſſumus, hoc habe, amamus.
Pulcher amor Mundum dias eduxit in auras,
Pulcher amor terras fudit circùm aëra, cælum
Pulcher amor pinxit ſtellis, & floribus arva:
Te quoque, pulcher amor, niſi nos ſententia fallit,
Nec fallit, te cogit amor deſcendere Cælo.
Præterea damus hæc noſtri munuſcula ruris:
Hæc cape, ſancte Puer, miſerisque aſſueſce vocari.
Ille quidem riſu, ille oculis, & vertice pronus
Annuit, ac læto ſpeluncam lumine complet.
At pia pro Nato Mater ſic pauca reponit.
Dilecti ante alios juvenes, gens optima, Chriſti
Primus amor, vobis felices ſancta per annos
Vita fluat, nullos obſcurent nubila Soles.
Nec gregibus lupus, armentis nec ſæva leonum
Vis dabit inſidias: maturis vinitor uvis
Nil metuat, ſegeti flavæ nil lætus arator.
Melle fluent fontes, ſpumabunt nectare rivi:
Purpureæ paſcentur oves vaga flumina circùm,
Et Tyrio tinctos educent murice fœtus.
Præcipuè ſanctam cælo tamen addere mentem
Hic puer ore monet tacito, terrásque jacentes
Deſerere, atque animum æternis intendere rebus.
Hic vobis patria, hinc veſtros deſcendit in uſus,
Huc revocat, flexo colitis quem poplite Chriſtus.
Hæc ubi dicta dedit Virgo, nos corpore prono,
Terram humiles iterum petimus, Puerique volentis
Ore manum premimus molli, atque excedimus antro.

Dan. O! fortunati colles: ô! rura beata:
Felices pueri, proles Ieſſeïa, ſanctas
Ante alios cui ſorte datum contingere cunas.
Me veſtri comitem cœtûs, ſociúmque dediſſet
Si Deus; hædorum cuſtos, oviúmque magiſter
Iam paſtoritio donaſſem munere Chriſtum.

Saul. Si tibi tantus amor, Pueri ſi tanta videndi
Cura tenet, Daniel, veſtem ſuccinge, præibo.

VMBRA.

ECLOGA V.

ARGVMENTVM.

Solis & Vmbræ primùm quidem amor, deinde & dissidium.

FABVLA.

Fabula per sese aperta erit legenti.

QVIS modus, ô Simæ? Nec me pascente pudet vos
Maturâ sub luce pigro torpere cubili?
Roscidus invito, si non properabitis, humor
Aruerit cythiso: saturis nunc mollior herba est
Graminibúsque, thymóque, & odoriferis meliphyllis.
Nunc etiam teneras dumeta recentia frondes
Sufficiunt; agros ut sol acenderit æstu,
Offendet solido, & spe dens ludetur inani.
Nec vobis iter est longum; quâ floreus amni
Molliter acclinem dat sese collis; & istam,
Si longa est, sermone viam, cantúque levabo.
Carmine quo captæ Dryades, facilésque Napææ,
Linquebant silvas Dryades, saltúsque Napææ.
Cantabat Daphnis, discebat Thyrsis, & omnis
Tityrus. Experiar; numeros, & verba notavi.
Vix tenerâ cùm luce recens concreverat orbis,
Prima suo vix tum lucebant sidera cælo,
Lætáque nascenti ridebant lilia terrâ;
Omnibus instituit cùm Pan convivia Divis.
Hic roseo primùm florentes ore juventæ
Attoniti vidêre Deas; videre, Deasque
Obstupuêre Dei. Suus hic natalis amori.

Verùm

Verùm alias inter tantùm ſupereminet Vmbra,
Quantùm infelices ſuperant violaria rhamnos.
Illam inter comites ut vidit pulcher Apollo,
Vt periit, cæcúmque hauſit per membra furorem.
Námque ut erat radiis frontem redimitus, & igne;
Immemor, aut nondum expertus quò flamma valeret;
Imprudens, victúsque animi propiore ſalutat
Officio: paribus ſtudiis, & honore viciſſim
Vmbra Deum Dea, formoſum formoſa colebat.
Ah! quid agis, Virgo? quò te malus abripit error?
Ah! Virgo infelix, infelix tu quoque Phœbe.
An Phœbus magis infelix, an tu Dea? Certè
Infelix Deus ille, infelix tu quoque Virgo.
Ecce ineunt reliqui feſtos per mutua cœtus
Cœlicolæ, inque vices celebrant convivia læti.
Vos certare odiis, pedibúsque fugacibus ecquis
Aut pudor, aut modus eſt? Tantas incidite lites.
Túque, ô Phœbe! prior radiis caput exue, túque
Parce metu Dea, tu plantis Dea parce tenellis.
Ah! Virgo infelix; propior vix adſtitit, ignem
Continuò rapuêre comæ, tinctúsque repentè
Horruit æternâ circùm caligine vultus.
Extemplò celeri vertit veſtigia plantâ.
Phœbus at impatiens flammæ, impatiénsque repulſæ,
Quò magis illa fugit, fugienti hòc acriùs inſtat.
Ad Zephyros fuga prima, dein telluris in orbem
Eſt quantum, æternos intexunt orbibus orbes.
Sublimem curru cùm Sol rapit alite Mundum,
Infernum Vmbra ruens prætervolat. Ille Triones
Cùm peragrat levis inſiſtens, fugit illa ſub Auſtros.
Per ſata, per fragiles curſu rapiuntur ariſtas:
Nec ſata, nec fragiles curſu læduntur ariſtæ.
Per freta, per liquidi fugerunt æquoris undas;
Nec freta, nec liquidi ſibârunt æquoris undas.
Quid faciat? Quò ſe præceps ferat? Abdita terris
Antra ſub, & ſolas valles, nemorúmque receſſus?
Additus hic etiam miſeræ inſidiatur, & omnes
Rimatúrque vias, aditúsque interrogat omnes.
Si quæ corde Dryas facili, ſuccedere luco
Invitet trepidam, & tacitæ indulgere quieti;

Languida

Languida vix licuit feſſæ componere membra,
Obſidet extemplò lucum, radiisque coronat.
Motarunt ſilvas Zephyris ludentibus auræ?
Occupat ille aditum, frondésque illabitur inter.
Si colles præter, rupes ſi præter acutas,
Aut montes ire excelſos miſeretur Oreas,
Hoſpitáque in vitam perſuadeat antra ſubire:
Non latuêre doli Solem. Cùm lætus Eoo
Promit odoratum caput, & cùm languidus undis,
Obliquè malus inclinat, longísque jacentes
Emenſus terras radiis obrepit in antra.
Si quæ Naiadum (Nympharum Naiades unæ
Sunt tenero faciles animo, ſunt pectore miti)
Oravit miſeram in placidas deſcendere valles:
Mulcet ubi tacitæ riguas in margine ripæ
Fortunata quies, & mollis Amaracus undas.
Pulvere vix licitum fœdo detergere frontem,
Collectámque ſitim dulci reſtinguere lymphâ,
Ducere vix animam: cælo cùm inimicus ab alto
Axe ſuper medio, querulos in vallibus amnes
Vexat agens, & anhelantem procul exigit Vmbram.
Illa alios curſus, alios iterare recurſus;
Illa fugas alias, alias iterare latebras
Cogitur: haud miſeræ requies, haud meta laborum.
Ergo pij Vates Vmbræ ſuccurrite. Muſas
Vmbra amat inſontes, placidos amat Vmbra Poëtas,
Séque illis ultro facilem cantantibus offert.
Stringite ſupremas umbroſa cacumina fagos,
Et ſummas teneris frondes inducite lymphis:
Stringite, & humenti (ſuperaddite) ſtringimus Vmbræ.
Parcite oves ultra procedere. Venimus, herbæ
Dives ubi tellus, ubi florum prodiga turget.

DAMON.

ECLOGA VI.

ARGVMENTVM.

DAmon, Paſtor repulſæ impatiens, decernit mori, & ſibi tumulum facit.

FABVLA.

EX argumento intelligetur Fabula.

DICITE ſupremos, Damonis dicite luctus,
Leiriades Muſæ, quorum miſereſcere rupes,
Litoráque, & rigido didicêre in cortice ſilvæ.
Paſtor ab ingratâ quondam Thaumantide Damon
Cùm fugeret, chari pecoris, calamique, ſuíque
Immemor, ah! nimium, veterésque oblitus amores
Per ſilvas, per ſaxa, per indiſcreta locorum
Ibat, ad immites donec ſtetit æquoris undas.
Hoc illum perhibent deſerto in litore ſecum
Ter denos fleviſſe dies, & nomine Divos,
Crudeles Divos, crudeliáque Aſtra vocaſſe.
Non illis roſeum ſurgens Aurora diebus
Extulit os, longos habuerunt nubila menſes,
Haud pelagi cecidit furor, haud cecidêre tumultus,
Vſque imbres, uſque & pluvio ſub ſidere nimbi.
Ille animi victus, ſilvas, fontésque, lacúsque,
Litoráque, & rupes, tanti loca ſola doloris
Conſcia, ſupremâ moriens teſtatur in horâ.

Damon Conigeræ pinus, intonſo vertice fagi,
Aëriæ quercus, dulcésque gementibus umbræ,
Dicite (nam fama eſt pueros, tenerásve puellas

Vos

Vos vixiſſe olim) cur non ſub cortice Damon
Vivere, cur nequeat veſtris in cœtibus arbor
Eſſe ſuper. Non ille optet contendere magnis,
Quod ſatis eſt, ſit molle ſiler, ſit pumila buxus.
At ſi reſtiterint Superi, fera numina: Vos ô!
Vos ſilvæ, accipite hanc animam: Sibi Græcia campos,
Elyſios habeat per me ſibi Græcia campos,
Hic eſto Elyſium. Noſtris hic Manibus ultrà
Quod ſupereſt, ſi quid ſupereſt, componere fas ſit.
Hic mecum lacrymas Fauni, Nymphæque dedêre:
Hic Nymphas inter, Faunósque errare licebit.
Silva, meæ cuſtos animæ, tibi credita cura,
Cura, ignisque meus, longum mihi denique ſalve,
Æternúmque vale; extremum, quod te alloquor, hoc eſt.
Rivule, cur teretes irato rore lapillos
Spumeus objurgas? Vitreâ neque Naiades undâ,
Sed neque te ſaltu in viridi ſprevêre Napææ;
Et quereris tamen, & luctu tua litora comples.
Quanquam, ô! ne ceſſa in lacrymas, decet omnia fletus
Numina; téque adeo, Tethis tua flevit Achillem.
Rivule, perge precor: Nymphis ediſſere, ſive
Quæ fluvios, fontésque ſacros, amnésque perennes,
Seu quæ ſtagna tenent, & Tethios humida regna.
Dicito, litoribus, non tot, cùm ſævus Orion
Incubuit, fluctus ſurgunt, quot pectore Damon
Dat gemitus, quantos oculis lacrymantibus imbres.
Dic ollis: Vixit Damon. Ah! ſiſtite Nymphæ,
Nereïdes Nymphæ, lacrymarum ſiſtite fluctus.
Vixit, cùm decuit, Damon. I, Rivule, perge,
Æternúmque vale; extremum, quod te alloquor, hoc eſt.
O! animi pars magna mei, Philomela, beati
Ó! nemoris Siren, ſub quâ didicêre magiſtrâ
Et Parus, & Trochilus, pictis & Achantides alis,
Et numeris quæcunque ſuos meditantur amores.
Non ego te poſthac ſolâ ſub nocte, reclinis
In cubitum, effultus violâ, teneróve hyacintho
Mulcentem Satyros, & agentem carmine Nymphas
Excipiam, inque vicem blandos æquabo labores.
Si bene quid de te merui, ſociique Penates,
Et lacrymæ, & gemitus, caſtique merentur amores,

Sim gemitus pars una tui, gemitûsque ſororum
Pars aliqua; hæc veſter moriens vos poſtulat hoſpes.
Hâc potui tenus: extremum, quod te alloquor, hoc eſt.
O! præceps ſaxi facies, ô! fornice curvum
Puniceo tectum. O! ſparſis labruſca racemis,
Caſta fide domus, atque meæ bene conſcia mentis,
Excipe, Damonis poſtremos excipe verſus.
Huc ſi Paſtor oves, ſi fortè armenta bubulcus
Egerit, hæc primo relegens in limine ſiſtat.
Hic locus hic ſacer eſt: Divûm hoc ſæviſſimus antro
Aram habet, hîc lacrymas Damon cum ſanguine fudit.

CORYDON.

ECLOGA VII.

CODRVS. THYRSIS. CORYDON.

ARGVMENTVM, ET FABVLA.

CODRVS, & Thyrſis Paſtores certant inter ſe. Thema diſputationis eſt ejuſmodi. Codrus Luciferum Veſpero, & matutinum tempus ſerotino præponit: è contra Thyrſis ſtat, & Veſperum Lucifero anteponit. Corydon Arbiter certaminis litem dirimit, & eam utrique adjudicat. Docétque eandem eſſe ſtellam, quæ dum manè oritur, Lucifer; dum ſerò, Veſper dicatur.

Codr. ERGO decus cæli venit Heſperus? Eia age: Thyrſi,

Thyr. Illũ Lucifero æquipara: jam lumine vincet.
Iam victum toties rurſus contendere Codrũ
In triviis pueri, in tectis risêre puellæ.
Deſinite irarum pueri. Sunt otia Nymphis,

Corid. Otia ſunt Nymphis cordi, ſunt carmina Phœbo.
Incipe, Codre, prior; tu grandior, ille ſequetur:
Muſarum hic locus eſt, habitant nemora omnia Muſæ.

Eoâ

Codr. Eoâ ut nitidum lætus caput extulit undâ
Lucifer, ut tenebræ fugiunt, ut decolor umbra,
Vmbra fugit. Lux exoritur pulcherrima rerum?
Pulchrâ luce micant flores, & floribus horti.
Thyrſ. Lucifer ille tuus terras, cœnúmque, lutúmque
Explicat, oſtentans paſſim ſqualentia rura:
Lucifer ille tuus cœlúmque infuſcat, & Aſtra.
Nam quò Pleïades fugitis? Proceſſit Eoüs.
Codr. Veſper adeſt, pallete roſæ, pallete hyacynthi:
Quò fugitis Dryades? Quis Nymphas occupat horror?
Veſper adeſt. Cur omnis ager, gentísque canoræ
Conticuêre chori? Triſti venit Heſperus aſtro.
Thyrſ. Veſper adeſt, & Bacchus adeſt, adſunt Hymenæi:
Veſper adeſt, & pulcher adeſt cum matre Cupido:
Veſper adeſt, adſunt Charites. Date cymbala; Feſtæ
Cur ceſſant choreæ? Pulchro venit Heſperus aſtro.
Codr. Mane novo volucres implent concentibus auras,
Salvete, ô! pulcher chorus. En ut ovilibus omnes
Mane novo ſaliunt agníque, hædique petulci;
Floribus inſultant, & ſumma cacumina carpunt.
Florentem cythiſum, florentes carpite dumos.
Thyrſ. Cùm Zephyri revehunt horis ducentibus Aſtra,
Vbera diſtentæ redeunt ſub tecta capellæ:
Lac ſuperat; Vos, ô! matres, ſupponite mulctra:
Vos Nymphæ, miſtæque nurus, pede plaudite: Paſtor
Omnis adeſt, feſto reſonent tecta omnia cantu.
Codr. Exortâ jam luce, ſuis in collibus uvas
Vinitor, in campis meſſor collegit ariſtas;
Omnigenæ magnis oriuntur in urbibus artes:
Exortæ cum luce, ſimul cum luce recedunt.
Thyrſ. Aurea dum facili labuntur ſidera lapſu,
Nocturno tacitus partu labor extudit artes;
Quásque parit nox una, dies mirantur, & uſque, &
Vſque fatigati exercent per ſecula ſoles.
Codr. Cùm Sol exoriens tenebras, noctémque reſolvit,
Tum Reges auro elucent, armísque decori
Per medias volitant acies, & bella laceſſunt.
Ecquis nocte agitat celſa ad Capitolia currus?
Thyrſ. Nox hominum ſtudia, & curas miſeratur inanes,
Aut lenit ſomno, aut mutatis ſortibus æquat:

Sæpe

Sæpe pedum ſceptris mutat, Regalia ſæpe
Sceptra pedo: Noctu placuit mihi ſceptra tenere.

Codr. Inſtituêre dies feſtos, & præmia patres,
Inſtituêre patres, luctatur læta juventus:
Déque die nos è quercu ſuſpendimus altâ
Oſcillum, argutæque volamus hirundinis inſtar.

Thyrſ. Et flores noctu, & noctu ſaturantur ariſtæ:
Somnus alit feſsúmque pecus, pecorisque magiſtros:
Oſcillum fruſtra quercu ſuſpenderis altâ,
Si quid te ſomni, ſi noctis deſerit humor.

Codr. Nox uno geminam partu tulit horrida prolem:
Ah! fugite, ah! pueri. Somnus cum Morte ſorore
Limina jam vitæ ſuperat, procul ite puellæ:
Cæcus uterque, & uterque ferox, informis uterque eſt.

Thyrſ. Phœbum Nox peperit, peperit Nox illa Dianam.
Somnus alit pueros, pulchras alit ille puellas,
Et vegeto informans ſaturat membra omnia ſucco:
Dormite, ô! pueri, pulchræ dormite puellæ.

Coryd. Haud operæ eſt magnæ, veſtras componere lites:
Pulcher adeſt, nitido qui ſurgit Lucifer aſtro;
Pulcher adeſt, lotus qui ſurgit ab æquore Veſper:
Et, qui manè nitet formoſo Lucifer aſtro,
Idem ſerò nitet formoſo ſidere Veſper.

DELPHIS.

ECLOGA VIII.

MELIBÆVS. TITYRVS.

ARGVMENTVM.

Delphidi tumulus & ſepulchrum excitatur.

AMquis te patriis tam longos, Tityre, menſes
Collibus invidit? Zephyris te mollibus auræ,
Te ſilvæ gemitu, querulo te vitreus amne
Bivara, te Gentiliaci flevêre receſſus.
Fama fuit, poſtquam crudeli funere Delphis
Occidit, aut alio te rura tepentia ſole
Quæſiſſe, aut etiam poſuiſſe ſub æquore vitam.
Tityr. Dicam equidem, ut noſtro Delphim vis invida leti
Complexu tulit, & triſti ſub funere merſit:
Tum mihi nec calami, nec lætis frondibus umbræ,
Nec niveas amor in pecudes, nec rura placere.
Impulit, ah! fateor, ſenſus, vicitque cupido,
Et fontes alios, aliósque inviſere colles:
Sed neque qui fontes peregrino in gramine currunt,
Sed neque qui colles peregrinis vallibus exſtant,
Externive queunt curas avertere ſoles.
Iam mihi cùm vitæ ſpes nulla, nec ulla mederi
Eſſet cura ſuper, ſolis in vallibus antra,
Et maris irati ſpumantia litora circùm,
Errando vitam in lacrymis, luctúque trahebam.
Fortè igitur, ſilvæ cùm flerem acclinis ad oram,
Me dulcis cepit ſomnus, tum ſomnia late

Incurrunt

Incurrunt, pulchrâque agitant in imagine mentem.
Aërij latus ad montis ſpelunca ſubibat
Altiùs in cóllem: veſtibant liminis oram
Implexæ ſimul, & ſecum per mutua junctæ,
Et Myrthi, & Laurus, & coniferæ Cypariſſi.
Intus puniceo pendebat fornice tectum,
Et molli circùm lapſu ſerpebat Achantus:
In medio, nigrâ ex ebeno, ſectóque elephanto,
Extabat tumulus: variis emblema figuris
Inſcribit latera, & multâ lacrymatur in arte.
In dextro, fuerant olim quæ Delphidis arma
Fracta jacent: paribus nodis, atque ære recurvo
Paſtorale pedum, calamíque, & tibia, ruptáque
Vtricula, & mœſto lacrymabilis ore Lyciſca.
Melib Anne etiam poterat torquata Lyciſca notari?
Tityr. Ipſa etiam poterat torquata Lyciſca notari.
Melib. Et calami? *Tityr.* Et calami, quos Delphis triverat ore.
Ad lævam Charites lugent in marmore, pulchro
Ore quidem Charites, ſed agreſti veſte puellæ:
Qualis adeſt Phyllis, qualis Galatea, pudico
Ægle qualis adeſt vultu. Manantibus ora
Stillabant lacrymis, gemitu pia corda tumebant.
Cæſaries ſine lege fluit, candentia plenis
Lilia dant illæ calathis, & vernam Anemonen.
Melib Non mihi tot Charites, ſat erit mihi ruſtica Clio;
Vna mihi ſat erit Clio: tres Delphidi ſunto.
Tityr. At primâ ſub fronte, Deûm pulcherrimus, altè
Succinctus, mortem pharetrâ ſpoliârat, & arcu:
Ille genu nitens lævo, dextrâque coruſcans
Iratâ jaculum, ſtratam ſuper adſtat inhærens.
Melib. Macte, amor; Euge, cave ne te malè callida fallat.
Tityr. Extremâ jam parte nitet puriſſimus æther,
Et roſeo veſtit florentes lumine campos.
Hic mirtheta inter labuntur nectare rivi,
Mollibus in pratis læti ſpatiantur amantes,
Arbitrióque ſuo gaudent componere curas.
Melib Hæc fuerint ſi vera, mori me denique præſtat.
Tityr. Tum ſuperâ in facie morientis imago jacebat
Delphidis, & quamvis vitæ mors atra nitorem
Abſtulerat, tamen ille Deos ſuperabat, & aſtra:

Illum

Illum ego compellans lacrymis affabar obortis.
Qui te, Delphi, tenent campi? Quæ ruris amœni
Gloria? Quò pecoris nivei, quò cura receſſit
Et calami, & noſtri? Tibi cur deſpectus Amyntas
Ille tuus? tibi cur Damon? cur Tityrus? Ecce
Omnes deſpicimur: Nam quis deſpexit amantes?
Nunc liquidi ſordent fontes, nunc flumina ſordent:
Defluxêre comæ ſilvis, hederisque corymbi.
Ecce agni cythiſum, cythiſum fugêre capellæ:
Et quæ cura pecus, pecoris tenet illa magiſtros.
Ergo ades ô! tandem: Nam ſi quid pergis abeſſe,
Hoc omnes tumulo, hoc omnes condemur in antro.
Vix ea fatus eram, cælo cùm lapſus ab alto
Adſtitit intonsâ Delphis bene comptus olivâ.
Et prior. Ecquis erit tandem modus. Eia age; luctûs,
Tityre, jam nimium eſt. Poſtquam me læta piorum
Excepit regio, inſanis te queſtibus ultra
Indulgere nefas, ævúmque abſumère fletu.
Parce ultra: nam quid lacrymis mea gaudia turbas?
Grex tuus interea colles, ripásque pererrat
Immemor herbarum, ſalientis & immemor undæ;
Balatu queritur tantùm, & vix oſſibus hæret.
Multa tibi pendet mœrenti fiſtula quercu.
Te fontes, te rura vocant: Tu rura reviſe
Ocyùs, & liquidis manantes fontibus undas.
Dixit, & avertens meditantem multa reliquit.
Hinc antiquus amor nota in præcordia venit,
Et teneri ſtudium pecoris, calamique voluptas,
Atque amor in patriam, tum veſtri cura videndi.

DAPHNIS

ECLOGA IX.

IVGEMVS Daphnim Paſtorem; occidit Daphnis,
Daphnis occidit, & pax fugit longè à nobis.
Ex illo tempore capellæ meæ ſæpiùs incurrunt in (ſe cornibus,
Et quæ erant priùs quietæ, nunc inter ſe pugnant
Frequentiùs. Heu! heu! per Nymphas capellæ meæ
Quieſcite ô! ſuaves. Hem hæc rurſus, hæc prava.
Daphnis occidit, & pax fugit longè à nobis.
Symetha luget quòd cornu ſibi fregerit ſiniſtrum,
Heri Ciſſethæ fregerat dextrum. Ecce etiam hic
Daſichætes vir gregis utrumque amiſit,
Illum bubulcus malus ſaxo percuſſit. Occidit Daphnis.
Daphnis occidit, & pax fugit longè à nobis.
Lupos miſerè timeo cùm ſim parvus. Lupi ſunt
Etiam bubulcis timendi: Canem amatorem gregis ſtrangulavit
Lampurum catulus lupi, & capram quæ gemellos pepererat.
Clamabam ego, ſed exiliter. Ille enim ringebat dentibus,
Ille ringebat dentibus, & ego vehementer timebam.
Daphnis occidit, & pax fugit longè à nobis.
Ripis conviciatur, & arenis hic rivus aquæ,
Vos igitur ô Cycni Muſarum aves lugete.
Ventus ex alto in ſilvas irruit, rami
Franguntur, terra illis ſpargitur,
Vos roſæ, vos hyacinthi, vos anemonæ timete.
Daphnis occidit, & pax fugit longè à nobis.
Noſter bubulcus peritiſſimus canendi
Damætas inquit (mihi enim ſatis eſt fontes, & rubos
Canere) Leonem Venetorum ad fluctus maris miſerabiliter
Lugere, quia Daphnis mortuus eſt, qui ſpinam

Quæ

ΔΑΦΝΙΣ.

ΕΙΔΙΛΛΥΟΝ.

ΑΦΝΙΔΑ κλαίωμες τὸν ποιμέν'. ἀπώλετο Δάφνις.
Δάφνις ἀπώλετο, κ' εἰρμία δράμε τηλόθεν ἀμῶν.
Ἐκ τήνω γε μάλισα κορύπιλος ἐντὶ τραΐσκος,
Ἀσσύχιαί τε πρώδω χίμαραι κεράεσι μάχονται
Νιῶ πλέον. Αἰ, αἰ, τᾶν Μοισᾶν ποτι αἴσες ἐμοῖαι
Παύσαθ' ὦ γλυκεραί. χ' ἃ μὲν πάλιν, ἃ δὲ κάκισα.
Δάφνις ἀπώλετο, κ' εἰρμία δράμε τηλόθεν ἀμῶν.
Ἦ ῥα ραΐεισα χέρας Συμαίθις ὀδύρετο λαιόν,
Ἐκθὲς Κισσαίθα ⟨ δέξιον· ἰὼ ὦ τῆνος
Ἀμφότερον Δασσαίτης αἰσῶνος καλὸς ἀνήρ,
Τὸν πέτρα βώτας ὁ κακὸς τύπ'. Ἀπώλετο Δάφνις,
Δάφνις ἀπώλετο, κ' εἰρμία δράμε τηλόθεν ἀμῶν.
Τὼς λύκος αἰλίνα μικκὸς ἐὼν τρομέω· λύκοι ἐντὶ
Καὶ βώταις φοβερόν. Κιὼα πρὰν φιλοποίμνιον ἄλκε
Λάμπυρον, ⟨ τὰν λυκιδὶς διδυματόκον αἶγα
Τυλθὸν ἐμὶ φωνοῦντος. ἔραπε δ' τῆνος, ὀδόντας,
Τιῶος ὀδόντας ἔραπεν, ἐὼν μάλα πολλὰ φοβούμαν.
Δάφνις ἀπώλετο, κ' εἰρμία δράμε τηλόθεν ἀμῶν.
Ἤνας ὑβρίσθη, ψαμάθης τε τὰ νάματα τῆνα·
Ὄρνιθες Μοισᾶν μύρεσθε ποθ' ὕδατα Κύκνοι.
Ὤνεμος ὑρμώθεν περικάππεσε τ' ἄλσεα, πρέμνοι
Κλάζοντι, ποτὶ τὰν γᾶν πάσετο ὄζος ἀπ' ὄζω·
Νιῶ ῥόδα, νιῶ ὑάκινθε τρομεῖ, νιῶ ⟨ τ' ἀνεμώνα.
Δάφνις ἀπώλετο, κ' εἰρμία δράμε τηλόθεν ἀμῶν.
Ἡμίτερος βώτας ὦ ψσάμμιος καλὰ εἰπεῖν
Φατὶ Μενάλκας (μοι κρωΐας, μοι τὼς βάτος ἔρκη
Ποππύσδεν) τὸν λῖν Ενέτων παρὰ κύματα συρῖνον
Μύρεσθ'. οἱ γὰρ ὑπὸ τὸ σφύρον πάλαι ἠὺς ἄκανθα

Quæ illi adhæſerat ad pedem, extraxerat.
Daphnis occidit, & pax fugit longè à nobis.
Sarmatica Aquila in ſilvis luget mortuum
Daphnidem, valles miſerabiliter reſonant,
Et montes, & fluvij, & fontes, & profundæ ſilvæ:
Illi aquilæ compegit alas quæ vellebantur Daphnis,
Et laqueis ſolvens validis ipſam liberam dimiſit.
Daphnis occidit, & pax fugit longè à nobis.
Terra illa, quæ gaudet tribus coronis pro inſigni, luget quoque:
Terra illa Vrſæ ſuppoſita eſt & Draconi,
Luctus ad Vrſam, uſque ad Draconem pervenit:
Et vos ô Leones Dani, & Batavi lugetis.
Daphnis occidit, & pax fugit longè à nobis.
Illum urbes, illum magnæ civitates,
Illum vici minores, & caſæ paſtorum,
Illum populi, & Reges lugent. Lætatur ſolus Mars Deus belli;
Mars, ô Mars pernicies hominum lætare, occidit Daphnis.
Lugemus Daphnim paſtorem, occidit Daphnis.
Daphnis occidit; & pax fugit longè à nobis.
Sic Damætas cecinit, illi verò reſpondit Delphis:
Tempus erat, quando ſub Zephyro bene olenti prata
Florent, venit Hebe filia Clearistis
Colligere violas, colligere hyacynthos.
In capite geſtabat coronam, ipſa verò peritiſſima canendi
Cantabat ſic, memini, nam tunc grex meus ſaltabat.
Muſæ Bucolicæ cantate Daphnidem paſtorem:
Daphnis Paſtor eſt inter Beatos; Tu igitur pax redi ad nos;
Certè pacem amat Deus,
Certè pacificos valdè amat:
Daphnidem igitur maximè, quin etiam filium ſuum dixit
Quòd bella ſedaverit, & pacem ſuaſerit.
Daphnis eſt inter Beatos; tu igitur pax redi ad nos.
Beatorum multitudo innumerabilis
Daphnidi obviam venit, parentes maximè, & pater ipſe;
Et avus, & abavus, imprimis verò Sacerdos
Memmius qui ſacrificabat Deo ad altaria
Pro Rege Francorum Ludovico nono.
Daphnis eſt inter Beatos, tu igitur pax redi ad nos.
Salvere nepotum glorioſiſſimum, & amabiliſſimum
Iubet ille. Tu quidem (inquit) inter omnes populos celebraberis

Honoratus

Οιον ἐρῤδομβῴλιν ὀνύχεσιν ἐτίλλατο Δάφνις.
Δάφνις ἀπώλετο, κ' εἰρμία δρᾶμε τηλόθεν ἀμῶν.
Σαρμάτικός μὰν ἐν δρυμοῖ' ὠέκλαυσε θαμόντα
Αἰετὸς, ἁλαλέως γοάοντα ἐκώκυον ἄλκη,
Χ' ὧρεα, ⟨ποταμοί, ⟨νάματα, ⟨βάθος ὕλας·
Αἰελῶ ἔμπυξε περύσων ἀποτίλμασι Δάφνις,
Ταυλάγεσσι λύων κρατεροῖς νιν ἐλεύθερον ἦκε.
Δάφνις ἀπώλετο, κ' εἰρμία δρᾶμε τηλόθεν ἀμῶν.
Τᾷ τριόδι σεφαίων ἐπίσημος ἐκλάυσατο χώρα·
Τᾶν ἁρκίων ὑποθεῖσ', αἰρίω τ' ὑποθεῖσα δράκοντος·
Ταῖς ἁρκίως κλαυθμὸς, συλερόν τε δράκοντα κιχάνει·
Ω Δαιῶν λᾶες, λᾶες γοάεσθε Βατάνων.
Δάφνις ἀπώλετο, κ' εἰρμία δρᾶμε τηλόθεν ἀμῶν.
Τίων εὐκτισαι πόλεες, μεγάλ' ἄστεα τῆνον,
Τῆνον ποιμῆνες μύρωντο παρ' ἄλσεα κῶμαι,
Χ' ὠ δᾶμος, χ' ὦναξ. Γάθησεν μῦθος ὁ Αρης.
Αρες, Αρες γαθεῖ βροτολοιγὲ, κατέκτανε Δάφνις.
Δάφνιδα κλαίωμες τὸν ποιμέν', ἀπώλετο Δάφνις·
Δάφνις ἀπώλετο, κ' εἰρμία δρᾶμε τηλόθεν ἀμῶν.
Οὕτω Δαμοίτας, ὅτως ὠεβάλλετο Δέλφις.
Ης χρόνος δίωδε Ζεφύρω πόκα ποιπνὰ πέτηλα
Λαμώνων φῶθεῖ, κ' ἰῶθ' ἁ Κλεαρίσιδος Αβα
Δρέψασθαι τὸ ἴον, δρέψασθ' ὑακίνθινα φύλλα,
Κρατὶ δ' ἔχοισα καλῶ σέφαμον πολυΐδρις ἀοιδός.
Αδετο, μέμναμαι, πόκα πᾶς ἀρχεῖτο τραγίσκος.
Δάφνιδα βωκολικαὶ τὸν ποιμέν' ἀείδετε Μοῖσαι·
Δάφνις ὁ ἐν μακάρεσσι, τὸ δ' εἰρανῖ ἕρπε ποτ' ἄμμες.
Ναὶ τὰν ἀσυχίαν ὑλύμπια δώματα ναίων,
Ναὶ τοὶς ἀσυχίοις περιώσιον ἀμφαγαπάζῃ,
Δάφνιδα Ὃ πρᾶτον, ⟨ φίλτατον ἡέα θῆκε,
Τῷ τε βοᾶν πάυῃν, τῷ τ' ἀσυχίαν καταπείθῃν.
Δάφνις ὁ ἐν μακάρεσσι, τὸ δ' εἰρανῖ ἕρπε ποτ' ἄμμες.
Τῶν μακάρων μέν ἐμιλγες ἀνήριθμοι, ⟨ ἄμειροι
Αντίον ἐνθόντες πατέρες Ὃ μάλιστα, τεκών τε,
Καὶ πάππος, ⟨ πρὸς πάππῳ, ⟨ πρᾶτος ὁ ἱρὸς
Μέμμιος, ὃς ῥέστοκε θεῷ ἱεροῖς ἐπὶ βωμοῖς
Ηβητῆρος ὑπὲρ Φραίχων ἐνάτῳ Λοδοίκῳ.
Δάφνις ὁ ἐν μακάρεσσι, τὸ δ' εἰρανῖ ἕρπε ποτ' ἄμμες.
Χαίρῃν κύδιστον, χαίρῃν περιλαμπέα ἄμμιν
Εὐλὸς ἔφη. τύ Ὃ μὰν λαοῖς κελαδήσεο πᾶσιν

Αισμος

Honoratus, & prudentiſſimus mortalium.
Hic tamen cum parentibus beatus vives, hic omnia beata ſunt;
Nam hic Deus bonorum omnium largitor beatos facit.
Daphnis eſt inter beatos, tu verò pax ad nos redi.
Hæc cùm dixiſſet, gaudentem Daphnidē in ædibus pulchris conſtituit
Bene ædificatis, conſtructis ex adamante.
Subter verò erant horti, & ordines arborum,
Et quercus, & platani, & pinus, & cypariſſi.
Daphnis eſt inter beatos, &c.
Illic neque frigus teneritudinem gemmarum, neque flores exſiccat
Sol, ſimul ſunt Ver & Autumnus,
Hæc fructus affert, illud verò flores.
Daphnis eſt inter beatos, &c.
Ipſi verò Daphnidi inde eſt via lata ad domum Dei:
Quò vadit cùm lubet, & alloquitur patrem cæleſtem.
Petitque quidquid placet, & omnia illi dantur,
Pacem autem petit maximè, pacem bonus obtinebit.
Daphnim Bucolicæ paſtorem canite Muſæ,
Daphnis eſt inter beatos, tu igitur pax ad nos veni.

Αισμος ὕμηττός τε βροτῶν προφερέστατος ὠδρῶν.
Η ῥ' ἄμμιν τοκέεσι σιωπόλιος ὅλια πάντα
Οὐρωόθ' ἁ τε θεὸς πάντα ἀπόρε χθρήματα δώτωρ·
Δάφνις ὁ ἐν μακάρεσι, τὺ δ' εἰράν' ἔρπε πολ' ἄμμις.
Ταῦτ' εἰπὼν γηθόντα κατήξατο δώματι καλῷ
Εὐπήχλῳ, σερεοῖο τετυγμένῳ ἐξ ἀδάμαντος.
Νέρθεν ἔλων χάπος πολυδένδρεος, ἐντὶ δ' ὄρχος,
Αἱ δρύες, αἱ πίτνες, πλάτανοί τε, ϛ οἱ κυπάρισσοι.
Δάφνις ὁ ἐν μακάρεσι, τὺ δ' εἰράν' ἔρπε πολ' ἄμμις.
Τιὼ μήδε χρύος θαλλὸν, μήτ' ὠθεα φρύπᾳ
Αλιος, ἀλλήλοισιν ἀμοιβαδὶς εἴαρ ὀπώρα.
Κερπὸς ἠδὲ φέροισα ἰαίνεται, ὠθεα πῆνο.
Δάφνις ὁ ἐν μακάρεσι, τὺ δ' εἰράν' ἔρπε πολ' ἄμμις.
Οἱ πηνῶθε πλαθεῖα θεῷ ποτὶ χαλκοβατὲς δῶ,
Καὶ πατέρι φοιῶν ἀγορεύεται ὑρμιώνι
Πρώτα βροτοῖς αἰτῖζον ὅλια, πάντα δέδονται,
Εἰράνῳ τε πολὺ πλέον, εἰράνῳ εἰς ἔτι.
Δάφνιδα βωκολικαὶ τὸν ποιμέν' ἀείδετε Μοῖσαι,
Δάφνις ὁ ἐν μακάρεσι, τὺ δ' εἰράν' ἔρπε πολ' ἄμμις.

Digitized by Google

DE CVLTVRA ANIMI.

LIBER PRIMVS.

PRVDENTIA.

PARTITIO.

DVABVS partibus hic Liber continetur. Prima inveſtigat finem, cujus gratiâ homo eſt in rerum naturâ. Secunda quærit rationes, atque vias, quibus ad finem illum perveniri poſſit. Iſtis enim duabus rebus Prudentiam contineri ſcitum eſt.

In primâ itaque parte ſtatuitur finis hominis eſſe Dei O. M. gloria, & ipſius hominis beatitudo. Quæ res, quàm difficiles habeat explicatus, nemo non intelligit. Sic verò à nobis evolvitur, ut primò ſtatuamus Deum exiſtere, qui res omnes, atque adeò hominem creârit; deinde oſtendamus, Deo conſtitutum eſſe hunc finem, ut gloriæ ſuæ obſequatur, & felicitatem homini procuret: tum nefas eſſe homini ab eo fine recedere, ac proinde neceſſariò hunc finem ipſi eſſe poſitum, ut divinæ gloriæ imprimis, deinde ſuæ beatitudini ſtudeat.

Secunda pars per ſe plana eſt. In eâ aperiuntur viæ, quibus ad finem illum itur. Sunt illæ tres maximè: prima eſt militia, ſive armorum gloria atque dignitas: ſecunda, forum, hoc eſt, juris dicundi peritia, & poteſtas: tertia, rerum ſacrarum adminiſtratio. Hinc oriuntur tria vitæ agendæ inſtituta, quorum bona malaque aperiuntur: electio verò unicuique permittitur.

OBSERVATIO.

IN primâ parte multa ſunt ardua, tum illud imprimis, ut demonſtretur Deum exiſtere, qui ſit finis hominis. Id porro conamur facere à corporis humani fabricâ, & internarum partium conformatione, oculorum, cerebri, & aliarum, atque imprimis circuitione ſanguinis, quam circulationem indigitant, qui nuper illius inventores fuêre. Illa cùm ſit ſapientiſſimi artificis opus, demonſtrat Deum eſſe ſui auctorem, & architectum; quam paucis explicare placet, tum quia per ſeſe ſcitu digniſſima eſt; tum, & quidem multò magis, quia molliorem viam ad poëſim noſtram facit.

SANGVINIS CIRCVITIO, ſive circulatio explicatur.

IN corde eſſe duplicem ſinum, quorum unus dicitur dexter, ſecundus verò ſiniſter, notiſſimum eſt.

Tum venas per totum corpus humanum tranare neminem latet. Illæ ex omnibus partibus per venam cavam in cordis ſinum dextrum ſanguinem infundunt, ita ut eâdem viâ iterum in venas redire nequeat. Nam ad extremitatem venæ illius cavæ, quâ in cor influit, tres ſunt veluti portæ exiguæ, quæ valvulæ dicuntur. Introrſum itaque valvulæ cor versùs aperiuntur, & viam ſanguini ingredienti faciunt, regreſſum verò accuratè impediunt.

Sanguis ergo à ſinu dextro cordis, in quo receptum illum vidimus, per venam arterioſam in pulmones meat, neque per illam redire poteſt. Valvulæ enim hîc quoque ſunt tres numero, quibus officium eſt exitum illi dare, & reditum prohibere.

A pulmonibus ſanguis per arteriam venoſam in ſinum cordis ſiniſtrum delabitur, nec retrocedit, duabus hîc valvulis ad id officij conſtitutis. In hoc ſiniſtro ſinu ſanguis exquiſitè coquitur, ac deinceps ſpiritus vitalis propter tenuitatem ſuam dici ſolet.

Poſtquam igitur ſpiritus vitalis in ſinu iſto ſiniſtro incaluit, tum erumpit per Aortam (quæ eſt truncus arteriarum) in arterias omnes; neque illi eâdem viâ redire licitum eſt, propter tres valvulas, illis prioribus non diſſimiles.

Fluit itaque ardens ille ſpiritus per arterias, quæ venis ſuppoſitæ unà cum illis totum corpus ambiunt.

Nunc verò ad id miraculi, quis non ſtupeat? Extremæ illæ arteriarum veluti fibræ inſertant ſeſe omnes, aut pleræque omnes in venarum extremitates, quæ oſcula quaſi parva ora dicuntur.

Atque

Atque ita ſpiritus ille vitalis, in arteriis contentus influit in venas, & à venis iterum per venam cavam in ſinum cordis dextrum remeat. Quanquam & id mirabile eſt, venas illas, in quas arteriæ quædam ſe non inſerunt, ſanguinem ſpirabilem ab arteriis in carnes infuſum, ne redundet, ſubtiliſſimè fugere, & ad cor, eo quo dictum eſt pacto, iterum derivare.

Atque hæc eſt nobilis illa ſanguinis circuitio, quam Circulationem appellant.

PRVDENTIA.

CHRISTIADAM quæ res faciat, quæ gratia morum
Sit ſanctæ potior genti, quæ denique Regi
Et ſtudia, & mores deceant, bellique labores,
Hinc meditor. Grandi quamvis mihi carmine dicta
Hæc fuerint, ſonitúque tubæ cantata per orbem:
Attamen haud omnes, ficto quid fabula verſu
Diſſimulans tegat, aut cælo ſublapſa loquantur
Numina, & Heroës doceant in prælia miſſi,
Explorare valent. Falſo ſeponere verum
Eſt licitum paucis, quos experientia rerum
Longior, aut verbis ſancti docuêre Parentes.
Præterea haud omnes ſpumantia ſanguine bella,
Aut dotanda juvat triſti Lavinia fato.
Quare agite, ô! juvenes, recto quà tramite Chriſtus
Invitat, vobisque viam patefecit ad aſtra
Multa monens, alacri mecum ſuccedite paſſu.
Heroũm genti magnum decus addite, ſancta
Quem cælo aſſertum pietas, Superique repoſcunt,
Interea dum te nobis, dum Numen amicum
Credit adhuc, ſinit & noſtros inviſere cœtus,
Huc, Haberte, potes ſi quid ceſſare, nec uſque
Invidet externo tua te Lutetia Vati.
Hic ſtrepitu procul, Andinis ſub collibus umbras,
Et lenes Zephyros ſectaberis; Hic tua mecum
Facta recognoſces: Sanctos componere mores
Qui ſoleas, qui venturis intendere mentem

Caſibus, & cæcos rerum pervadere ſenſus.
Tum nemoro in tacito, riguive in margine fontis,
Curarum vacuus releges, ut clarus in oſtro
Æternis Francum modereris legibus orbem:
Fortunæ ut volucrem currum, radiósque rotarum
Præcipites, & equûm fumantia lora moreris.
Principiò quiſquis verâ pietate movetur,
Atque ſuum Chriſto meditatur ſcribere nomen;
Ille mihi partes animum verſabit in omnes,
Certabitque memor vigili cognoſcere curâ,
Ecquis, & unde genus ducat, quo fine ſub auras
Exierit, vitæque trahat ſpirabile lumen.
Namque illum tantis qui mentem advertere rebus
Abnuat, Ionio deprenſæ in litore puppi
Crediderim eſſe parem, cœco quam turbine verſans
Ludibrium Eurus habet: clavum cùm rector ad altum
Interea ſedeat nemo, vel neſcius ille,
Quove ferant Auſtris, referántve Aquilonibus auræ,
Imprudens dubiæ moderetur fræna carinæ.
Corporis ergo tui (neque enim te longiùs actum
Hinc procul ire velim) ſpeciem, formámque, decúsque
Aſpice, & erectos mirare ad ſidera vultus:
Cùm tamen omne genus pecudum, genus omne ferarum
Ad terram abjiciat curvato corpore paſtus.
Quòd ſi fortè negas adytis immittere greſſus,
Atque arcana ſequi; ſi te vires animúsque
Deficiunt; mecum ſaltem nunc aſpice, quanta
Lux oculis (oculos amens quis noſſe recuſet)
Quis decor affuſus niteat, quantique lepores
Inſideant. Hîc lætus Amor tentoria fixit;
Hic habitat facilis Riſus, Charitésque, Iocique.
Quin etiam, ſi quando animus percellitur irâ,
Scintillant olli; ſi victa dolore fatiſcit
Vis animæ, lacrymis largè manantibus undant.
Quis facili torno, veluti ſi raſile buxum
Flecteret inſiſtens, illos circùm egit in orbem?
Cur geminos? cur non mediis in frontibus unos?
Qualis erat Siculâ quondam Polyphemus in actâ
Quis tunicas numerare queat? Quis ſcribere verſu
Humores varios, totámque ex ordine formam?

Hæc

Hæc aliis, quos Melpomene meliore beavit
Ingenij venâ, quondam memoranda relinquo.
At quis prætereat radiis, & luce coruſcam
Formoſi pupillam oculi? Oceanitidas inter
Qualis Nereïdas pulchro Thetis eminet ore:
Sic vitreos amnes inter, riviſque nitentes
Cæruleis inter ripas, pupilla reſedit.
Hanc Graij, hanc Indi, hanc Arabes dixêre puellam.
Pupula Romanis blando de nomine fertur.
Illa animæ primos aditus & limina cuſtos,
Arbitrio mentis reſerat, reſeratáque claudit.
Poſtquam igitur vitreum reſeravit pupula limen,
Huc pictæ rerum ſpecies, ſimulachráque ſeſe
Præcipitant. Aditu in primo, portisque ſub ipſis
Confudêre vias, mox & diſcreta feruntur
Ordinibus, tandémque oculo pinguntur in imo.
Hic varios videas vultus, habitúsque, colorésque,
Et quo quæque ſitu ſedeant, ſurgántve, cadántve;
Vitáque, quam Zeuxis nullus, quam nullus Apelles
Pinxerit, hic roſeo floret depicta colore.
Quid! duplices cerebri tunicas, quarum altera molli
Pelliculâ, mater pia dicitur, altera duræ
Nomen habet? Tibi quid referam mirabile rete,
Et varios memorem plexus, tortósque meandros?
In medio ſolium, ſummóque in vertice ſedem
Mens Regina locat, ſenſus unde illa jacentes
Imperio regit, atque artus dominatur in omnes.
Illam ponè, caput molli quà tramite ſenſim
Incipit in clivum ſeſe demittere, cuſtos
Rerum habitat, ſervátque memor vis altera mentis.
Mnemoſynem Graio vertentes nomine dicunt.
Principis ad nutus extemplò credita promit
Signáque, & immenſam verborum ex ordine gazam.
Vidi egomet nuper, quem magna Lutetia civem
Nunc habet, Auſonio, & Graio ſermone ſerentem
Plurima, tum ſi quis veniens à Perſide, ſi quis
Adſit Arabs, ſi quis peregrino à litore Turcus;
Continuò ille Arabem, & Turcum, Persámque viciſſim
Vocibus alloquitur patriis, multásque per horas,
Attonitas varijs aures ſermonibus implet.

Anteriora tenens capitis ſtat fronte ſub ipsâ
Altera vis animæ, pulchro quæ dædala niſu,
Et liquidas oris voces, motúsque, colorésque,
Omniáque artifici curâ ſimulachra figurat.
Phantaſiam Graii dicunt: ab imagine nomen
Indere Romanis libitum eſt. Quid carmine cuncta
Proſequar? Ante tibi quænam ſententia ſurgat,
Dic age? Cur homini accreſcant tot membra, tot artus?
Officiis iſthæc variis diſcrimina quæri,
Inque uſus perhibes varios, operúmque labores?
Eſto, ſed officiis auctor quis præfuit? Illas
Quis tandem partes dedit? An rationis egentem
Eſſe jubes tantum artificem, cœcóque tumultu
Moliri decus hoc, tantóque inſtare labori?
Hæc animo verſa, hæc noctes meditare, diésque.
Sic te nulla tui capient oblivia finis,
Nec memori de mente tibi Deus excidet. Aude
Ergo animis: tardos juvenes, parcíque laboris,
Noſter amor Phœbus, noſtræque odêre Camœnæ.
Ingredere, ô! mecum, noſtróque in corpore formam
Seſe attollentem ſtudio ſcrutare ſagaci.
Oſſibus oſſa ſuper nituntur, & ardua cælo
Regalem attollunt crinito vertice frontem.
Hæc animi domus eſt, hæc ſunt Capitolia mentis,
Vnde illa ex alto terras, campósque liquentes
Imperio premit, & populos dominata per omnes
Æternâ genus humanum ratione gubernat.
Ne faciat vitium, aut fœdam ſublapſa ruinam
Det moles, nervis circùm per mutua nexis
Nititur, & longos durat compago per annos.
Illa domus (tantum laudis ſibi Lupara nuſquam
Vindicet, aut poſitæ Latiis in collibus arces)
Et ſtat, & incedit: ſequitur, fugit: inſtat, & hæret:
Et jacet, & ſurgit, nullóque labore fatiſcit.
Quòd morbis ſi fortè labat, ſi concidat ævo,
Intulit id vitij gentis ſator, ille nepotes
Implicuit ſcelere, & fatis addixit iniquis.
Occipite ex alto, cerebri pars ima minoris
Verticulas inter dorſum deſcendit in imum
Inferiora petens, ſpinæ dixêre medullam.

Hinc varij erumpunt nervi, corpúsque per omne
Flexibus innumeris fuſi nexántque ligántque.
Attamen haud illis vis eſt innata ciere
Tardâ hebetes tellure artus, moribundáque membra.
Nonne vides, ut ſæpe viri juvenésque, ſenésque,
Lenta quibus motum pituita peremerit, omnes
Nervorum tamen enumerent nexúsque, fibrásque:
Nempe deeſt, aut ſi quis adeſt, jam frigore tardo
Torpet iners, ſenſim reſtincto ſpiritus igne.
Spiritus hic ille eſt, ſummo qui vertice lapſus
Inſinuat ſeſe nervis, tortósque meatus
Interior ſequitur, velut acta canalibus unda.
Hic motum, ſenſúmque ciens, artúsque pererrans
It medius, vegeto ſaturans membra omnia ſucco.
Præterea, tibi ſi fuerit prudentia cordi,
Si quid noſſe Deum juvat, hinc meditabere, pulchro
Inſiſtens ſtudio, tantarum exordia rerum.
Augaſtam in medio regnator pectore ſedem
Cor habet, hinc vitam corpus diffundit in omne.
Tum ſinus eſt illi duplex; hinc dexter abundat
Sanguine, purpureâque tumens reſtagnat ab undâ.
Hinc lævus minor eſt, multo quem ſpiritus igne
Succendit, rapidis agitans præcordia flammis.
Ecce autem in dextrum manantes ſanguine ripæ,
Et fluvij atque lacus, amnésque ac flumina certant
Purpureos unâ latices infundere venâ.
Contemplator item, neque te ſententia vulgi
Incautum rapiat, nequaquam ſanguinis undas
A dextro remeare ſinu. Delabitur in cor
Ille quidem pronus, retro ſed flectere greſſus
Grande nefas. Namque introrſum panduntur, & intro
Dant faciles aditum patefacta per oſtia valvæ,
Impoſitæ venis valvæ: mox cardine verſo
Occlusêre vias, nec quamvis ſpumeus amne
Circùm clauſtra fremat ſanguis, fecêre regreſſum.
Aëriâ qualis deſcendens Iſter ab Alpe,
Vt ſemel in pontum rapidos infuderit amnes,
Nec remeare iterum potis eſt, nec magnus aquarum
Frænator Nereus ſinat, aut velit Amphitrite.
Hic de plebe aliquis forſan mirabitur, omni

Tartarum

Terrarum cùm parte ruant tot flumina, tanta
Perpetuo æternùm lapſu cumuletur aquæ vis:
Cur non præcipitans undis refluentibus æquor,
Hauriat attonitas miſeris cum civibus urbes.
Hæc quoque ſcire juvat, noſtris affundere lucem
Quæ ſtudiis valeant, & apricum inducere Solem.
Quî medium terrarum orbem Sol alite curru
It circùm, atque undas (extremis partibus undæ
In medium coëunt) rapidus ſuper incubat, æſtu
Et face torrenti tepefacta fluenta, ſupremum
Aërios inter tractus ſuper æthera tollit.
Partem agit in pluvias, partem convertit in imbres,
In molles Zephyros, Auſtrósque tepentibus alis.
Hinc fontes, hinc & liquidis de fontibus amnes
In mare devolvunt centena per oſtia fluctus.
Ergo ſinu poſtquam in dextro vis ſanguinis illa
Intepuit, mox in pulmones limite lato
Truditur, inde ſinum ſpumoſo vortice lapſa
Influit in lævum, hic multo ſuccenſa calore
Rareſcit ſenſim, & tenui fit ſpiritus aurâ,
Agmine qui magno latam petit actus Aortam.
Hæc variis totos rivis diffuſa per artus
It labens ſubter venas, tepidásque fovendo
Proſequitur, vegetóque agitat ſuppoſta calore.
Ni faciat, tepido lentus tabeſcet in alveo
Sanguis, & in ſcabiem, papulásve impurus abibit.
Quin etiam, venis parvos arteria ramos
Quælibet inſertat, penetránsque irrepit eundo.
Hos aditus Latij dixerunt Oſcula, per quæ
Spiritus ille moræ impatiens, exire poteſtas
Quà datur, exiliens venas irrumpit apertas:
Irrumpit venas, & ab illis defluit in cor.
Vnde recurrat iter, revolutis unde recurſet
Orbibus, atque alios aliis uſque implicet orbes.
Multa tibi, ſi fortè vacat, memorare facultas,
Cur tunicâ duplici ſepta eſt arteria? Cur non
Vena, ſed una illam tegat, & tutetur abundè?
Quare agedum, ingenij vires, & ſi quid in arte,
Aut Logico in ludo eſſe putas, nunc collige: téque
Da nobis vacuum, atque alias procul exige curas.

Ergóne

Ergóne fortunæ, cœco quæ turbine verſat
Omnia, debetur tantæ molitio formæ?
Ergóne tot rerum ſpecies, tot membra, tot artus,
Tam varias uſu partes, quæ molliter unum
In corpus pulchrè coëunt aſcribere ſorti
Nil prohibet pudor, aut ſancti mens conſcia Veri?
In mediâ ſi cui ſilvâ, ſaltûsque ſequenti
Saxa fragoſa inter, ſcopulisque loca aſpera, magnæ
Artis opus fors objiciat (procudere Bleſis
Quale dedit quondam Vranie) Stylus indicet horas
Interior, Soliſque vias, gyrósque ſequatur.
Sint intus centum rotulæ, ſint dentibus aptæ
Inſertis, & trudantur, trudántque viciſſim:
Tum ſi præcipitant, pigro ſi lentiùs axe
Tardantur, faciúntque moras; examen ab alto
Temperet, atque datis veluti moderetur habenis.
Ergóne tam prudens quiſquam perſuadeat illi,
Saxorum attritu, ſcopulisque ruentibus in ſe,
Sub duce fortunâ, ſpirásque rotásque ſequentes,
Et tantum artis opus temerè veniſſe ſub auras?
Si ſemel intentis rotulas adducere nervis
Sat foret in centum (miſeri quot vivimus) annos:
Túne minus ratione putes, atque arte magiſtrâ
Verſari, certóque imitari ſidera curſu?
Quòd ſi fortè inter Libyæ ſitientis arenas
Æthereo videas educta palatia cælo:
Aut ſanctam quali Sophiam gens barbara mole
Seſe attollentem miratur: quantáve Romæ
Templa Petri celſo deſpectant vertice terras.
Hoc operis quantum eſt vario coïſſe tumultu
Si quis fortè velit: næ tu rationis egentem,
Et ſolidâ meritò dejectum mente putabis:
Et tibi tu ſapiens, prudénsque videbere rerum,
Auguſtæ qui molis opus, qui corporis ædem
Humani, trepido jubeas aſſurgere caſu.
Iam varios exhinc flexus, jam torta viarum
Proſpicio, & noctem quâ ſeſe involvere, fraudum
Artifices gaudent, quos à pietate parentum
Excuſſit ſemel, atque animi vertigine raptos
Longiùs in præceps ſeduxit lubricus error.

Talia nam memorant. Non hæc miracula nobis,
Non ſpeciem, formámve placet committere ſorti:
Sed neque continuò Superos arceſſere cælo,
Humanásque illis pulchrum eſt concedere curas.
Hæc quæcunque vides animalia, ſive vagantur
Indomita, & ſolis errant in montibus, artes
Sive per humanas tandem miteſcere diſcunt:
Seu pictis vacuo nitantur in aëre pennis,
Æquora vel pinnis tranent Neptunia; mater
Edidit, & varios per ſe diſtinxit in uſus
Natura. Vlterius quidquid ſcrutaris, inane eſt.
Sponte ſuâ illa avibus plumas, plumisque colores
Addidit, & liquido teneros in gutture cantus.
Quadrupedes villis, ſquamoſo tergore gentem
Æquoream, & vario munimine ſingula texit.
Hæc genus humanum maternâ finxit in alvo,
Atque omnes juſtâ partes ſtatione locavit,
Pulmonem, cordisque ſinus, hepárque cruentum
Conſtituit, rerúmque illi conceſſit habenas.
Talia certè illi, & fœdâ caligine claram
Infuſcare diem ſtudio nituntur inani.
Namque age, quid natura valet, ſi turbida, & amens;
Et cæca has molitur opes? In retia rurſus,
Quæ vitaſſe putas, in caſſes rurſus eoſdem
Indueris: nempe ire jubes vertigine Mundum
Inſanâ, & vano Naturæ nomine gaudes.
At ſi fortè ſciens, rerum ſi provida, longè
Si ſapiens natura, iſthæc miracula pandit:
Hanc jubeo eſſe Deum, præſit qui talibus auctor:
Singuláque expendens, quid membra, quid ordo, quid uſus
Poſtulet, æterno prudens regat omnia nutu.
Nam neque tu quamvis Graias exhauſeris artes,
Et Coïi præcepta ſenis, totúmque Lycæum,
Hæc facias, norisve modum, formæve decorem.
Sed neque vel genitor vel mater, Neſtora vincat
Ille licet, quamvis Pallas vincatur ab illâ.
Aſpice ut Agricolæ quos ignoratio rerum
Obſidet, & quantùm cor diſtet ab hepate, & illas
Neſcivêre vias, queis ſanguis manet utrimque:
Vt pleno ſaturi ſucco, formâque decori

Conſpicuâ

Conſpicuâ, ſuperent præſtanti corpore Reges.
Eſt Deus, eſt certè Deus, illi corpora nobis
Induere, & vultus varios, formámque, decúsque
Cura fuit, pulchróque orbem diſtinguere cultu.
Maxima res tandem nobis effecta, rudentes
Solvimus, Oceanum in magnum vocat aura, morantes
Increpat, & Zephyris implentur vela ſecundis.
Ille opifex rerum, vaſto ſeu fornice cælum
Vndique curvaret, ſeu ſtellas lumine, & auro
Imbueret, medio ſeu ſiſteret aëre terras,
Et fluidos circa tellurem infunderet amnes:
Ille ſuum (ſtudiis aliis, curisve teneri
Nec jus, nec fas eſſe poteſt) hæc omnia prudens
In decus, atque ſuum jam tum condebat honorem.
Quin etiam tardo ſecretas corpore mentes,
Excubias Mundi æternas, gentémque beatam
Dum creat, atque hominũ genus omne, Italósque, Getásq;
Æthiopásque nigros, & candida corpora Celtas:
Ipſe ſuæ obſequitur laudi, propriámque per omnes
Ire velit terras & ſupra ſidera famam.
Non uni ſedenim (quæ luſit opinio multos
Quos ſcelerum ex longo collecta rubigo peredit)
Non uni, quibus eſt pietas ſanctiſſima curæ,
Dant humiles operam, & tanto famulantur honori.
Ille etiam, ille Deum, contra quem ſolvere linguam
Nil pudet, & ſanctum verbis invadere Numen,
Serviet, ac dominum invito teſtabitur ore.
Eſt locus æthereos ſupra pulcherrimus axes,
Ver ubi perpetuum, lætos ubi lumine puro
Et Zephyris campos afflat felicibus aër.
Hìc morum innocuos, tranſacto tempore vitæ
Omnipotens beat, & Divino Numine paſcit.
Sunt etiam ſtygios infra ſummota receſſus,
Antra horrenda ſitu: grati quò nulla Favonî
Aura venit, nullo collucent lumine ſoles.
Heu! pœnis loca fœta, vadis torrentibus igne,
Et gemitu miſerorum, altóque ſonantia luctu.
Divinas illic ut opes, gazæque beatæ
Divitias, plenóque indulgens præmia cornu
Largitur bonus: haud aliter quid Numinis ira,

Quid furor in tanto conceptus pectore poſſit,
Hic exercet agens, flammisque ultricibus inſtans
Criminâque, & ſontes æterno vindicat igne.
Fas homini, quâcunque velit regione locari,
Fas legiſſe locum; neutras accedere partes
Haud ulli licitum, nulli conceſſa poteſtas.
Vos ô! vos animam tenero quos ducere cælo
Parca ſinit, necdum conceſſæ ſtamina vitæ
Abſcidit: æterni quoniam ſtat fixa voluntas
Numinis, & nullis fatum revocabile votis,
Optate. Hæc vobis data meta, hic terminus hæret,
Æternum bene, & æternum male. Curritur illuc,
Huc pueri, huc juvenes properant, huc grandior ætas.
Tergeminâ datur ire viâ: Mavortia quoſdam
Caſtra juvant: aliis placitum dare jura per urbes,
Et populos: aliis ritus, & caſta ſacrorum
Cura placet. Tamen huc omnes ducuntur, eodem
Fata vocant, cauſæque æternis nexibus aptæ.
Nec tamen incautis quâcunque incedere fas eſt,
Non iter ire juvat, quod fors objecit: ab alto
Eſt nobis, eſt ſæpe Deus per caſta vocandus
Carmina, ſupplicibúsque petenda oracula votis.
Nam niſi dignetur ſancto nos Chriſtus Olympo
Reſpicere, heu! tantâ rerum caligine, tanto
Confuſas errore vias evolvere nemo
Arte queat, nulli laqueos exire facultas.
Multos præcipites in aperta pericula raptat
Martis amor, ſcelerum in facies & crimina mille
Implicat, & ſtygios tandem deturbat ad amnes.
Quos ſtudiis ſi pacatas melioribus artes,
Et pia tranquillæ coluiſſent munia vitæ,
Fas erat evectos longè ſuper aſtra, beatos
Nunc agitare dies, Chriſtique accumbere menſæ.
Ergo diu ante memor quidquid conabere, longè
Proſpicies, intérque manus verſare memento
Sæpiùs, atque tuas meditando conſule vires.
Quæ mala circumſtent bellum, quæ crimina duros
Infuſcent bellantum animos, hinc accipe. Rara eſt
In caſtris pietas, legum reverentia nulla,
Nullus amor juris, ferri cædisque libido

Immenſa

Immenſa, & fuſo lætantes ſanguine rixæ.
Aſpice deformem macie, latéque cruentum
Funeribus, lacerúmque everſis urbibus orbem.
Has evertit opes Mavors, formámque decúsque
Suſtulit, & noſtro fœdavit ſanguine Mundum.
Nunc ubi Neptuno fundata, & Apolline Troja?
Vltrices ubi nunc ſcelerum Paridísque Mycenæ?
Cecropias ecquis nunc tandem nôrit Athenas?
Quis turritam Epheſum? Quò nobis æmula Romæ
Carthago recidit? Quò nunc Roma, illa ſubacti
Regnatrix orbis Roma? Et quò circus, & aræ?
Quò Thermæ? quò roſtra fori? quò celſa theatra,
Tarpeïæve arces, cælóque minantia templa?
Omnia confudit belli furor, omnia peſſum
Mars dedit. Ipſa etiam veterum monimenta virorum
Subvertit tumulos, dedit & ſua fata ſepulchris.
Quin pia Muſarum ſtudia, æternique labores,
Et ſanctum virtutis opus fecêre ruinam.
Graiugenûm in populis, Phariâque in gente quis aſtra,
Quis Solis, Lunæque vias, tacitósque meatus
Scrutatur vigil: humanâ quid ponderis inſit
In ratione videt nemo, vitare Sophiſtas
Quî valeat, vel quo ſenſum concludere gyro?
Omnes illa tamen tellus olim edidit artes
Felix prole novâ: verſis nunc denique fatis
Orba jacet. Lacrymis, & multo perdita luctu
Illa ſenem luget Coüm, dolet illa Platonem,
Et fruſtra queritur patrem vixiſſe Lycæi.
Nequidquam everſis Demoſthena quærit Athenis
Sollicita, aut lætum Lyſiam, Periclémve tonantem,
Aut fluvio Iſocratem leni per culta fluentem.
Quæ loca, quos ſaltus olim, quas denique valles,
Quos ſancto colles Pimphlæa rigaveris amne,
Incaſsùm quærit; vel ubi Peneïa Tempe,
Panaſsúsve biceps caſtis ſacraria Muſis.
Quis mihi ſacrarum fando diſpendia rerum
Æquârit miſerans, aut quis pietatis amorem
Extinctum, ſtratásque aras, convulsáque templa?
Quæ loca ſupremis Chriſtus, dum vita manebat
Impreſſit plantis, & verbi ſemine jacto

Quas

Quas primæ terras frugis dedit eſſe feraces,
Squalent marte fero. Solymæis imperat arvis
Barbarus, & latè circùm tenet omnia prædo:
Antiquas Patrum ſedes, Ephesúmque, ſacrámque
Nicæam victor premit, & Byzantia regna.
Omnia tranſcripſit Mahometo jura, fidémque,
Arásque, & ritus ſacros Mars impius, & quæ
Sancta Patrum pietas fundaverat, enſe revellit.
Interea dum Chriſtiadæ per mutua ſeſe
Vulnera confodiunt, juratáque fœdera ſolvunt,
Quid lymphâ luſtraſſe caput, quid nomina prodeſt
Scribere, quidve ſacramentum dixiſſe, furori
Si modus eſt nullus, fratrum ſi ſanguine fuſo
Nil dextras maculare pudet, Scythicóve Tyranno
Chriſtiadûm populos, & ſanctas prodere gentes?
Regibus hæc vitio dantur: Quis militis artes
Sacrilegas, quis ſtupra queat, quis dicere furta?
Laudatur furor in bello, laudatur & amens,
Effrænisque animus: Quidquid peccaverit ira
Militis, in pretio eſt: Vitium eſt pietate moveri.
Quòd ſi fortè putes obniti, & tendere contra
Viribus adductis, fruſtra conabere, feſſum
In præceps proni rapiet te fluminis alveus.
Quid ſi dira fames ſubigat, ſi turpis egeſtas?
Grandia pollicitus Regalis præmia gazæ
Invitábat agens, auri argentíque talenta
Oſtentans ductor: primæ vix ergo phalanges
Ingrediuntur iter, ſumptísque exercitus armis:
De cumulo partem ſtudium eſt ſubducere, demunt
Plura deīn, donec tandem ad nihilum interimat res.
Tum plebem in prædam objiciunt, tum vulgus inerme;
Et villas, pagósque, & ruptis oppida muris.
Increpitántque ſuper: Quid ſtas ignave? Moloſſis
Venator veluti leporem, cervúmque fugacem
Obtrudit canibus, lituóque ac voce fatigans,
Inſuper & telis, & equo minitatur ab alto.
Hac ſcelerum tenus, armorum nunc reſpice laudem
Exiguam, & raros qui caſtra ſequantur honores.
Pro Rege, & patriâ, pro Relligione decorum eſt
Caſtra ſequi, magnámque ultro profundere vitam.

Cætera

Cætera, quæ vacuas impellunt gaudia mentes,
Accendúntque animos, rapiúntque libidine ferri,
Nec Deus è cælo, nec qui Mavortia ſancti
Arma movent Reges aliquo dignantur honore.
Vnum aliquem memorant, ætas fortaſſe parentum
Enumeret plures, nuper qui caſtra ſecutus,
Tela inter potuit bellis imponere morem.
His animadverſis, civem ſtat dicere, quantæ
Obſideant peſtes, & quanta inſultet Erynnis.
Ecce autem imprimis, quos in ſacraria legum
Sancta vocat Themis, & morum dedit eſſe magiſtros,
Ære dato accipiunt faſces, cellásque curules:
Emerunt quo jure, deïn ſuffragia vendunt.
Vidi ego, qui patriósque lares, & rura paterna,
Et patrium infelix cenſum diſtraxerit auro:
Ore Senatorem ut referat, rutilàque ſuperbus
In veſte ut populum ſolio diſpectet ab alto.
At domus interior pædore, atque obſita luctu
Triſte gemit, laceræ ſordent in pariete veſtes,
Et menſas onerant jejunis lancibus eſcæ.
Natorum interea ſoboleſcit turba, puellæ
Cum pueris: illæ matrem petiêre maritos,
Hi ſponſas, mundúmque & totam ex ordine gazam,
Et currus, & equos, auróque micantia tecta.
Hunc mihi Fabriciis auctor contendere quiſquam
Aut duro fruſtra jubeat conferre Catoni.
Cum patriâ vendet Themidem: Non ille Tarento
Iratósve Deos, aut templa, aràsve relinquet.
Sed pariter cum gente Deos ſpoliabit, utroſque
Captabit laqueis, & cæcâ indagine cinget.
Quòd ſi fortè opibus Craſſum, Crœsúmque laceſſat;
Non tamen innocuus Themidis tractaverit arma,
Aut juſto Aſtræ ſuſpendet pollice lances.
Nunc illum favor expugnat, nunc Principis ira,
Nunc dulces nati, nunc uxor in oſcula pendens,
Officiis nunc & paribus collega minatur.
Adde tot Actorum confuſas artibus artes,
Fraudibus & fraudes implexas: Adde Reorum
Effugia, atque viis longè procul avia ſanctis.
Dædaleos potiùs calles, tortósque mæandros,

Minoïs

Minoïs priùs expedias erroribus ædes.
Triſtibus invigilant chartis, ſemesáque blattis
Murum relliquias, annoſa volumina verſant.
Carceris imperium eſt illis, furcæque poteſtas,
Criminâque, atque malas poſſunt cognoſcere fraudes:
Præmia virtuti, ſanctis aut ponere laudem
Moribus haud licitum eſt. Hæc civis gloria tandem eſt
Maxima, & his ſpatiis plauſus concluditur ille.
Vlteriùs ſi quid ſperas, ludibria fingis.
Non etenim reliqui, magnis quos mœnia circùm
Ducta tenent muris, auſint contendere contra.
Nec mihi tot ſcelerum facies, tot crimina verſu
Aut fas, aut vacuum eſt comprendere. Plura Camœnæ
Scire vetant: unum facilis conceſſit Apollo.
Qualiter in ſilvis, aut per loca ſola, ferarum
Inſidiæque, iræque metu circùm omnia terrent,
Mutuáque obnixæ pendent in funera: talis
Sollicitam facies latè circumvolat urbem.
Humanæ jam quæ ſupereſt pars tertia gentis,
Quam ſibi ſepoſitam ſacros delegit in uſus
Omnipotens, populos tantùm ſupereminet; alto
Præcipites cælo faculas ſtellantia quantùm
Sidera, & obſcuros ſuperat Sol aureus ignes.
Námque dies alij ducunt noctésque canendo
Inſomnes, ſummóque Patri pia carmina dicunt.
Curarum interea exſortes, cæcique tumultûs,
Tranquillos agitant ſoles, lucésque ſerenas.
Aërios inter montes Carthuſia tales
Paſcit, & umbroſis obſcura Camaldula ſilvis.
Vrbibus in mediis etiam, vel Templa ſecundùm,
Pontificúmve ſacras ædes; in vota precésque
Agglomerant ſeſe Collegia ſancta virorum.
Tonſa coronatis capita, & candentia crurum
Lina tenus, pexis onerantur brachia villis.
Ecce alij ſeſe majoribus addere curis
Haud veriti, ſtygias acies & prælia tentant.
Quin etiam ſi quid ceſſant, in bella laceſſunt
Tartareos ultro fratres, campóque potiti
Æterna in medio ſtatuunt ex hoſte trophæa.
Hi vitiis bella indicunt, quæ plurima mentes

Inſedêre

Insedêre hominum : quæ si comprendere quisquam
Optârit numero ; velit idem nosse quot imber
Ex alto ruat in guttas , cùm tristis Orion
Incubuit , totámque inclinat Aquarius urnam.
Nec satis est populisse hostem : reparare ruinas
Vsque juvat , sanctósque animis inducere mores.
Hanc Christus vitam , hanc Christi coluêre Sodales :
Hanc Petrus , hanc Thomas , his crevit gloria ceptis
Christiadûm , & latè totum complectitur orbem.
Quinetiam nulli cælestem hinc ire putandum est
In patriam , quem non in terris ritè Sacerdos
Lustratum priùs æthereo transmittat Olympo.
Atque hæc magna licèt fuerint , purisque negata
Mentibus , & nostræ tantùm concredita genti :
Hâc tamen ire viâ , tantúmque audere , pericli est
Plenum opus , atque aleæ. Pendentibus undique saxis
Horrida , & in præceps lapsum loca cœca minantur.
Namque omnes cultum hunc vitæ quicunque sequuntur ,
Magnum , horrendum , ingens lecto pro cœlibe votum
Concepêre procul Venerem & connubia , puras
Iurati tenerâ sine conjuge ducere noctes.
Ecce autem prædo stygius contra horrida bella
Suscitat , infernásque acies in prælia cogit.
Heu ! quantas clades dedit ille , quot agmina fudit
Impius , heu ! quantos cumulavit stragis acervos.
Hanc procul , hanc nostris longè Deus exige pestem
Mentibus , & tantum procul aversare furorem.
Ille senes etiam pœnis exercita dudum
Corda virûm , Veneris captos dulcedine fregit.
Sed neque Paphnutius , neque magni nominis ille
Silvicolas inter Patres fortissimus Heros ,
Hoc ævi decus , à primis Antonius annis
Impunè instituit , sociósque edisscere jussit.
Nam quid ego memorem , juvenum quot millia retro
Verterit , & tristi miseros damnaverit orco.
Et gens illa tamen studiis asperrima , duros
Nuda pedes , & nuda caput , silvásque pererrans
Iejunum rigidâ corpus virtute domabat.
Tu cute qui nitidâ flores , convivia læta
Qui celebras , mollésque inter versare puellas ;

Quem circùm ludit Riſus, Charitésque facetæ:
Nempe tot illecebras inter, tu corpore caſto
Integer, & ſtygias fraudes vitabis, & armas.
Præterea, ſi te pingui, ſi divite cenſu
Pontificem, Reges donatum ſorte bearint:
Ne tibi ne placeas, in turpes prodigus uſus
Ne dato, néve canum turbas & equilia paſce.
Hæc inopi debes generi, ſibi talia pauper
Vendicat, aſſertórque Deus defendit ab alto.
Nunc agedum, hæc tecum tacito ſub pectore volve
Multa putans. Solio judex ſi quando Sacerdos
Conſideas, populo facies ſi verba trementi
Orator, non te furem damnare pudebit,
Invitum quem pauperies duriſſima rerum,
Et miſerâ ſubigit cum prole miſerrima conjux?
Interea tu, quem ſancto præfecèrit æri,
Quem generi dederit tutorem Chriſtus egeno,
Averſare inopes; & ſanctæ debita genti
Præmia, divitiásque in luxum dividis amens.
Cætera quid referam, Chriſti de divite gazâ
Quid rapiant illæ, quas hic memorare pudori
Ducimus, & caſtæ prohibent vulgare Camœnæ.
Quare age, quid valeant humeri, quid ferre recuſent
Ante diu verſa. Chriſto monitore ſedebis,
Singuláque expendes, quid tu, quid poſſit & hoſtis.
Quæ belli facies, ſociûm quæ copia, quantæ
Sint acies, & quo quæratur gloria campo.
Nunc ſtudia & mores, cultúsque, habitúsque virorum,
Atque artes quotquot toto ſpectantur in orbe
Huc revoca, paribúsque incumbens excole curis.
Quidquid eris, quæcunque premes veſtigia, calles
Quoſcunque inſtiteris: curarum maxima mentem
Hæc habeat. Venerare Deum, venerare tremendum
Æternæ arbitrium mentis. Impunè quis illi
Obvius irato ſeſe tulit: ille ſub amnes,
Tartareos amnes Erebi, cæleſtia quondam
Agmina, deſpecto vindex pro Numine miſit.

DE CVLTVRA ANIMI.

LIBER SECVNDVS.

IVSTITIA.

PARTITIO.

HIVS Libri partitio eadem eſt, quæ Iuſtitiæ virtutis. Cùm duæ itaque ſint ſpecies Iuſtitiæ; altera quidem, quâ res à civibus inter ſe commutantur, quæ etiam voce quidem non ſatis Latinâ, commodâ tamen, commutativa *dicitur: altera, quæ injurias vindicat & ulciſcitur, quam* vindicativam *dixerunt Scholæ: totidem partes huic libro dabimus. Prima illa ſpecies Iuſtitiæ longè latéque patet in totam humanæ vitæ conſuetudinem, & triplex eſſe dicitur, Domeſtica ſcilicet, Civilis, & Sacra. Primò itaque docetur paterfamilias, quo in conjugem, in natos, in ſervos animo eſſe debeat, & id quidem ſuadetur ab exemplo viri fortiſſimi. Deinde informatur civis, quibus ſtudiis & quâ fide cives alios, tum amicos, atque patriam colat, ab exemplo Attilÿ, Oreſtis & Pyladis, Menœcei, Codri, Curtÿ & aliorum. Poſtremò inſtituitur Chriſtianus quâ Deum pietate venerari debeat, atque exemplis tum Martyrum atque Abrahami excitatur. De Iuſtitiâ criminum vindice pauca ſuggeruntur, tum quia tota eſt penes Magiſtratus & Deum: tum quia ſi quid peccatur contra illam, id commodiùs in quartum librum de Fortitudine rejicitur. Qui Iuſtitiæ ſpeciem dicunt eſſe eam virtutem, quâ quis ſibi moderatur, séque ipſum regit, & quam monaſticam barbarâ voce dicunt, falli certum eſt, cùm Iuſtitia ſit adversùs alterum, non adversùm ſe.*

IVSTITIA.

ILLVM ego felicem ante alios, vitæque beatum (major,
Crediderim: non cui fuerit prudentia
Nec cui noſſe datum, cæli quâ parte vagentur
Pleïades, quibus aut terris naſcatur amomum,
Aut rerum, quo quæque modo ſurgántve, cadántve:
Sed cui per ſanctos animum exercere labores,
Et juſto placuit vitam componere cultu.
Infelix certè ille operum (neque judice tantum
Principe Chriſtiadûm, Sophiæ namque arbiter ille
Sic populos Graiûm, & doctas formabat Athenas)
Qui patriâ in mediâ, reſides inglorius annos
Exigit, & turpi ſegnis conſumitur ævo.
Quare age, tende animis contra, longéque veternum
Excute. Quid dubitas campo te credere, tantis
Auſpiciis? Summâ cæli te ſpectat ab arce
Auxilióque venit media in diſcrimina Chriſtus.
Iuſtitiæ decus hoc primum: quid quiſque meretur,
Spectare, & meritis juſtas adſcribere laudes:
Præmia virtuti decernere, crimina pœnis
Vlciſci, & certo librare examine mores.
Non aliam ob cauſam lances Aſtræa ſiniſtrâ
Ferre manu, dextrâque enſem vibrare Poëtis
Dicitur, & juſtâ Mundum ſuſpendere librâ.
Æquat libra diem nocti, brumalibus æquat
Partita ex æquo ſignis Auſtralia ſigna,
Æquat & æſtivas horis hyemalibus horas.
Prima tibi ſit cura domûs, ſtudiúmque tuorum,
Conjugis imprimis: illam tibi fœdere certo
Et Deus, & toto conjunxit Numine Chriſtus.
Namque Deus primo Mundi naſcentis in ortu,
Talibus obteſtans Evam commiſit Adamo.
Accipe conſortem thalami, ſociámque laborum:
Vna domus vobis, ſoboles communis, opésque,

Et

Et quæcunque parat luſtris venientibus ætas.
Præterea æterni Soboles æterna Parentis,
Chriſtiadûm in populis ſanctos jubet eſſe hymenæos.
Ergo datam ne falle fidem, ne fœdera ſolve:
Triſtior haud unquam ſtygio ſe ſuſtulit amne
Peſtis, & ira Dei, nec plures cædis acervo s
Edidit: Imbelles etiam pro conjuge raptâ
Ruricolæ attollunt animos, & prælia tentant.
Dedecus hoc ſenſêre feræ, ſenſêre leones,
Et volucrum genus omne, atque omnis turba natantum.
Tum laceræ intereunt miſeris cum civibus urbes,
Regnáque vertuntur, natat alto ſanguine Mundus.
Romanâ quæ Tarquinios exegit ab urbe,
Quæ cauſa in Priamum ſævos armavit Atridas?
Non ſemel Europam atque Aſiam concurrere juſſit
Fœmina. Quid repetam priſcos exempla per annos,
Et veterum monumenta virûm, cerásque revolvam?
Ne tamen, uxori quamvis te maximus Auctor
Rectorem Deus addiderit, ne ſæva ſuperbus
Imperia exerce, nec ſpera vincere faſtu.
Conſiliis adhibe ſociam, mollique foveto
Ore docens, facilem ſic experiêre colendo,
Atque illam, quocunque voces, haud tarda ſequetur.
Spem generis ſoboſem ſpectat nunc altera cura:
Huc nervos intende omnes, ſtudiúmque operámque:
Hic nihil exhauſti ſatis eſt: nam publica gentis
Inde ſalus, robúrque in corpus diditur omne.
Hoc inſiſte magis, tantóque ardentiùs inſta:
Quòd natura parens animalia cætera, primæ
Limen ubi ſubeunt lucis, formátque docétque
Plurima, quid rerum fugiant, quid deinde ſequantur.
Vix teretem roſtro teſtam percuſſit acuto
Crebra terens Galli pullus, vix corpore toto
Excluſus, tamen ingreditur, matrémque ſecutus
Iam terram fodicat, jam vitæ repperit uſum,
Iam timet Accipitris gyros, jam ſibila Milvi.
En catulus cervæ maternâ lapſus ab alvo,
Aut inter nemora, aut herbis florentia prata,
Optima quæque legit, tactu mala gramina vitat.
At neque Phyllìridæ, priſcive Machaonis artes,

Aut

Aut Coï præcepta ſenis didicêre, nec illos
Erudiit labor improbus, aut monuêre parentes.
Hinc pictis volucres pennis naſcuntur, & alis
Aut fugiunt hoſtes, aut ſævo marte laceſſunt.
Quadrupedes villis, & durâ pelle teguntur,
Dentibus armatæ veniunt, atque unguibus uncis:
Nunc pugnant flexis, nunc rectis cornibus inſtant.
Vnus homo in terram veluti projectus, inermis,
Nudus, egens, lacrymis tantùm, luctúque parentes
Auxilio vocat, atque inopi ſuccurrere poſcit.
Haud aliam ob culpam, quibus eſt mens indiga Veri,
Naturam corde immiti dixêre novercam,
Et noſtro infenſam generi: tamen optima mater
Inſevit pueris divinæ ſemina mentis,
Semina, quæ pulchrè ſanctas exculta per artes,
Imperium in magnum ſurgant, rerúmque potiri
Dent homini, atque ſuis moderari nutibus orbem.
Quare age, te facilem (puero dum mollior ætas,
Dum monitis flecti docilis, dum cerea fingi)
Auctorem ſtudiorum habeat, vitæque magiſtrum.
Te duce non mediâ prædari diſcet in urbe,
Non laqueis captare homines, fraudémque clienti
Nectere, nec civi pedicas, aut retia ponet.
Sed neque conſueſcat tantùm popularibus auris;
Aut tantùm gazæ ingenti lætetur acervo:
Quantùm virtutis, quantùm pietatis amore.
In tua non coges famulos formidine pœnæ
Conſilia, aut duris ſubiges ſervire lupatis.
Præterea fugies inhoneſto nomine ſervos,
Atque, manu veluti bella inter martia captos,
Dicere mancipia: in fratres quos legerit ultro
Chriſtus, & hæredes ex toto dixerit aſſe.
Ne pactâ miſeros frauda mercede, tuere
Incolumes, forti defenſos aſſere dextrâ.
Hoc etiam atque adeo imprimis conabere, téque
Et ſobolem, & matrem, & famulantum ex ordine turbam
Æthereo non invitos formabis Olympo.
Nam cui nulla domûs cura eſt, morésque ſuorum
Sunt nihili: næ Chriſtiadûm de gente profanus
Excidit, externos næ jam defecit ad hoſtes.

Seguſij

Seguſij vidêre ſenem, quem vidimus ipſi:
Ille domum imbuerat monitis cæleſtibus, omnes
Paulatim informans. Primæ ſub tempora noctis
Poſt epulas prior ipſe, dein cum conjuge natus,
Et gnatæ, famulique omnes longiſſima turba,
Et cui cura penus, læti cui cura falerni,
Cuique hortus, & cui flammis adolere Penates,
Rauco æris ſonitu ſacraria ad alta fluebant.
Tum puer ingrediens Superos per ſacra vocabat
Carmina, reſponſant reliqui alternántque viciſſim.
Mox ſolitum in totam meditando inquirere lucem,
Si qua Deum contra commiſſa piacula, ſi quod
Præcipitis vitium linguæ, ſi fraudis iniquæ,
Si quid diſtortum, ſi quid ſubrepſit inane:
Atque omnes tunſo damnabant pectore culpas.
Ecce aliæ feſtas luces ex ordine curæ
Excipiunt: veniens vicinâ ex urbe Sacerdos
Et facit, & cunctos ſacro circumtulit amne:
Iam medium emenſus cùm Sol trajecerat axem:
E ſolio ille alto Chriſti myſteria pandit
Multa docens, ſenſúque omnes informat honeſti.
Ergo pudicitiâ caſti florêre Penates.
Ergo fides, ergo pietas, omnisque nitere
Virtutum chorus. Hinc aberant fraudésque, dolíque,
Impietásque, & ovans triſti diſcordia luctu.
At verò famuli (famulos quis pectore dicat
In dominos facili, ſancto quis amore teneri?)
Omnes in nutus proni momentáque pendent.
Vnicus eximiâ Patrem pietate veretur
Natus, & eſt conjux in dulci conjuge tota.
Tum verò Deus unanimes in pace tuetur
Accumulans dona, & magnis ſucceſſibus implens.
Non tamen ille ſenex (quid enim tibi ſomnia fingis
Imbelli pietate animos & pectora frangi)
Non erat ille ſenex mavortia ſegnis ad arma.
Ille etiam Reges contra ſtetit arduus, ille
Vrbem etiam caput Imperij vi contudit, ille
Sæpe hoſtes bello fractos dare terga coëgit.
Nunc age, qui mores deceant, quæ munia civem
Aggredior, quæ ritè memor tu ſenſibus abde.

Principiò

Principiò, ſi quando fidem firmaveris ore,
Ceratisve etiam tabulis, phariâve papyro,
Sit rata: ne verbis noctem fallacibus atram
Spargito, tendiculas fuge ponere: Non ita fœdum
Ardentes corpus papulæ, triſtésve podagræ
Aut turpis ſcabies corruptos inficit artus.
Mygdonidæ tibi ne placeat mens illa Choræbi,
Cui dolus & virtus, cui fraus animúsque fuêre
Sorte pari. Non his Romana potentia natos
Artibus inſtituens, rerum dedit eſſe potentes.
Quin etiam fraudum artifices, à fœdere fracto
Qui ſibi præſidium vitæ, famámque petebant,
Dedidit increpitos, ultróque remiſit ad hoſtes.
Attilium fidei ſpecimen memorabile, quinam
Qui Vates, aut quæ Muſæ tacuêre? Quis illum
Ære Corynthiaco, parióve in marmore fictum
Non habuit circus, quæ non habuêre theatra?
In roſtris priſci ſtantem ſtupuêre Quirites,
Torvo unde & Romam vultu terrebat, & hoſtes.
Ille mihi ante alios laudetur civis, & illum
Prætulerim tibi Pompeï, tibi Sylla, tibique
Romani pater Imperij fortiſſime: ſanctum
Cui ſtudium eſt patriam felici pace beare.
Regibus haud aliæ leges, aut meta laborum:
Heu! Reges ſæpe ignaros, quid Regia poſcat
Purpura, quid ſceptrum, quid cinctâ in fronte coronæ.
In commune parant Reges, in publica toti
Commoda nituntur: civis ſua quiſque tuetur,
Atque omnes laribus curas concludit avitis.
Scilicet unus amor cunctis, feliciter ævum
Exigere, & placidâ vitam componere morte.
At multæ illudunt irato Numine peſtes,
Invidia ante alias, quâ non præſentius ullum
Eumenides virus ſtygio legere ſub antro.
Exin ſacra fames auri, Venerísque libido
Omnigenæ, & triſtes ſpirans Diſcordia rixas.
Quæ niſi dum primò attollunt capita alta, recidas
Enſe premens, ſtirpésque ipſas radicibus imis
Vulſeris, heu! fruſtra veniam, pacémque rogabis:
Nulla dies ibit felix, nullóque beata

Sidere

Sidere, labentur pacatis tempora rebus.
Nec minus interea, fueris ſi nactus amicos,
Hos colito, indulge hoſpitiis, ſere ſemina amoris
Perpetui: nunc conſiliis, opibúsque juvato,
Nunc quoque diſcrimen capitis, vitæque ſubire
Ne pigeat, tantúmque ſequi per funera nomen.
Namque illum, qui te purâ dum candidus æthrâ
It Titan, colit, & triſti ſi Iupiter aſtro
Aëra contriſtet, longè fugit avius, & te
Deſeruit, næ tu imprudens cenſebis amicum.
Qualiter inſanâ qui mole palatia cælo
Aut ſacras Superis ædes educere certat,
Altiùs in ſolido jaciens ſaxóque vetuſto
Fundamenta locat, nec fluxæ credit arenæ:
Ne Zephyris ſint ludibrio, ne turbine cœco
Dent vitium quaſſa, aut faciant ſublapſa ruinam.
Haud aliter, ſi firma tamen fundamina veræ
Ponis amicitiæ, ſanctos ſectabere mores.
Nullus amicitiæ locus inter crimina, nullus
Pacis amor, nulla eſt concordia: pectore in alto
Eſt animum livor, ficto qui ridet in ore.
Sed quid ego nunc te longis ſermonibus ultra,
Et lento velut in ludo morer? Accipe Graï
Quod facinus cecinêre, quod & cecinêre Latini.
Colchide in extremâ, triſti quà flumine campos
Phaſis arat, ſtagnans humano ſanguine Phaſis:
Ara fuit quondam, immiti quam priſca Dianæ
Ritibus, heu! miſerum, horrendis ſacraverat ætas.
Præterea ſi quos peregrinis caſus ab oris
Verterat huc Graios, ſceleratas ſiſtere ad aras
Mos erat, externóque Deam placare cruore.
Iphigenia Sacris præerat formoſa Sacerdos,
Iphigenia decus Graiûm, Graiûmque redemptrix,
Vni nota Deæ virgo: quâ judice cauſam
Orabant capitis Pylades, & natus Atridâ.
Hic prior. Haud equidem tam magni rebar Oreſtem
Cælicolis eſſe, aut tanto dignabar honore.
Pérque Aſiam, pérque Europam, populósque per omnes,
Pérque omnes aras nequidquam mortis honeſtæ
Argumenta rogo Superos. En attulit ultro

Iſta dies. Nam quid virgo mea fata moraris?
Hoc Stygij, hoc Superi magno mercentur, utriſque
Das operam. Parce ah! virgo, cognoſcere plura.
Si tamen humano dextram tinxiſſe cruore,
Si quid fortè tibi fraudi fuit: elue noſtro
Sanguine, & hac Colchos templúmque aſpergine purga.
Obſtupuit tantâ virtutis imagine virgo,
Et dulci miſerata animo eſt. Non pauca reponit
At Pylades. Hæc ſi Colchis ſententia perſtat,
Alter ſi fatis tantùm debetur, & unum
Abſolvit Dea. Quid pendes, ô! virgo? Quid ultra
Diſſimulem Pylades? Erepto vivat Oreſte
Hic animus, tantúmque nefas & Achaïca tellus
Audiat, atque ævo ſeri veniente nepotes?
Vos aræ, vos ô! vittæ quas hoſtia tacto,
Téque, tuúmque caput teſtor, ſanctiſſima virgo,
Téque Hecate, Colchorum Hecate Regina, Dearum
Maxima: nulla dies Pyladi ſubducet Oreſtem.
Tartareos ſequar uſque amnes, uſque intima leti,
Atque ultra, ſi forte aliquid Phlegetonte ſub imo eſt.
Sermonem abrupit medium dicentis Oreſtes.
Nam quod ais Pylades, magno quod pectore jactas,
Eſto, non egeat laudis, virtutis abundè
Eſto, habeat: ſi quæ tamen eſt ea gloria, noſtra eſt.
Quid triſtem tecum verear Phlegetonta ſubire?
At non hæc nobis olim jurata fides eſt.
Ecce autem Superi, Stygiique, huc reſpice tandem,
Cum Superis mecum Stygij pia Numina Manes,
Ipſa facit mecum genitrix, & quam dedit olim,
Nunc vitam repetit: Votorum deſine, & iſtam
Ire animam, quò fata vocant, ſine. Talia rurſus
Ille. Tibi non eſt fati permiſſa poteſtas,
Sed neque ſacrorum arbitrium. Te magna Sacerdos,
Te penes Imperium eſt: tantóque impenſius æquum eſt
Te caſus intentam omnes expendere: quantò
Graia ſalus, & Colcha tuo nunc pendet ab ore.
Si nondum ſenſus vobis obduruit, alto
Saxea nec geſtant Colchi ſub pectore corda.
Ah! parce, ah! virgo, tanto fuge ſanguine dextram
Polluere. Atridæ veſtras ſi venit ad aures

Gloria, ſi pugnata manu, tot bella, tot urbes,
Tótque arces verſæ, convulsáque Pergama bello.
Ille Aſiæ domitor, Regum Rex ille, ſuperbo
Sanguine, fœminеâ deceptus fraude, Penates
Fœdavit moriens, nec longum tempus, & ecce
Occidit infelix conjux Ledæa: ſecundâ
Quæ Iunone patrem geminatâ prole bearat.
Altera, par Veneri proles, ſubducta parenti eſt
Fraude Ithaci, Procerum illa palam ſpectante coronâ
Occidit, & cæſo perfudit ſanguine caſtra.
O! virgo, ô! juvenum, ô! Graiûm pulcherrima cura.
Illam mane novo, ſtellis ſurgentibus illam,
Illam ſola domi, mediis in cœtibus illam
Flebat inexpletùm genitrix, ſævámque Dianam,
Atque patrem ſævum, atque Deos, atque aſtra vocabat.
Tum quoties revehit ſolennia tempora Titan,
Inſtituêre choros pueri, miſtæque puellæ,
Et mœſtos ineunt cæsâ pro virgine luctus.
Talia dum memorat Pylades: Qui pectore in alto
Iphigenia tibi ſenſus, quantóque tumultu
Aſſurgunt curæ? Lacrymæ volvuntur in ora,
Cor micat, & trepido nutant in corpore vires.
Proſequitur Pylades. Agamemnonis altera proles,
Vnus Atridarum, tantíque hic nominis hæres
Eſt ſuper, immeritum triſti quem perdere leto
Si juvat, & Colchis habet inclementia laudem:
Exitióne etiam veſtro, templique, Deæque,
Graiugenûm populos in bella excire paratis?
Virgo tuas ego per lacrymas, oculósque tuos te
Atque aras omnes oro, lucósque Dianæ:
Votivam recipe hanc animam, ſine, vivat Oreſtes.
Sic olli inter ſe pulchro certamine, ſanctum
Quàm ſit amicitiæ nomen, fœdúsque docebant.
Tu tamen eximio patriam venerabere cultu:
Cùm caderes olim illacrymans genitricis ab alvo,
Te gremio nempe illa ſuo miſerata recepit.
Mollibus hinc fotum curis, multósque per annos
Educat, & tandem ſaturum te munere vitæ,
Atque ævo feſſum blandis complectitur ulnis.
Aſpera cur victu, vitiis cur horrida, & omni

Non opis eſt noſtræ, nec vatum quidquid ubique eſt.
O! Amor, ô! patri, natóque coæva poteſtas,
Æthereo qui mortales lumine ſenſus
Accendis, vegetóque irroras lumine mentes,
Iuſtitiæ dator, huc animis illabere noſtris.
Quæ ſtudia, & curas Chriſtus, dum vita manebat,
Inſtituit, bonus inſtaura, retróque fluentis
Per populos repara ſanctum pietatis amorem.
Multa Sacerdotes, ni forte audire pigebit,
Sacra tibi velut ex adytis oracula proment:
Æternum quâ mente Deum, quàm corpore prono,
Aut flexo deceat venerari poplite Numen.
Tum quas ore preces dabis, aut quæ carmina dices,
Aut tacito tecum quos volves pectore ſenſus.
Et qui primitias frugum, qui munera templis
Inducas pius, atque tholis donaria figas.
Pauca ego, nec longè procul arceſſita monebo.
Magna pater quamvis, quamvis te multa repoſcat
Patria, téque ſuo conſtrictum jure teneri
Intentâ lite, & multis clamoribus inſtent:
Ne tamen æternum in patrem, patriámque venito
Cœleſtem. Rerum ille opifex Mundique repertor
Téque, patrémque tuum, patriámque, æternáque Mundi
Templa, tuos ultro indulgens addixit in uſus.
Dum noſtris olim faceret veſtigia terris
Hæc mandata dedit Chriſtus, gladióque parentes
Abſcidit à natis, tenerásque à matre puellas.
Atque ea nequaquam veluti mirabere monſtrum,
Et querulus repeti juſto majora putabis:
Munera magna Dei ſi fortè expenderis æquus
Arbiter, & juſto prudens examine libres.
Ille tibi cælum flammis diſtinxit, in orbes
Ille tibi ſtellas egit Titaniáque aſtra:
Diverſæ unde anni facies, & mobilis humor.
Illius imperio floret ſub vere rubenti
Terra tibi, atque omni truduntur ab arbore gemmæ.
Aſpicis ut dives maturis frugibus æſtas
Turget, ut Autumnis præcingens læta racemis
Tempora, nectareos latices, & pocula promit:
Vt dapibus genialis hyems, pinguique ferinâ

Et ſaturat lances, & curvat pondere menſas.
Quis terrarum orbem, tibi ne faſtidia forſan
Attentent molles ſenſus, aciémque retundant;
Tam varias rerum in ſpecies, atque induit ora?
Aërij ſurgunt montes, intonsáque ſilvis
Attollunt capita, & frondoſo vertice nutant.
Subſidunt alibi valles, rivósque ſupino
Accepêre ſinu, revolutáque flumina longè
Subjectos in agros, & latè in prata refundunt.
In planum campi ſternuntur, obesáque terga
Subjiciunt duro agricolæ, cererémque miniſtrant.
Hic pomo dives rubet, hic incanuit albo
Flore pyri tellus, hic pingui pallet olivâ.
Per medias longè terras, tractúsque per omnes
Flumina eunt, nec quò tantùm motantibus unda
Fluctibus, aſpectum picturâ paſcat inani.
Verùm etiam malè quò fluxas telluris arenas
Siſtat, & innato ſolidet lentore fluentes.
Qui fluvios tranant, qui ſulcant æquora piſces;
Quæ liquido volucres labuntur in aëre, quæque
Et ſilvas & rura tenent animalia, cuncta
Dant operam tibi, cuncta tuos famulantur in uſus.
Præterea juvenes, quibus eſt cæleſtis origo,
Pulchra quibus patria eſt cælum, gens funeris exors
Auxilio veniunt, tecum bellare parati.
Quæ nihili ſi fortè putes, huc reſpice tandem:
Vnigenam ille tibi ſummo demiſit Olympo,
Qui, prô! ſancta fides, magno devictus amore
Occidit, atque ſuâ ſontem te morte redemit.
Et cunctaris adhuc, atque illi credere vitam
Addubitas, illique potes opponere quemquam;
Aut patrem, aut dulces natos, charámque parentem.
Ardua nonne vides arcis cùm mœnia ſævus
Obſidet, ac ducto circùm fremit aggere Francus.
Si quà fortè viam dederint tormenta, ruinâ
Si quà murus hiat diductus, ut emicat ardens,
Vt magnis certant ſtudiis irrumpere primi.
Cùm tamen ex alto rapidis armata procellis
Æra tonent crepitu ingenti, cùm fulmina denſa
Præcipitent, cæcique ignes, & ferrea grando.

Nec

Nec tantum excutitur glandis, cùm verbere crebro
Inſtant agricolæ, nec plures meſſor ariſtas
Dejicit, intereunt denſi vitámque ſub ipſis
Mœnibus, & medio victi certamine ponunt.
Scilicet in mortes pendent, & funera ſæva
Principis è nutu: pariter quem fata ſuperbum
In tenuem cogent urnam, condéntque ſepulchro.
Nos, quibus eſt Princeps, & vitæ ductor agendæ,
Quem penes imperium eſt noſtri, noſtræque poteſtas
Arbitriúmque necis, morem geſſiſſe pigebit.
Nos auri maleſana fames, laudisque cupido
Frangat, & illecebris Venus imperioſa triumphet?
Non ita Chriſtiadûm primi, qui ſanguine nobis
Hoc peperêre decus, Chriſtúmque tulêre per orbem.
Sed neque quos ſceleris vacuos, & crimine puros
Aurea jam primis ætas ſuſpexit in annis.
It laribus procul è patriis Abramus, & errat
Per populos longè ignoto ſub ſole calentes,
Quippe Deum ſequitur. Lacrymis nihil ille parentum
Flectitur, haud illum dulces moviſtis amici:
Atque his, quæ magnis forſan tu laudibus effers,
Surgebat virtus ſenſim ad majora, fuêre
Iſta rudimenta. Huc mentem converte, docebit
Tharamides, quæ ſit virtus ſincera, quis oris
Germanus color, & nativo in corpore ſuccus.
Illi pulchra fuit ſoboles, florentibus annis
Filius, affectæ natus ſub tempora vitæ,
Cùm feſſos jam deficeret natura parentes.
Vna domûs ſpes ille fuit, ſpes una futuri
Seminis, atque datum divini pignus amoris,
A quo ſancta Dei Soboles deduceret ortum.
Ter quinos nondum vitæ ſuperaverat annos,
Flore ipſo tener ætatis, multâque decorus
Virtute, implebat magnum genitoris amorem.
En celsâ de nube Deus compellat Abramum.
Si quis amor noſtri, ſi quæ reverentia, natum
Tolle pater, patris dextrâ cadat hoſtia, & aras
Monte ſuper celſo, nati perfunde cruore.
Heu! quid agat? Quanti ſurgunt in pectore motus?
Pugnat amor corde in patrio, ſpes venit amori

Auxilio

Auxilio, ſpes heu! miſerè ſucciſa nepotum,
Et matris lacrymæ ingentes, luctúsque perennis:
Tum pueri decor, & formæ naſcentis honeſtas.
Parte aliâ Deus imperiis & Numine toto
Inſiſtens, ſtimulos alto ſub pectore verſat.
Ille graves lacrymis oculos ad ſidera tollens
Teſtatúrque Deum ſuplex, & talia fatur.
Quàm meliùs genitor caderet tibi; limina vitæ
Vix natus tetigit, nondum de ceſpite totus
Floruit, & triſti naſcentem funere mergis.
Quid loquor ah! demens, quò me rapis impie cæci
Patris amor? Nam quid dubitas Abrahame, quid hæres?
Dextra tremit, ferrum digiti tractare recuſant.
Quid trepidas ignave? Iubet Deus. Atque ita fatus
In jugulum pueri ſtrictos mudaverat enſes.
Cùm tamen æterno nondum Genitore creatus
In mortem ſtraviſſet iter: poſt funera Chriſti
Et ſprevêre illam pueri, & ſprevêre puellæ.
Quid Iuſti poſcat ratio, quid poſtulet Æqui:
Quo patrem & patriam cultu, quâ Numen amicum
Mente colas, docui: Gladio de vindice pauca
Experiar. Namque eſt vindictæ parcior uſus,
Quam Deus aſſeruit totam ſibi, quámque ſecundùm
Eſſe Magiſtratus tantùm permiſit: ab illis
Ius repete, & cœcos ſtomachi compone tumultus.
Haud ſtygiâ gravior ripâ caput extulit olim,
Et miſeras hominum mentes confudit Erynnis:
Quàm quæ Chriſtiadas alterna in funera cogit.
Sæpè illos videas binos concurrere binis,
Sæpe etiam ternos. Nam quæ dementia ſævas
In mortes ultro jugulum dare? Ferrea non tot
De grege ſervorum, vili de ſanguine cædes
In ludos olim Romana theatra dedêre.
At quoniam furor ille viros, robuſtáque corda;
Vt perhibent, decet: extremo mihi carmine tantum
Dedecus eluitur, tantæque injuria cladis.

DE CVLTVRA ANIMI.

LIBER TERTIVS.

TEMPERANTIA.

ARGVMENTVM.

DEfinitur hic Liber tribus partibus. Primâ parte Iuſtitia, quam Originis *appellant, deſcribitur: quâ facultates omnes animæ obſequuntur Rationi, & Ratio ſupremo Numini. Eo in ſtatu feliciter creatus erat Adamus, cujus in Deum perduellione ſeditio poteſtatum omnium animi, primùm quidem in ipſo, tum in omnibus ejus poſteris exorta ſit fœdiſſima. Illi porro ſeditioni atque tumultui temperando data eſt virtus, quæ nomen habet ab officio, & Temperantia dicitur. In ſecundâ parte eſt admonitio, quî Temperantia cibo & potui moderetur: in tertiâ quî & quâ vi coërceat Venerem.*

IN cives quo ſis ſtudio, quo patria cultu
Iura, Deum quâ te deceat pietate vereri,
Hac ceciniſſe tenus fuerit ſatis. Ecce ſubinde
Largior immenſum pandit ſe campus in æquor.
Nam quibus imperiis curſus modereris amorum,
Et dulces animi ſenſus, blandúmque furorem
Durum opus, hinc doceo. Patris, natíque voluptas,
Et communis amor, Triados puriſſima flamma,

Huc ades ô ! ſacrásque adde in præcordia tædas.
Te ſine nec Veneris tutum eſt meminiſſe, choreas
Nec licitum Cybeles, corybantiáque æra ciere,
Sed neque vel thyaſos memorare, vel orgia Bacchi.
Principiò rerum ille Opifex, Mundíque repertor
Non homini tantum in pecudes, ſeu turbida tranent
Æquora, ſeu liquidum nitantur in aëra pennis,
Inſulténtve ſolo, & montes, ſilvásque pererrent,
Detulit imperium, & terræ dedit eſſe potentem:
Verùm ultro bonus indulſit pulcherrima regna,
Regna ſui, & queis ſe regeret conceſſit habenas.
Sed neque Pompilius tam ſanctis temperat urbem
Legibus, aut Cretam Minos, aut durus Athenas
Cecropiásve Solon gentes, Spartámve Lycurgus:
Quam bene collatis inter ſe viribus, omnes
Ritè poteſtates animæ, ſensúsque magiſtrâ,
In quaſcunque vocet partes, ratione ſequuntur.
Regno illam è tanto ſi quid miraberis actam
In præceps, mecum tantæ caput aſpice labis:
Aſpice quàm ſancto dejectus culmine, ſortem
Proh! miſeram, infelix agites inglorius ævum:
Quippe juvat fortes amiſſæ gloria palmæ,
Virtutémque acuit priſcæ ſpes æmula laudis.
Corpus in humanum (ni te meminiſſe pigebit)
Et varias partes, variósque induximus uſus:
Quæ ſtatio jecori fuerit, quæ Regia cordi:
Quâ magnus ſeſe pulmo regione locârit
Diximus, & latæ dedimus capitolia fronti.
Scilicet has ſedes, hæc nempe palatia magnus
Rex habet, hâc animus latè dominatur in aulâ.
Nonne vides quis honos illi, quæ gratia, quantus
Majeſtatis apex, quantúmque ſit inſtar in illo,
Qui circùm famuli, comitum quæ pompa, quis ordo:
Veſtibulo in primo ſenſus tentoria figunt
Excubiæ vigiles, aditúsque & limina ſervant.
Quid poſſint oculi, quàm magno munere ditent,
Proventúque beent animum, jam carmine dictum eſt.
Nunc geminis referam qualis ſe copia rerum
Auribus infundat, quantis ſucceſſibus auctæ
In commune parent: quæ ſit vel gratia vocum,

Quis

Quis numeris decor, & tremulâ concentus in aurâ.
Cum gravibus perſæpe ſoni certamen acuti
Indixêre, putes acri decernere pugnâ :
Mox etiam feriunt per mutua fœdera pacem.
Ipſa quoque auditu ſeritur ſapientia : in hortis
Cecropidas inter Macedo ſpatiatur, & illos
Naturàque ſuper, ſuper & florentibus aſtris
Multa monet, ſenſúque avidos informat Honeſti.
Excipiunt aures dictata, altóque recondunt
Pectore, quæ juſto in ſegetem poſt tempore ſurgant,
Chriſtiadûm ipſa fides, divinæ oracula vocis,
Et quæ multa patres docuit myſteria Chriſtus,
Huc ad nos doctas ſenſim venêre per aures.
Eſt etiam gemina affuſos quæ naris odores
Exploret, ſeu quos exhalant ſuavibus horti
Floribus, aut acres quos afflat tetra mephitis :
Hos procul ablegans, illos complectitur arctè.
Vnda velut cæcis deducta canalibus, altam
Subter humum, tandem mediis erumpit ab hortis.
In fontem, lætóque rigat violaria fonte.
Haud aliter ſemel immiſſus ſe corpore toto
M ſcet odor, cordisque ſinus, cerebríque meandros
Pervadens, ægræ ponit ſolatia menti.
At linguâ in molli Guſtus, teneróque palato
Conſtitit, inque omnes blandè vis illa ſapores,
Cùm primùm immiſſi ſubeunt, inquirit habendo,
Explorátque adeo : dulces componit amaris,
Suavibus immites, tardos irritat acerbi
Flore ſalis, ſuccóque auſteros mitigat Indo.
At tactu quæ vis pollet, membra omnia tranat :
Cúmque alios alij ſenſus dominentur in artus,
Omnibus ille præeſt, & toto corpore regnat :
Ille voluptatis Iudex ſedet, ille doloris.
Omnibus haud omnes inſunt animantibus. Ecce
Capta oculis Talpa eſt, & captus Araneus, aures
Neſcit Apis : tactu nullæ caruêre, nec ullas
Deſtituit guſtus, nec quæ vis membra moveret.
Ergo pro foribus, primóque in limine ſenſus
Stant vigiles, quin & populos, gentésque per omnes,
Per terras, tractúsque maris, cælúmque vagantur,

Prædatique orbem remeant: tum fronte ſub ipsâ
Eſt locus interior latè circùm actus in orbem.
Protinus huc rapidi toto de corpore, mille
Confluxêre viis, huc portant omnia ſecum.
Haud aliter mediam civis Romanus in urbem
Congerit, inque forum convectat quidquid edule;
Et quidquid veſcum,, humanos & quidquid in uſus
Terra tulit, quidquid Ganges, atque ultima Thule
Parturit, & pleno quidquid parit ubere Bœtis.
Sincipite in primo poſtquam jacet ordine præda,
Hic veluti Prætor ſenſus interrogat omnes
Phantaſia, hoc illi nomen gens Graïa fecit,
Auſoniam placuit Latiis ab imagine laudem
Addere, vim mentis dixit pater ille Lycæi,
Singula quæ libret, quæ lancibus æſtimet æquis.
Illa quidem in pecudes caſſas ratione, ſuprema
Arbitria exercet, frænósque abducit & addit.
Sanctior eſt homini Ratio, Mens conſcia Veri
Divinæ radius lucis, morúmque magiſtra.
Ecce poteſtates animæ, quibus illa tuendo
Omnigenas rerum ſpecies formámque decúsque
Inſpicit, & ſpeculâ veluti proſpectat ab altâ.
Accipe nunc alias, prenſat quibus omnia, ſeſe
Longiùs extendens, quibus & bellatur, & hoſtes
Atterit, aut pacem meliori ſorte redemit.
Sublimi ſedet in ſolio Regina Voluntas,
Quam penes arbitrium, vitæ cui ſumma poteſtas
Atque necis, parent omnes, dominámque verentur.
Ante alias quamquam geminæ, præque omnibus acrem
Dant operam famulæ: ſtudiis pellacibus una
Optima quæque ambit, multâque cupidine quærit:
Altera robuſta eſt, fortíque accenditur irâ.
Blanditiis quod prima nequit pervincere, magno
Altera conatu, magnis & viribus audax
Aggreditur, coëunt ſæpè, & ſocia agmina jungunt.
Namque illis legio in bellum non una meretur.
Hinc amor, hinc odium longas traxêre cohortes,
Triſtitiámque, metúmque, & inania gaudia mentis,
Et juvenum ſpes arrectas, & lapſa ſenili
Corda gelu, & triſtes non uno nomine curas.

Omnibus

Omnibus una ſubeſt, ultróque impoſita faceſſit
Imperia, huc illuc docilis, quocunque jubetur,
Impellit nervos, inhibétque potentia motrix.
Præterea Pater omnipotens ſanctiſſima dona
Addiderat, magnis illas virtutibus augens,
Attollénsque animos, & feſſas robore firmans.
Tantum opus, & tantæ quondam molimina laudis,
Primævam ſancti dixêre ab origine Patres
Iuſtitiam, ſeu quòd primo conceſſerit ortu
Illam Opifex, ſeu quòd puros ſi crimine ſoles,
Et ſceleris vitam exſortem duxiſſet Adamus,
Ipſa per innumeros eſſet ventura nepotes.
Felix ah! nimiùm felix, ah! ſtamine puro
Vita fluens. Neque crediderim ſuper ardua Mundi,
Aſtra ſuper (ſancto puras ubi lumine mentes
Omnipotens beat, & divino Numine paſcit)
Ire dies alios, meliori aut luce nitere.
Hic nimiâ ſi fortè putes dulcedine Muſam
Indulſiſſe ſibi; paucis ſic accipe: Noſtra
Nititur huc virtus, mentis cùm temperat æſtum,
Et varios animi certat componere motus.
Qui decus amiſſum reparet, formámque reducat.
Poſtquam igitur Pater ille hominum ſe crimine demens
Polluit, haud veritus pulchrum cervice rebelli
Detrectare jugum, dominíque invadere nomen:
Protinus exoritur magno turbante tumultu
Seditio: prior ante alias ceu turbine magno
Excutitur ratio in præceps. It deinde voluntas
Servitum, aſſurgunt famulæ, dominámque ſuperbo
Heu! miſeram illudunt faſtu: cum gente feroci
Tartareus prædo inſanâ dominatur in aulâ.
Tum Bacchi furor indomitus, tum blanda veneno
Graſſatur Venus, atque auri non ſana cupido.
Non tulit id ſceleris, rerum cui ſumma poteſtas,
Cœlicolûm Rector, ſed juſtâ percitus irâ
Et patrem & natos, totámque ex ordine gentem
Iam tum infelici vindex addixit Averno.
Credo equidem, Iſacidûm primis hæc cognita dudum,
Sed neque Graiugenûm priſcos latuiſſe Poëtas.
At ſemel ingreſſi Vatum gens impia, fuco

Blandiri

Blandiri, & fictas populos mulcere per artes,
Continuò pergunt illudere, fictáque veris
Miſcere, & claram tenebris involvere lucem.
Non aliam ob culpam confidentiſſimus illis
Fingitur, irato Phaëton ſub fulmine pœnas
Exſolviſſe Iovi, & vitam poſuiſſe ſub æthrâ.
Nam patrios amens juvenis invadere currus
Ambiit, ignoto properans ſe credere cœlo.
Ergo illum pronos in curſum agitare quadrigas
Inſuetum per iter gaudentem, ac juſſa paterna
Nil veritum in tranſverſa ferunt, rapiúntque jugales.
Iámque ignem metuêre poli, jam ſidera flammas:
Iam tellus ardet, jam fervent æquora, & orbis
Qui molles per aquas primo concreverat ortu,
In cineres vincente rogo collapſus abibat.
Iupiter interea cæli de vertice ſummo
Fulmina molitur dextrâ, ſolióque trementem
Aurigam excuſſit, curſúmque repreſſit equorum.
Illa ergo, heu! miſeros, quæ peſtis inhæſit Adamo,
Inſeditque altum in pectus, mox ire per omnem
Progeniem, natósque omnes, omnésque nepotes
Pergit, & in totam ſerpit contagio gentem.
Non ſecus ac tellus fuerit licèt ubere felix
Triticeam in meſſem, vel Bacchi munere dives:
Ni tamen aſſiduo cultu, varióque per annum
Exerces ſtudio, ſi curam fortè remittis,
Continuò in dumos, ac vepres ſurgit opacas.
Sic animus vitiis latè naſcentibus horret.
Hinc trepidum vexat dolor, illinc ægra voluptas,
Et ſcelerum fœdæ ſpecies, & crimina mille:
Quæ niſi falce premens, imísque à ſtirpibus uſque
Convellas, totum heu! corpus, mentémque tenebunt.
Miſſa jugum ſubter ratio, ne carcere ſeſe
Aſſereret, primósque iterum affectaret honores:
Relligione Deûm, totóque oneratur Olympo.
Sed neque jam pietatis amat, fictæque colorem
Virtutis, vitium induere: his, cùm reperet olim,
Accrevit ſtudiis: versâ nunc ſorte ſuperbum eſt:
Fit Deus, & totum meruit delubra per orbem.
Bacchus, amor vini Graiis: Cytheræa, voluptas

Creditur

Creditur, & turpi Deus eſt cum matre Cupido.
Hæc tamen, hæc Satyræ memoranda relinquere Phœbus
Admonet, & ſancto deducere tramite Muſam:
Sed neque carminibus tantùm vulgare per orbem
Crimina, quantùm illis ſanctâ ratione mederi.
Quare age, non Baccho thyaſos inducere, thyrſos
Non vibrare manu, Corybantiáque æra ciere
Eſt animus, neque virginibus bacchata Lacænis
Perſultare juga, inſanúmve errare per Idam.
Scilicet hæc (quoniam nomen tibi ſcribere Chriſto
Sorte bonâ licuit) culpas, hæc crimina nempe
Objurgas. Veteri ſed cur hoc dedecus ævo
Impingis cenſor, ætas ſi noſtra laborat
Non minùs, aut etiam vitiis majoribus horret?
Atque hic Religio pallet, ne carmine noſtro
Vana ſuperſtitio primas ferat; omnia fortè
Crimina criminibus, mores ſi moribus æquus
Arbiter expendas, ne Chriſtus cedat Iaccho.
Chriſtiadûm quanquam fruſtra de gente canuntur
Inſani, ſummâ Chriſtus quos luce, ſuorum
De numero longè ablegans, procul eſſe jubebit.
Hic ego nil puras referam quod vulneret aures,
Ac ne multa quidem: mediis è millibus unum
Diſce memor, tua quod vidit, nec palluit ætas.
Tres memorant nequaquam humili de plebe, Falerno
Incaluiſſe mero: tepido cùm naret in æſtu
Ebria mens, duro contundunt vitrea ſaxo
Pocula, & infundunt pateris, ultróque propinant.
It ſtomachum in medium cryſtallus, & intima rodit
Viſcera, commiſtum fluit atro ſanguine vinum:
Exhalant turpes inhoneſto funere vitas.
Ergo age, quæ Mænas, ſparſis quæ torva capillis
Baſſaris ingeminans ululatibus Evohe Bacche,
Tantum concepit lymphato corde furorem?
Cætera quæ ſtomachum moveant quis neſciat? Ipſæ
Cum pueris gaudent Bacchum cantare puellæ:
Queis pudor eſt vitis laticem libare, decorum eſt
Irritare ſitim, cantúque accendere pulchrum.
Altera virtutis ſpecies ſanctiſſima, nunc me
Advocat, & Veneri certos jubet addere frænos.

Illecebras

Illecebras quanquam, blandósque Cupidinis ignes
Quis verbis memorare queat, quis dicere verſu?
In læves mihi nequaquam fœcunda papyros;
Ægyptus ſat erit, non ſuccos omnis in atros
Sepia ſufficiat, volucrum neque tota propago
In calamos. Tum quis tantum ceciniſſe furorem
Nunc valeat; quando juſſis procul eſſe Camœnis,
Parnaſſo inſultat temerè cum matre Cupido?
Oceano pariter quondam, cælique ruinâ
Præcipiti merſas irato Numine terras
Quis vatum tacuit, quinam ſiluêre Poëtæ?
Ecce horret, refugitque animus meminiſſe tot urbes
Tot populos illo vitam poſuiſſe tumultu:
Cùm genus omne hominum mare, cùm genus omne ferarum
Hauſit, & Oceano merſus contabuit orbis.
Omnis quippe caro (ſacro Moſeïa verſu
Pagina ſic loquitur) ſancti corruperat uſum
Conjugij, pulchróque datas leges hymenæo.
Nec tamen undarum quæ vis extinxerat auras;
Auras vitales, Veneris ſopire furorem
Averſæ potuit. Quos ergo fluctibus ignes;
Quos non evaluit toto reſtinguere ponto,
Omnipotens, tentat majori vincere flammâ.
Pentapolim Bacchi felicem munere, frugis
Arboreæ donis opulentam, atque ubere glebæ,
Exemplum poſuit, morum Deus arbiter. Ille
Succinctus nimbo, mediisque in nubibus ardens
Æthera concuſſit tonitru, tum fulmina creber
Aggerat, igneſcit cælum, terræque tremiſcunt.
Ecce autem, horrendum viſu, toto ruit æthere flamma;
Præcipitant pluvio torrentes ſulphure nimbi,
Nec minùs interea tellus occulta relaxat
Spiramenta, novósque aperit ſuccuſſa meatus.
Protinus infernis exundant ignea ripis
Flumina, Cocytúsque ater, Phlegetónque Acherónque;
Et ſtygio quæcunque animas ſub gurgite frænant.
Concuſsêre domos & inania templa Deorum
Quaſsáque proturbant: miſeræ cum civibus urbes
Intereunt, teneri pueri, innuptæque puellæ
Grandævique ſenes, & vitæ munere quidquid

Veſcitur

Veſcitur, ardenti pariter jacet igne ſepultum.
In latos etiam campos, vallésque ſupinas,
Cortice cinnameo campos, & rore beatas
Balſameo valles, pleno furit agmine. Turbo.
Fit pelagus: flammis pelagus crepitantibus alto
Æſtuat à fundo, cinis ater litora complet.
Reſtitit aſpectu in tanto, ſeséque repreſſit
Vtcunque humanum genus; at poſtquam aurea riſum
Explicuit Venus, & vultûs detexit honorem:
Tum memori Deus ex animo dilapſus, & omnis
Ira Dei, fumus veluti purgatur in auras.
Continuò laxis itum eſt in crimen habenis,
Nec frænos patitur vitium, nec jam loca ſola
Aut tenebras furtim captat veſana libido:
Luce palàm caput oſtentans, per compita paſſim
Pérque urbes medias pompam deducit, & omni,
Cùm libuit, victrix agitat de gente triumphos.
Illa polum (Nam quis vitium tamen offerat aſtris)
Illa polum tamen invaſit: jam ganea cælum eſt.
Quâ non parte nitet meretrix, ſi deficit uſquam
Occupat Antinous, frondosâ raptus in Idâ
Occupat ille puer, Divisque propinat amorem.
Iam cæli pudet: Ecce humiles circùm undique tetras
Luxuries (velut Oceanus, cùm litora rumpens
Fertur aquæ cumulo) campos invadit, & urbes
Obruit, obductóque premens tenet omnia cœno.
Ecquis honos Venerem præter, quæ munera templis;
Qui nituêre dies: hæc quanquam ferre ſub auras
Sit pudor, & noſtrum verbis vulgare per orbem:
Id referam, retulit quod fortè Terentius Afer.
Iupiter ille Deûm Rector, gentisque Repertor
Humanæ, fictâ lucebat imagine pictus,
Qualis erat quondam pluviâ cùm lapſus in aureâ
In Danaës gremium venit pretioſus adulter.
Scilicet id juvenis, cui nondum extorſerat omnem
Fœda pudicitiæ ſenſum Cytherea, legendo
Sic ſtatuit. Nempe ille hominum Sator, ille Deorum
Et Pater, & Rector: noſtrate in virgine peccet?
Exemplis præeat? Nos hæc ſpectemus inertes?
Talibus ille quidem puer, & me judice pulchrè.

Poſt Superos nam quem pudeat? Auctoribus illis
Relligio eſt Veneri, Venerisque obſiſtere nato.
Nunc tantam quâ forte tuo de corpore peſtem
Exigere arte queas, tibi ſi reſcire cupido,
Accipe, quæ ſanctos docet experientia Patres.
Altiùs infixum venis depellere virus
Non opis eſt noſtræ, gentis nec quidquid ubique eſt
Humanæ. Duram potiùs radicibus imis
Aut Rhodopen, altámque jugis convulſeris Alpem?
In cælum Icario potiùs nitere volatu,
Et Lunam potiùs, Titaniáque aſtra refiges.
Virginitas venit Chriſto donante, putrique
Caſta pudicitiæ floret ſub pectore virtus.
Incaſsùm recidet tanto ſine Numine quidquid
Experiêre, omnes quamvis tentaveris artes.
Impaſtas alius nequidquam condere luces
Aggreditur, cutis exſucco vix oſſibus hæret,
Et tamen interior populatur viſcera flamma.
Nec ſatis eſt triſtes in nudâ carpere ſomnos
Tellure, aut ſilice in ſolâ. Fruſtra ille flagellis
Membra ſecat, fruſtra currit de corpore ſanguis.
Hæc etenim fuerint ſi ſola, incendere bilem
Sæpe ſolent, Venerem ſæpe irritare: nec alta
Sufficiat nemora, aut ſilvas petiiſſe, vel antra;
Vnde joci, risúsque abſint, mollésve puellæ.
Nonne vides ut Derviſij (ſic Thracius ille
Turca vocat, ſi quid memini) ſub imagine falsâ
Et fuco ſuper inducto pietatis, Eoas
Iamdudum miſerè pergunt illudere gentes?
Antra illi ſilvásque colunt, ſi quando per urbes
Inceſsêre, illos venerantur vertice plebes,
Námque ivêre pedes nudi crurum tenus, alta
Detecti capita, ipſa etiam liventia nudant
Brachia, tum rigidis circùm dant ilia ſetis
Terga Camelorum, pellémve Libyſtidis Vrſæ?
Præterea, viſu horrendum, ſibi brachia cultris,
Crura ſibi fodicant, fluit atro vulnere ſanguis.
Tot mortes inter, tanta inter funera, cœco
Igne tamen videas, turpique ardere favillâ.
Vſque adeò Venerem pœnis compeſcere vanum eſt;

Vſque adeò nulli cedit furor ille furori.
Non tamen hæc nihili fuerint, nec inutilis ille
Eſt labor, aut noſtro culpatur carmine. Verùm
Eſt melior cura, infandos quæ ſopiat ignes.
Accipe quæ Chriſtus quondam, dum vita manebat,
Edocuit, juſſitque pios reſcire nepotes.
Tartareos inter fratres, quo fœdior uſquam
Non fuit, infelicem animam teterrimus hoſpes
Invadens, ſpeciem in miſeram huc verſabat & illuc,
Ora fimo, & turpi deformans pulvere corpus.
Hunc Petrus, hunc alij, quamvis ſanctiſſima turba,
Aggreſſi nequidquam alienâ pellere ſede,
Chriſtum adeunt. Nam cur turpiſſimus ille repugnat
Vſque adeo, atque etiam verbis irridet amaris?
Pauca Petro purâ reſpondet Virgine natus.
Non una eſt genti ſpecies, non omnibus unum
Eſt genus: hoc aliis non eſt tractabile curis,
Expellive poteſt niſi per jejunia longa,
Atque preces, quibus æternum venerabere Patrem,
Et tua non facilem coges in vota precando.
Talia bis genitus, quæ vulgo noſſe negatum eſt.
Quare agedum, ne te incautum malus avocet error,
Aut agat in præceps, animum converte, docebo.
Non ſtrepero vocis ſonitu, linguâve movetur
Omnipotens, vanásque preces demittit in aurem.
Chriſtiadis eſt iſta precum ratio optima, faſtum
Frangere, te fragili fictum cognoſcere cœno,
Et prono in vitium per lubrica tramite ferri.
Tum venerare Deum, voto tum ſupplice Chriſtum
Oratorem adhibe, Chriſtique precare Parentem.
Ah! fuge Socraticis ſanctos componere mores
Et vitam ſtudiis, procul averſare Platonem:
Quin & Ariſtoteli, ſophiæ licèt ille magiſtros
Deſtituat longè victos, ne fide, ſuperba eſt
Græcia, & occulto vitiat ſtudia omnia faſtu.
At tibi Chriſtiadæ, Chriſti præcepta placebunt:
His vitam informa, hæc noctu meditare, diúque:
Hinc vitâ functis alios ſuper eſſe Penates,
Atque dies alios, quos nullum terminet ævum.
Felices operum, puras & crimine mentes

Transcribi cælo : scelerum quas ardor inussit,
Sub Styga, prô ! miseras, atque impia Tartara volvi.
Atque his, atque aliis, docuit quæ plurima Christus,
Vitabis Venerem, Bacchum vitabis, & artes
Vitabis stygias, téque in tua jura repones.
Nunc ego te, si fortè juvat meminisse, duellum
In medium, bellúmque voco, quod nudus, inermis,
Et puer, & senior nemora inter inhospita gessit.
Omnia nequaquam præceps imitabere, nempe
Optima quæque leges, propriósque aptabis in usus.
In teneris quondam populos Antonius annis
Cùm fugeret Superûm monitu, duríssima secum
Bella tulit. De se parta est victoria prima.
Námque puer postquam loca sola silentia latè
Ingressus, silvâ in mediâ, incomitatus, inermis,
Constitit, ut teneros tremefactus inhorruit artus.
Si qua dabat nemore in tanto se bellua coram,
Continuò venas per molles sanguis hebere,
Et vultûs decor extingui, & cor pectore in alto
Intremere, intentant timido procul omnia mortem.
Verùm ubi se Christo totum permisit, & omnes
Addictum in casus ultro concredidit : omnis
Tum demum timor in tenues evanuit auras ;
Tum placidis cecidêre feris immania corda.
Vna illis juvenem tenuit pia cura diebus,
Cœlicolûm summo laudes, & carmina Regi
Dicere, tunc nitidi soles, tunc aurea risit
Pax animo, sanctum complebant gaudia pectus.
Ecce repentino diri cùm turbine belli
Omnia miscentur : cœci Regnator Averni
Divitias animis spretas melioribus, usque
Obtrudit, Venerísque dolos, popularis & auræ
Gaudía, tum primâ desertam ætate sororem.
Nam quid agis, juvenum mollissime ? Quò furor iste
Te tulit, Antoni ? Pecoris ditissimus olim
Tharamides vixit : regali fulsit honore
Conspicuus David. Quidni componere censum
Consilio liceat, rebúsque imponere morem ?
Adde quòd & scelerum soror est objecta furori,
Non ævi matura, nec usu callida rerum.

Ne

Ne qua pudicitiam violent contagia labis,
Cautio prima fuit: Tu mentis fractus, inérsque
Infelicem animam nemora inter inhoſpita ducis.
Egredere, & rerum curam molire tuarum.
Vt Stygiam ſenſit fraudem, blandéque venenum
Serpere non ullo ſub lævia pectora tactu:
Tùm longos in vota dies producere cœpit
Impaſtus, lacrymisque indignas condere noctes.
Talibus exorſis ad bella ſequentia virtus
Surgebat ſenſim, & vires capiebat eundo.
Ecce novas animo fraudes, nova crimina prædo
Tartareus verſat: medicatam rore ſagittam
Tænario, heu! ſævæ pridem malè conſcius artis
Intorſit. Non illa quidem dat cuſpide latum
Vulneris os, nihilo perſedit feciùs altum
In pectus ſublapſa; in totos diditur artus
Peſtis, & ingenti populatur viſcera flammâ.
Vt famulæ commiſſa penum cui cura, larémque
Inſtruere, & lætos flammis adolere Penates,
Fortè imprudenti, ſi quæ levis excidit ignis
Scintilla, & ſtipulis affixa ardentibus hæſit:
Is tectus primùm, tacitúsque ad proxima ſerpit
Adrepens, mox & craſſo tabulata pererrat
Languidus in fumo, tum tigna, trabésque domorum
Corripiens, flammâ crepitante erumpit, & alto
Dat ſonitum cælo, latéque incendia jactat.
Mollibus haud aliter venis affixa, furoris
Tænarij ſcintilla hæret, primóque labore
Extingui facilis, totas neglecta medullas
Carpit agens, magnísque undans liquefacta per oſſa
Vorticibus, mentis ſupremam invadit in arcem:
Tum fœdâ corpúsque animúsque arsêre favillâ.
Id metuens, bellique memor, quod geſſerat ante,
Interior nemora, & ſilvas Antonius ivit,
Sole ſub ignoto ſolus tentoria fixit,
Quò non ullus Arabs, quò non Ægyptius ullus
Certus iter tenuit, Satyris loca pervia ſolis,
Panibus, & Faunis, & ſemiferis Centauris.
Rupis inacceſſæ nitidis argenteus undis
Fons venam ſecat, humentem ſinuata per arcum

Lympha

Lympha cadit, fluctus fluctum undam verberat unda;
Aërio injuſſæ nutant in vertice palmæ:
Palma famem, unda ſitim riguo ſolatur ab amne.
Artificis ſcelerum ſtygij, fraudésque dolósque
Ecquis commemoret, cordi cui crimina mille,
Mille nocendi artes? Turpis ſpectacula ſcenæ
Ludicra quid referam, indignis illuſa figuris
Invitóque objecta? Syrum quid mentis iniquæ
In dominos, Davique dolos, quid Thaïdis artes,
Quid lenocinium Docyclis, quid turpia dicam
Fercula? Quid fractos mores plaudente theatro,
Atque indignato extinctum ſub ſole pudorem?
Nunc clamoſa fori dat coram jurgia, tardos
Nunc jubet in medio patres conſulta Senatu
Scribere, nunc juvenes media in certamina mittit.
Aërias Alpes aliàs frangebat aceto
Annibal, & muros aliàs Carthaginis altæ
Publius, atque aliàs vertebant Pergama Graij.
Nunc Româ in magnâ, populique ante ora tuentis
Ibant Cæſarei Capitolia ad alta triumphi,
Captivæque ibant urbes, Regésque ſuperbi.
Atque hæc, quò Sacris operantem averteret orſis
Hiſtrio tartareus, fictâ meditatur in artè.
Quò magis hic urget, magis in contraria magnus
Nititur, & precibus votisque Antonius inſtat.
His ſtudiis vires adeò, faſtúmque latronis
Infregit ſtygij, radio ut tenuive bacillo
Tartareos longè ſummotum mittat ad amnes.

DE CVLTVRA ANIMI.

LIBER QVARTVS.

FORTITVDO.

PARTITIO.

DVabus partibus hic Liber continetur: prima docet multos inani fortitudinis ſimulachro ludi turpiter: altera, quis ſit verus fortitudinis color & ſuccus, oſtendit.

Primâ itaque parte deſciſcere à fortibus hi docentur. I. *Qui levi de causâ rixantur, & bella ſuſcipiunt: ut Græci, & Trojani, qui ſuper Helenæ ſimulachro & effigie, mutuis præliis attriti ſunt.* II. *Qui ſibi violentas manus inferunt, in quibus fuit Cato Vticenſis.* III. *Qui ſingulari certamine privati homines digladiantur, quorum ſævitia in aliis quidem, ſed in Chriſtianis maximè, objurgatur.* IV. *Qui ab aliis vitiis victi atque corrupti, ſolâ immanitate ferociunt; ut claret in Hercule furente.* V. *Quî, ſuâ in Deum impietate, fortes videri ambiunt, quorum impudens arrogantia ſic punitur à Deo, ut vitiis longè turpiſſimis inquinentur, & infra belluas ratione caſſas abjiciantur. Exemplum in Nabuchodonoſore, illuſtri capite poſuit Deus.*

Altera verò pars eos, qui verè fortes ſint, celebrat: ac primò quidem eos, qui pro patriâ, pro libertate, pro Religione & bella gerunt, & mortem contemnunt, in quibus fuêre Macchabæi: Tum qui pro vindicandis regnis paternis bellantur, quâ laude floruit Henricus magnus. Præcipua verò pars, eáque princeps fortitudinis eſt, adverſis fortunæ caſibus nec frangi, nec cedere, ſed illos magno, patienti, & (ut loqui mos eſt, & decet) forti animo tolerare. Atque id cùm in externis hominibus laude dignum ſit, tum

in

in Chriſtianis neceſſarium eſt, ut multis hic oſtenditur. Exemplò præit Chriſtus Dominus, qui in Cruce ſingulari patientiâ & hoſtes vicit, & homines in libertatem aſſeruit: tum quæ illi ſuppar quodammodo fuit Virgo Mater ſanctiſſima, quæ propter Crucem pluſquam virili animo perſtitit invicta.

FORTITVDO.

SVBLIMES Heroüm animas, & nomen ituras
In magnum, quæ res deceat, quæ gloria; noſtræ
Nunc operæ eſt canere: Huc etiam convertere mentem
Te decet, Haberte, extremóque favere labori.
Ecce rudi laus eſt populo pulcherrima, rebus
Addere ſe magnis, altæ Carthaginis arces
Vertere, turritam flammis circumdare Trojam;
Expugnaſſe Tyrum antiquam, bimarimve Corynthum;
Haud equidem abnuerim, tantis ſi viribus auctor
Sit ratio, ſanctique aſpiret Numinis aura.
At ſi quem ſolidâ dejectum mente, furórque
Iráque præcipitent: acri virtute quis illum
Eſſe velit fortem? Cui non rationis egenum
In pecudum cenſu liceat poſuiſſe, leones
Inter, & humani ſitientes ſanguinis urſas:
Quas paſtus, Venerisque inſana libido frementes
In rabiem verat: quas ſæva in vulnera mittat
Aut levis, aut etiam nullo de nomine culpa?
Aſpice, Tindaridis ſimulachrum paſtor inane
Priamides tulerat (neque enim tibi credere fas eſt
Aut Spartâ, aut mediis Helenam abduxiſſe Mycenis)
Ecce levi ſuper & telâ, ductúque colorum
Græcia conjurat: Proceres cum pube ſuorum
Arma fremunt, optántque mori: nec Troïus Heros
Tot Regum genitor, longi jam grandior ævi
Plus ſapit: igneſcit pariter cum Rege juventus;
Et Phrygiæ, atque Aſiæ populi, natique Deorum.
Ille igitur, tantum imperio frænare furorem

Cujus

Cujus erat, cecidit Priamus : tum longa malorum
It labes, furiis incenſus raptat Achilles
Hectora : Deïphobo populatis tempora circùm
Auribus, informi cæduntur vulnere nares.
Occidit Auroræ Memnon pulcherrima proles,
Et quæ lunatis ibat fortiſſima peltis
Penthesitea, Paris fœdavit ſanguine crines,
Crines purpureos longè per colla comantes.
Nec minor Atridas fratres, pubémve pelaſgam
Ira Deûm excepit : Trojæ ſub mœnibus altis
Everſor cecidit Trojæ : Priameïa regna
Impunè appetiit nemo, non durus Vlyſſes,
Non Telamone ſatus, nec Calchantem Infula texit.
Scilicet id quondam Vatum ſapientia cavit
Multa monens : variis exhauſtos caſibus omnes
Aut ponto, aut miſeros inhonoro funere merſit,
Quò premeret duro inſanum ſub marte furorem.
Sed neque fortis erit nobis, nec funere major
Aut fatis, vilem ignavo qui pectore vitam
Abjiciat, mortémque optet pro morte paciſci.
Infelix ſtudiorum ille eſt, quem Stoa ſuperbum
Iam nimis, Hiſpanóque afflatum ſidere, quondam
Erudiens, docuit verbis illidere verba,
Et vacuâ populos ſermonum fallere rixâ.
Grandior ille quidem, tum fratris ſanguine cretus,
Nec patruo diſpar, Superis impunè Catonem
Anteferant, fracto quem victum pectore, riſit
Africa. Quid trepidas animi ? Cur viſcera ferro
Tranſadigis ? Quæ te furiæ, quæ vexat Erynnis ?
Quo fugis, ah ! demens ? Victorem ferre ſuperbum
Non potes, & Caï coram ſpectare triumphos ?
Victus abis, tantâque minor ſub mole fatiſcis.
Poſt Romam te ſtare pudet ? Poſt libera turpi
Colla jugo ſubmiſſa ? In te cur libera Roma
Non erit ? Obdura, nec longum tempus, & ecce
Illa dies aderit, cùm res te publica magnis
Nequidquam optârit votis, cùm dextera Bruti
Te velit auctorem, magni facundia Marci
Cùm vocet in partem, turbatáque Curia patrum.
Nunc age, tu mecum, noſtro quem Carmine Muſa

Detinet, hæc juſto prudens examine libra.
Si miſeris iſto fas eſt cum corpore vitam
Exuere, atque datâ injuſſos ſtatione moveri:
Nam q ui ſufficient gladij, quæ tela? Deorum
Divitias genus humanum dixêre Platones,
Et Sophiæ Proceres, quibus eſt mens conſcia recti,
Quid te ſubductum avertis? Cæleſtibus auris
Ereptum, quid te demens addicis Averno?
Quis nunc Chriſtiadas triſti certare duello
Mente ferat placidâ? Iamdudum carmine nobis
Culpatum genus hoc belli: perſtringere paucis
Nunc ſat erit, ſerósque olim monuiſſe nepotes.
Impius hos mores primâ ſub origine Mundi
Inſtituit, fratrémque indignâ morte Caïnus
Obtruncans, patrios fœdavit funere vultus.
Poſt alij, atque alij, longè námque illa per omnes
Deſcendit populos ingenti murmure peſtis.
Auſonio quoniam cultu, ritúque Pelaſgo,
Externóque juvat Francum inſanire furore:
Iuverit huc etiam faciles deducere Muſas:
Tu ſequere. Ad tumulum Patrocli veſanus Achilles
Biſſenos juvenes in mutua funera miſit,
Inſonti placans ſceleratos ſanguine Manes.
Quid pius Æneas? Totidem Pallante perempto
Inferias dedit. Et meruit pietatis honorem
Auctore Æneâ impietas! Virtute ſubinde
Peccatum eſt, ſceleri nullus pudor, aut modus iræ
Eſt datus, ingenti ventum eſt ad crimina plauſu.
Iuſtitij quæ cauſa tibi, cur otia feſto
Ducis Roma die? Quò totâ curritur urbe?
En circo paria in magno bis mille, coruſci
In gladiis, ſervum genus, omnia membra retecti
HumanoRomam per ludum ſanguine paſcent.
Eia agite, in mortes verſo dat pollice ſignum
Ex alto populus: Sævos non ira Leones
Sic agit, aut vario maculoſas tergore Tigres.
Iam ſpumat cavea, exundat jam ſanguine circus:
Roma bibe, & ſaturo fauces perfunde cruore.
Reſpicite hæc, Franci, ſi quis pudor, unde furoris
Per tot avos longè veſtri ducatur origo.

Illos

Illos prætulerim quanquam, quos bellica captos
Iura, vel iratus ſcelerata in prælia victor
Egerit invitos: alieno crimine peccant.
Sed neque laudarim, magnâ quem laude ferebat
Gens ignara Dei, nec fortem nomine dicam
Alciden. Quid enim furtivo ſemine cretus,
Clarus adulterio patris monſtra horrida monſtra
Suſtulit, exuvias humeros pectúsque leonis
Incinctus, clavámque manu, flammásque coruſcans?
At quoties fractus, turpique libidine victus
In ſcelera, in cædes ivit? virtute ſecundâ,
Scilicet imbelles natos, in limine vitæ
Innocuos, matrémque ſuper concidit, & artus.
Huc illuc ſpargit ſimul, & ſimul infremit ore.
Hunc mihi tu fortem, & clarâ virtute decorum
Ore feras magno, cœco qui captus amore,
Fœmineâ corpus pallâ, crinémque mitellâ
Cinxerit, imbelli torquens ſub pollice fuſum?
Ecce alius, quò non adigit mortalia corda
Ille furor? Fortes animos, robuſtáque laudat
Pectora, ſupremum poſſint qui temnere Numen;
Et patriæ antiquas leges, ritúsque Sacrorum.
Non unam in ſpeciem creſcunt: Hic de grege turpi,
Et Veneri ſtudet, & Baccho: Supera alta tenentes,
Felicem Divos inter ſe ducere vitam
Iactat, & humanas procul à ſe mittere curas.
In nugis alius cœleſtia Numina ponit,
Et cælo, & terris, totóque abjudicat orbe.
Quin etiam, humanæ tanta eſt dementia genti,
Eſt qui ſe populis poſt Numina pulſa Deorum,
Eſſe Deum jubeat: moliri fulmina jactet,
Imbuere ſtellas radiis, & pingere Solem.
Ergo illos pœnis ſcelerum Deus arbiter æquis,
Dum ſummo tumidi attollunt capita ardua cælo,
Dum ſortis pudet humanæ, vitámque Deorum
Ambivêre, infra pecudes abjecit, & illum
Quem natura fugit procul averſata, furorem.
Nulla ſitim poſtquam quadrupes reſtinxerit, undam,
Purpureis licèt in ripis libaverit undam.
Poſtquam exempta fames, nulli florentia carpunt

Arva greges, ſtomacho nulli ſenſêre tumultum.
Averſam oderunt Venerem. Quis dicat avaros;
Quis pedicas doctos aut retia ponere? Nulla
Vincula, non ullos unquam metuêre tyrannos.
Nec capite in vili tantùm ſub luce malignâ
Exemplum dedit omnipotens: diademate cinctos
Purpureo, è ſoliis Reges deturbat avitis,
Et pecudum in formas mutato corpore vertit.
Aſſyriæ Rector gentis Capitolia magnæ
Aſpectans Babelis, vano præcordia motu
Senſim attollebat mulcens, ſtultéque fovebat
Impius in tumido naſcentem corde furorem.
En, ait, illa Babel, quam noſtra potentia, rerum
Eſe dedit dominam: moderetur ſidera, ſi quis
Eſt tamen in cælo, Deus: illâ regnet in aulâ,
Terrarum imperio cedat. Dum talia jactat
Imprudens, cælum intonuit, vaſtóque fragore
Rumpitur, & trepidas vox eſt audita per auras.
Nam quò te Regum confidentiſſime. Quò te
Cæcus agit furor? In terris arbitria ſummus
Quis teneat, quæ ſint tandem mea Numina, diſce;
Bos eris, horrendósque inter ſpelæa ferarum
Mugitus dabis, atque tuâ terrebere voce.
Obſtupuêre omnes, gelido concuſſa timore
Stravit corda pavor, tum longo tempore muſſant.
Interea ſævo mutantur viſcera Regi,
Denſior it ſanguis venis, arteria pulſat
Crebrior, & triſtes atrum cor concipit iras.
Turbidus exundat fumi vapor, altáque mentis
Templa quatit, ſolióque actam deturbat ab alto;
Ecce poteſtates animæ, ſensúsque minores
Seditione fremunt trepidâ, magnóque tumultu
Admiſſas olim excutiunt rationis habenas.
Arrecti ſummo riguêre in vertice crines,
Torva bovem facies, oculorum grandior orbis;
Os latum, & ſpumâ circùm glomerante molares
Oſtentant, villis & dura brachia pelle
In rigidos abiêre pedes, quos fiſſilis armat
Vngula, vel ritu Accipitris, vel Gryphis ad inſtar.
Ardentes quocunque oculos intorſit, & ignis

Et flammæ erumpunt: tandem tranſverſa tuendo
Mugitus ciet horrendos, atque impete facto
Attonitos inter cives, trans mœnia, tránsque
Euphratem ruit indomitus, ſilvásque petivit.
Concidit interea tantis exterrita monſtris
Regia, deficiunt animis, longúmque ſiletur.
Ecce autem poſtquam tanto via facta dolori eſt,
Ingenti gemuêre ædes, ac templa ululatu
Nequidquam. Námque ille amens jam ſola receptus
In loca, terretúrque feris, terrétque viciſſim.
Septem illum totos revolutis menſibus annos,
Ilice ſub nigrâ ſomnos, & gramina torvè
Carpentem expleviſſe ferunt. Sub nubibus atris
Ergo hyemes patitur longas, Boreámque, nivésque,
Et glaciem, & lentos rapidis ſub nubibus ignes.
Tot populos tamen ille olim, gentésque ſuperbas
Terruerat victor, domitúmque ſubegerat orbem.
Poſt ubi conceſſi jam metas attigit ævi,
Quo maculas ſcelerum, atque olim commiſſa piaret:
Paulatim affusâ nubem vaneſcere luce
Senſit, & ingenti luſtrari lampade mentem.
Vt turpes membrorum artus, vultúsque ferinos,
Et toto aſpexit rigidos in corpore villos,
Obſtupuit viſu in tanto, tum corde ſub imo
Ingemit, & tales volvit ſub pectore ſenſus.
Heu! quæ me, nam quæ regio tenet? Omnia circùm
Et nemora & ſilvæ? Nempe hæc mea dextera ſceptro
Inclyta, & hanc frontem cinxit diadema? Pudendum
Proh! ſcelus, ad pecudes abjectus & antra ferarum
Rex orbis quondam, atque hominum ſuprema poteſtas!
Quò noſtri conſors thalami? Quò natus, & hæres
Balthaſar Imperij? Refugit quò turba clientum?
Mittere conatur vocem, pro voce cietur
Mugitu horrendo, fævúmque ſonans ululatus.
Territus hoc gemitu longè fugit avius. At ſe
Nec fugit, aut fugiiſſe poteſt: ſibi ſemper oberrat
Obvius, hirſutósque ferens in corpore villos,
Cornuáque, atque hirtas camuris ſub cornibus aures.
Ergone, ait ſecum, crudelem abrumpere vitam
Non licet? Ergo mihi flammæ ferrúmque negatur?

Haud

Haud tamen, haud aberunt ſcopuli, nec vortice gurges.
Quæ nequeunt, flecti perrumpam fata. Precanti
Huc ades ô! rerum mors optima. Talia fatus,
Horrendúmque fremens, rapido quà ſpumeus amne
Præcipitat Tigris, flavámque eructat arenam,
Tendit iter. Iam jam ſæui de murice pendet
Cernuus, æthereo cùm vox auditur ab axe.
Quò fugis ah! demens? Non totis abluet undis
Te Tigris, aut fatum cæleſti ſubtrahet iræ,
Duriùs in Manes ſævit. Spes una ſalutis,
Non hominem ſupra ſapere, atque ferocia corda
Summiſiſſe Deo. Tali ſermone, furentis
Vis animi cecidit: poſuerunt corde ſub alto
Nubila, mens latè diffuſo lumine riſit.
Atque his ſupremum Numen veneratus adorat.
O! vitæ mortisque potens, Mundique repertor,
Quem penes arbitrium eſt noſtri, diademate ſanctas
Qui frontes Pater inſignis, ſontésque viciſſim
Exuis, atque omni dimittis honore carentes.
In populos mihi Tu quondam, dum pura manebat
Mens ſcelere, & ſancto currebant tempore ſoles,
Imperium dederas, nemo contendere mecum
Tum potuit. Tantum eſt pietas tutamen in hoſtes.
Poſt ubi concepi ſcelus, & Babylonia demens
Regna meis placitum moderari legibus, omnes
Abrupêre fidem pariter, milésque, ducésque.
Quin etiam proh! ſancta fides, cum conjuge natus
Ædibus excuſſum patriis in ſola relegant
Paſcua. Quid nati quanquam, quid conjugis iras
Nunc queror? Ipſe aderas cælo juſtiſſimus ultor,
Noſtra per erudiens Reges exempla ſuperbos.
Diſcite Rectores orbis, vos bellua, quondam
Rex docet. Affectat divinos quiſquis honores,
Me videat, téque ô! Babylon, vósque antra, feræque.
At, tu ſumme Deus, ſontis miſerere, reúmque
Abſolve, atque iras omnes, téque ipſe remitte.
Talia fatus erat, toto de corpore villi
Defluere, & nitidâ decedere cornua fronte,
Tum redit erecto ſpecies in corpore, formæque
Auguſtæ decor, & tanto frons Principe digna.

Acceſſere

Acceſsêre ultro Proceres, & vertice prono
Agnoſcunt humiles dominum, feſtámque per urbem,
Lætatíque animis antiqua in regna reponunt.
Qui nunc magnanimos ſuccus, quæ vivida fortes
Intus agat virtus, paucis hinc accipe, pulchrum eſt
Pro patriâ vitam, pro libertate tuendâ
Fundere: pro Superis, pro Relligione decorum eſt.
Felices Aſiæ campos, latiſſima regna
Imperio, & triſti ſævus ditione tenebat
Antiochus, trans Euphratem, Tigrimque ſonantem,
Trans fontes Tanaïs, ſeptem trans oſtia Nili
Victor agens currus, Iudæam, arcémque Sionis
Atque omnes durâ populos feritate premebat.
Ille Sionæis impoſtas mentibus arces
Templáque magna Dei ſpoliare, altaria fundo
Eruere, & ritus ſacros abolere profanus:
Quando urbe in parvâ, Modin dixêre priores,
Proh! ſcelus indignum, populo muſſante, Nathanus
Iſacidûm ſanguis, perculſus corda timore,
Impius, Aſtarten incenſo thure vaporat.
Non tulit id ſceleris coram, cui cruda ſenectus
Ingentes animos annoſo in corpore paſcit,
Matathias: totas concepto Numine vires
Colligit, & triſtes ſceleratum obtruncat ad aras.
Convocat extemplò cives fidiſſima corda,
Et tumulum capit, & clarâ ſic voce profatur.
Scilicet hoc noſtræ imbelles patiemur inuri
Dedecus & famæ, & genti. Subverterit urbes
Incensásque domos, antiqua palatia patrum
Egerit in cineres impunè? Ergóne parentes
Natorum nil jam miſeret, quos impius hoſtis
Servitum abduxit longè, ferróve necatos
Objecit canibus? Natas ante ora parentum
Quid querar extincto vitam poſuiſſe pudore,
Abductásque nurus? Atque hæc ſpectemus inertes?
Nec lucis pudet æthereæ? Non corpora tantùm
Servitio premit inſultans, ferróque trucidat;
Ecce animis dare vincla parat, parat addere frænos
Mentibus: impuros armis inducere ritus,
Aſtarten, Mithrámque placet. Sacraria Templi

Obſidet

Te patrem dixit patriæ. Tu fœdere Gallos
Indociles pacis Gallos, quos triſtis Erynnis
In ſua civili vertebat funera bello,
Conſocias, ſanctâque foves in pace beatos.
Auſpice te, lauro atque oleâ, myrtóque virenti
Francia per populos ibat circumdata frontem.
Te duce, quæ longo victæ pædore jacebant,
Erexêre caput deterſis ſordibus artes.
Te duce jamdudum Francis procul exul ab oris
Extulit os iterum pietas: Nam lumine poſtquam
Te Deus afflavit propior, tum pectore dira
Excutitur peſtis, quæ matris ab ubere quondam
Hauſta tibi puero, in totos deſcenderat artus.
In Superos tum ſanctus amor, cultúsque ſupremi
Numinis emicuit, tum ſe lætiſſima virtus
Explicuit pulchróque implevit lumine terras.
Nam quid ego Aureliis & toto plurima regno
Quæ tu templa locas Superis, nunc carmine dicam.
Ecce tibi Andinis ſurgunt in finibus ædes,
Pieriis ædes Muſis & Apolline dignæ.
Æmula ſublimi ſeu quis palatia cælo
Seu ſpatia hortorum ſpectet, ſilvámque ſonantem
Deſuper, & riguo currentes flumine lymphas.
Sed neque Cecropio felix Academia ſaltu,
Aut urbe in mediâ ſub fornice Stoa ſuperbo
Se ſe contulerint, aut magnâ fronte Lycæum.
Salve, ô! Regnantum fortiſſime, & optime: noſtrum
O! decus, & noſtræ Princeps, auctórque ſalutis.
Hæc ego nunc cecini, genitor tuus unde ſolebat
Tot populos regere: hæc tecto meditabar in illo,
Commiſit quo te genitrici pronuba Iuno:
Et juvat hæc magnis poſitum procul urbibus, aureo
Regia quo ſedit genitrix, cantare ſedili.
Sunt quibus unum opus eſt Mavortia dicere bella
Atque acres in bella viros, quot fregerit hoſtes,
Et quantos Cæſar cumulârit cædis acervos.
Atque hic Scipiadas, durósque in prælia Paulos
Sanguine fumantes atro, Capitolia ad alta
Ante Iovem gaudet feſtâ deducere pompâ.
Attamen ille mihi ante alios fortiſſimus omnes

Dicitur, adverſam forti qui pectore ſortem
Excipiat, fatique iram virtute refutet.
Fortunæ quiſquis duræ, quicunque laborum
Impatiens, ceſſit fractus, retróque refugit,
Hectoreas non ille acies, non Pergama vertet;
Non Italâ magnum Annibalem tellure fugabit.
Scilicet Æneam Superis Maro, Homerus Vlyſſem;
Gothfridum Taſſus, Lovium Lemonius, & nos
Flaviadam æquamus, bello quòd plurima paſſi
Immenſos tulerint terrâque, marique labores.
Quòd ſi fortè animum mutas appellat ad artes,
Parnaſſive jugum tentet, Pindive cacumen,
In medio ſubſiſtet anhelus, & ilia ducet.
An clamoſa fori vincet ſubſellia, Marci
Æmulus, aut magni quatiet Demoſthenis arma?
Externos ſi fortè viros, gentémque profanam
Hi deceant animi, hæc deceat patientia rerum:
Quid nos Chriſtiadûm prognati ſanguine, pœnis
Frangimur, obliti Chriſtum juratáque verba?
An cecidit de mente, tibi cur veſte Sacerdos
Indutus purâ, & ſacris operatus in aris
Increpuit malam digitis? Te nempe ſecari
Atque uri, & Chriſti juratum in verba, futuri
Admonet officij, ventura in prælia durat,
Et magni ante memor ponit præludia belli.
Hoc etenim inſtituit Chriſtus ſermone ſodales,
Se comitem quicunque meis adjungere rebus
Et ſocium velit adſcribi, ſe nomina ſæva
Agnoſcat dare militiæ. Si fortè parentes
Moribus officiant, torvâ pulcherrimus irâ
Abdicet, & ſenio victos, morbisque trementes:
Quin etiam uxorem & dulces à pectore natos
Amoveat procul avertens, longéque repellat.
Tu, ſi fortè oculi, ſi pes, ſi brachia ponant
Inſidias, ferro reſeca, ne parce caducæ
Immitis vitæ, ſi te pulcherrima cæli
Patria, ſi fortem ſuper æthera poſcit Olympus.
Hæc magnis quicunque animis, & pectore forti
Eſt auſus, non ille quidem fortiſſima geſſit,
Sed tulit, & pulchro Chriſti de more triumphat.

Sed

Sed quid ego te jam feſſum, longique laboris
Pertæſum morer, aut multo ſermone fatigem?
Aſpicis in duro ſuffixum ſtipite, vitam
Chriſtum exhalantem? Non hæc ludibria tantùm
Pertulit, à triſti miſerum ut te morte Redemptor
Aſſerat, hæc vanas invaſit opinio mentes:
Chriſtiadas ſed qui doceat, quo pectore bellum
Excipiant fortes, inimicáque tela retundant.
Patre Deo natus, primi vix luminis auras
Attigit: in cunis, intérque crepundia, bellum
Tartareæ indixit genti, longósque per annos
Geſſit agens, tandémque auguſtâ morte peregit.
Dux Erebi ſtupuit, ſtygiæ ſtupuêre cohortes
Tantùm uni licuiſſe viro: gens impia totum
Cum populis orbem durâ ditione premebat:
Arma omnes rapiunt, omnésque in bella feruntur.
Sed quid ego ſtyga commemoro, quid Tartara? Parva
Nunc belli pars eſt Erebus, fremit excita tellus,
Et populi, & Reges, & ſævâ mente Tyranni;
Et Sophiæ Proceres, Graiæque oracula gentis.
Præterea Venus, & quo non eſt dirior hoſtis
Blandus Amor, gaudénsque furor, popularibus auris,
Nec non ſacra fames auri, gazæque libido,
Illecebræque omnes, & vanæ gaudia mentis:
Omnia frangenda & belli vincenda per artes.
At non coccineum contra, Capitolia ad alta,
Explicuit Chriſtus ſignum, nec Martis ad aram
In ſua juratas conſcripſit verba cohortes,
Non aciem in bellum explicuit, non prælia ferro
Miſcuit, aut victor Romana in templa triumphos,
Humanóque egit rorantes ſanguine currus.
Mens alia, atque aliud belli genus: aſpera mollis,
Alta humilis, tenebras infuſo lumine vicit:
Quin etiam populis, dictu mirabile, furcam
Eſſe dedit ſignum, cui templa arásque dicarent,
Quâ duce bellari diſcant, & vincere norint.
Hic acies fremere infernæ, totúsque cieri
Tartareum in bellum convulſis ſedibus Orcus;
Conjurat trepido tellus commota tumultu.
Illum ergo, ceu qui madeat de cæde, latronem

Chriſtiadam, patriâ quem ſors dejecerat æde
Haud meritum, ille graves gemitus de pectore ducens.
Non opis id noſtræ, noſtro nec pectore tantùm
Virtutis ſedet, hoc potuit qui Numine magnam
Occulto mentem durabat ad omnia Chriſtus.
Pauca ego ſubjeci, lacrymis ingreſſus abortis.
Ergo tuâ Deus in cauſâ, ſanctiſſimus ævi
Ergo Deus, tantos potuit perferre labores:
Et refugis, tu quem morti; quem crimina pœnis
Subjiciunt? Quid te vacuum caſſúmque favoris
Obtendis malè conſultus? Tibi pectore in alto
Gratia (Chriſtiadûm fati de more, pudori
Quis dederit) magnum interior tibi gratia pectus
Sollicitat, totóque incendit Numine Chriſtus.
Fare agedum, pulchro quoties pietatis amore
Arſiſti? Quoties placuit ſanctiſſima virtus?
Criminis impatiens, procul illætabilis ora
Cùm vitij refugis, cùm ſæva ad Tartara palles,
Cùm cæli te pulcher amor ſuper ætheris arcem
Evocat, hos ſtimulos addit ſub pectore Chriſtus.
Non alius; nam quid jactas ludibria, ſanctos
Non alius tutatur amor, nec gratia firmat.
Ille rogo toſtus lento, fluvialibus ille
Merſus aquis, & qui ſuſpenſus in aëre vitam,
Quique animam dedit infoſſus tellure ſub imâ,
Humano pariter tecum ſunt ſemine creti,
Et fragiles induti artus, moribundáque membra.
Si qua ſuper pietas, Chriſti nunc aſpice Matrem,
Heu! matrem ante alias generoſi pectoris: illa
Nempe Crucem propter ſteterat; videt ergo cruentum
In nova nudari Natum tormenta, per artus
Ah! miſerè laceros rivis manantibus ibat
In terram cruor; in durâ videt arbore figi,
Pérque manus, ambósque pedes ſub verbere crebro
Tranſadigi ferrum; ſpinis per mutua plexis
Horrendo caput auguſtum diademate cingi.
Quis tibi tum ſenſus, Virgo? Quis corde ſub alto
Tum dolor? Illa graves oculos ad ſidera tollens
Perſtabat tamen, & tales dabat ore loquelas.
O! noſtræ Genitor prolis, Tu cujus ad aras,

ΤΗΣ ΙΣΤΟΡΙΑΣ
ΦΙΛΟΣΟΦΩΤΕΡΟΝ,
ΚΑΙ ΣΠΟΥΔΑΙΟΤΕΡΟΝ,
Η ΠΟΙΗΣΙΣ.

Id est,

POESIS AD SAPIENTIAM
ET VIRTVTEM MELIVS
INFORMAT, QVAM
HISTORIA.

Arist. Cap. IX. de Poëticâ.

Digitized by Google

IDOLOLATRIA DEBELLATA, SIVE CONSTANTINVS.

LIBER PRIMVS.

ARGVMENTVM.

IDOLOLATRIA, QVÆ DEBELLANDA est, in exemplo illustri proponitur, & habetur à Constantino, atque Licinio, delectus.

ARGVMENTVM EXPLICATIVS.

Byzantinis, quos Constantinus obsidet, fausta omnia respondet Oraculum: jubétque Veneri Placidæ Sacra fieri, & interfici Christianos, qui laterent in civitate. Iphicrates urbis Præfectus frustra Christianos vestigat: Cum Senatu & Pontificibus indicit Adonia, quæ Veneri & Adonidi erant Sacra. Beroë primæ nobilitatis & formæ virgo, & clanculum Christiana, illis Sacris præficitur. Quid agat? Quò Sacerdotium averteret, oculos sibi eruit, & ad Orpheum adolescentem, cujus operâ & ambitu esset electa, misit. Hinc desperatio in adolescente, in Christianos conclamatio, & tumultus in civitate. Cogitur iterum Senatus, virgo Beroë ampliatur, altera ejus locô eligitur, Tryphæna nomine. Adonia celebrantur: primô quidem die, Adonidis mors, & Veneris luctus: alterô, ejusdem Adonidis reditus ab Inferis, & Veneris gratulatio. Interea Constantino, & Christianis nuncius affertur, Licinium cum ingenti classe subsidio Byzantinis venire. Partem copiarum Constantinus educit. Catalogus utriusque classis instituitur. Ad Hellespontum occurrunt sibi Constantinus, & Licinius. In sequentem diem prælium remittitur.

NOTÆ.

I. Curà Veneris & Adonidis Sacrificio exordium ducatur, conſule Præfationem numerò VIII.

II. De Beroës præclaro, & Chriſtiano facinore, vide eandem Præfationem numero IX.

III. Byzantinæ obſidionis meminêre Zoſimus libro alterò, Euſebius, & alij.

IV. Templum Veneris & Adonidis fuit in ſuburbiis Byzantij. *Gillius in Conſtant.*

V. De feſto Adoniorum quæ hic habentur, accepimus à Plutarcho in Nicia, & Alcibiade; ab Atheneo Lib. IV. Theocrito in Adon. & Ezechiele Proph. Cap. LXXXVII.

VI. Ad Helleſpontum pugnatum eſſe docent Zoſimus libro ſecundo, & alij. In Conſtantiniana claſſe fuerunt triremes ſupra ducentas, onerariæ ad ter mille: in Licinia-na longè plures. *Zoſimus ibid.*

VII. Francos, qui nondum in Galliis erant, plurimùm gratiâ apud Conſtantinum valuiſſe, quia ab ipſo contra Licinium ſtetiſſent, narrat diſertè Marcellinus Lib. XIV.

VIII. De tribus Epiſcopis Gallis, qui hic producuntur, vide R. P. Morinum Oratorij Ieſu, Cap. I. Partis alterius de liberata Eccleſia.

CHRISTIADVM Proceres, ſeu vos pulcherrima pacis
Cura tenet, ſeu bella juvant: utraſque per artes
Spectandum cano Flaviaden. Bello ille ſuperbas
Edomuit gentes, & primus inania Divûm
Numina, Romanum ſancitâ pace per orbem,
Suſtulit, & Chriſto meritos indixit honores.
Multa mari paſſum, & terris, multósque per annos
Luctantem, retro contraria fata tulêre.
Námque omnes, tanto ſacrarum in turbine rerum,
Relligio implicuit populos; omnésque repentè
Europæ, atque Aſiæ gentes fremuêre ſub armis.
E Styge quin etiam ſe tanta in bella dedêre
Tartareæ peſtes, nec non ex æthere ſummo
Cælicolæ. Toto pugnatum eſt corpore Mundi.
Tanti erat, Imperij faſces à gente profanâ
Aſſerere, aſſertosque uni tranſcribere Chriſto.
Grajugenæ quondam Vates, gens impia, falſos
Induxêre Deos primi: dulcíque veneno,
Et blando in totas graſſati carmine gentes,
Illuſum vanis implerunt ritibus orbem.
Sit mihi fas (neque enim ſancto ſit cura Poëtæ
Iam potior) te, Chriſte, Deûm formidine turpi
Solventem terras, ſtygiósque ſub alta latrones
Tartara pellentem, populos celebrare per omnes.
Ergo ades, atque tuos mecum percurre labores:
Gens tua continuò dediſcet mollia Vatum
Carmina, & incipiet procedere ſanctior ætas.
Chriſtiadas tu námque potes, quos triſtis Erynnis

Alternas

Alternas agit in cædes, & ſanguine fratrum
Commaculat: ſanctum veræ pietatis amorem,
Et famæ melioris iter per noſtra docere
Carmina, virtutémque æterno accendere cantu.
Teque tot Heroum ſoboles, clariſſime Memmi,
O! noſtræ decus ætatis, quem magna Senatûs
Inſula, & inſignem geminato Pallas honore
Vtraque nobilitat: ſi fas, & publica Regni
Si quid cura ſinit, vacuum, atque à plebe profanâ
Sepoſitum, ſua te poſcunt ad carmina Muſæ.
Cùm gracili quondam tenues in arundine verſus
Tentarent: cùm per numeros, primásque per artes
In cantum dociles digitos, ac molle labellum
Formarent; illas ultro gens Memmia fovit
Hoſpita complexu: Tu magnis, inclyte Avauxi,
Major avis, ævo vegetas, & magna canentes
Admitte, & lætas coram tractabilis audi.
Iam quater extinctos Phœbe reparaverat ignes,
Ex quo Chriſtiadûm Ductor, de gente vetuſtâ,
Flaviades, armis Byzantia mœnia circùm
Cinxerat, & ponto, terrâque obſeſſa tenebat.
Interea miſeros cives maleſuada fatigat,
Obſcœnásque fames ſubigit contingere menſas.
Ergo ægras poſuêre animas, aut tarda per urbem
Membra trahunt: tanto rerum in diſcrimine, feſſi
Supplicibus Proceres votis Oracula poſcunt.
Phœbe, tuum ſi gens olim Byzantia numen
Prima colit, cumulátque tuis altaria donis:
Si te, ſi Superos evertunt omnibus aris
Chriſtiadæ, noſtros cælo miſerare labores.
Quod crimen? Quæ culpa fuit? Cur perdere totam
Eſt placitum Divis gentem? Miſerósne levari
Obſidione vetant? Lentus quô cardine mundi
Bella movet Caius? Quænam fiducia rerum eſt?
Protinus ex adytis vox eſt audita per auras.
Vos Placidæ Veneris cultus, & Adonidis aras,
Templáque, barbarico nuper quæ perfidus auſu
Eruit, inſtaurate, Piâ quid floret in urbe
Contemptrix Superum, Venerique puella ſuperbè
Inſultat? Cur Chriſtiadûm gens impia vivit?

Sollicitat veſtræ ſi quid vos cura ſalutis,
Tantum abolete nefas. Actutum magnus in armis
Licinius plenis ſternet maria omnia velis.
Nulla olim melior pacis, vel martis amore
Vrbs erit; aut plures quondam regnabit in annos.
Continuò plebs ingenti priùs acta dolore,
Nunc etiam monitis Divûm ſuccenſa, puellam,
Chriſtiadásque omnes jubet ad tormenta vocari.
Illam ergo Iphicrates, urbis cui credita cura,
Nequidquam totâ inſiſtens veſtigat in urbe,
Atque omnes ſtudio latebras ſcrutatur inani.
Nec minùs interea Veneri ſua Sacra parantur,
Næniáque, & lacrymæ, & triſtes in Adonia fletus.
Prima Sacerdotem, tantis quæ virgo præeſſet
Ritibus, & tantos meritis æquaret honores,
Cura fuit legere, & pulchræ præponere turbæ.
Hîc juvenum ſtudia, hîc vota exarsere procorum:
Namque ſuis decus hoc illi petiêre puellis.
Orpheus ante alios longè pulcherrimus omnes,
Optimus idem armis, idem ditiſſimus agri,
Multa Sacerdotes orans, ſanctúmque Senatum,
Ambiit, & tantum felix præcepit honorem.
Virgo fuit, Beroën priſci dixêre, juventâ,
Atque opibus, nec non & avis, atavísque ſuperba:
Chriſtiadûm ſacro nuper quæ flumine tincta,
Chriſto etiam thalami expertes ſacraverat annos:
Sed geminæ decus hoc laudis ſub corde premebat.
Hanc ſibi jamdudum miro properabat amore
Threïcius juvenis vinclo ſociare jugali:
Et magnum demens ratus id fore munus amanti,
Sacrilegæ inſontem præfecit Adonidis aræ.
Virginis ut caſtas tam triſtis nuncius aures
Impulit, interiora domûs irrupit, ibíque
Et lacrymis oculos implevit, & ora querelis.
Méne Sacerdotem Veneris? méne impia vota
Concipere, & fœdis adolere altaria flammis?
Quid nunc Chriſtiadæ? Nam quid ſanctiſſimus ævi
Archidamas? Quantos rumpunt de pectore queſtus?
Ah! virgo infelix: ne te, ne crimine puram,
Inſontémve putes. Alios fecêre nocentes

Crimina

Crimina, ſuſpicio Beroën. Potuiſſe placere
Chriſtiadam Veneri, ſcelus eſt. Impunè profani
Audent omne nefas: etiam cum laude Sacerdos
Mox faciet ſcelus, & cives, urbémque piabit.
Nec te pœnituit, confidentiſſime Thracum,
Infelix Orpheu, Chriſto divellere pactam,
Rivalémque Dei noſtros ſperare hymenæos?
Cede Deo, mortalis. At heu! nil Numina curat
Quiſquis amat. Deus eſt, Beroë, ſua cuique cupido.
Sed neque jam lacrymis opus eſt, nec queſtibus uſus.
Mox aderit, qui ſacrilegas me ſiſtat ad aras,
Atque tibi jubeat præfari carmen, Adoni.
Præfabor, Beroë? Præeuntem turba ſequetur?
Ah! me, me potiùs lentis abſummite flammis,
Aut laceros artus toto diſpergite ponto,
Ante fides quàm te violem; aut te, Chriſte, tuósque
Ejurem ritus. Triſti ſic ore locuta,
Conticuit paulùm, tum lætior iſta profatur:
Scilicet hic Sacris petitur pulcherrima virgo,
Nec niſi formoſam admittet Cinyræus Adonis.
Viciſti, Beroë: formæ jactura caducæ
Eſt facilis. Nam quid dubitas moritura? Decoros
Turpibus, & formas omnes mors omnibus æquat.
Cur tibi tot votis poſcor, miſerabilis Orpheu?
Hoc dabitur, quodcunque optas, in me mora nulla eſt.
Vos, oculi; vos, ô! mea lux, vos Thracius ille,
Nam memini, vos ille amens laudare ſolebat,
Vos ite, & tantæ miſeram me abſolvite culpæ.
Atque ea dum memorat, lacrymæ volvuntur in ora
Injuſſæ, & largo maduerunt flumine vultus.
Illa iterum. Invitæ mihi quid turgetis, ocelli?
Aut cur ſponte imber tantus ruit? Ergóne nec vos
Vel Veneris pudeat, vel Adonidis? In Cruce fixum,
Exhalantem animam noſtro pro crimine, Chriſtum
Aſpicite (illum fortè manu pro more tenebat)
Hos oculos ecquid tandem cognoſcitis atro
Funere perfuſos? Nempe ille prævierit inſons,
Et trepidamus adhuc, tenebráſque horremus inanes?
Hæc ait, & magnum, ſed non imitabile factum
Aggreditur. (Licitum id paucis, quos ignea virtus

Aut

Aut rapit, aut afflat propiori numine Chriſtus.)
Illa ſuis oculorum orbes è ſedibus ultro
Eruit, & diſco fluidos excepit in aureo.
Protinus extinctis vultûs decor omnis ocellis,
Atque omnis cecidit formæ nitor. Illa ſub umbra
Palluit, & totos tremefacta exhorruit artus.
Haud ſecus ac medio pulcher ſi Phœbus Olympo
Occidat, & trepidet ſubducto lumine mundus.
Continuò vocat Arſinoën, cui credere pectus,
Arcanósque animi ſenſus aperire ſolebat.
Arſinoë mihi præ reliquis dilecta, ſororis
Eſſe loco mihi ſi ſolita es; cum voce querelas;
Et gemitus compeſce: refer tum protinus Orpheo
Hæc monimenta mei, verbis ornare memento:
Quæ ſit Chriſtiadûm virtus, hoc munere diſcat.
At non Arſinoë ſubito perculſa dolore,
Aut lacrymis potis eſt amens, aut parcere voci:
Plurima conantem paucis ſic Virgo repreſſit.
Vade, aït, extremúmque mihi defungere munus.
At miſer interea ſtudio properabat inani
Orpheus, officióque prior certare parabat.
Fingere cæſariem puero dabat: ordine crines
Ille regens, roſeos dentato pectit in auro.
Venit ut Arſinoë, mœſto ſic pectore fatur:
O juvenes inter ſæviſſime, reſpice quanto
Ante alios tua te Beroë dignetur amore.
Hoc præfata, manu diſcúmque, oculósque ferebat
Objiciens. Stetit hic juvenis ſtupefactus. At illa:
Hæc Orpheo Beroë, ſanctóque hæc addidit ore.
En, Orpheu, quod amas, atque ex hoc munere diſce,
Quanto Chriſtiadûm attollat ſe robore virtus.
Reſpice ad hæc, ſcelus en Beroës, en crimen & Orphei:
Quòd placui, ſcelus eſt: quòd amaſti, crimen. Et horres,
Et refugis? Potuit quantum feciſſe puella,
Vir ſpectare nequis. Chriſto quid diſtet Adonis,
Agnoſce: hic magnum juſſit ſcelus, eluit ille.
Reſtitit attonitus juvenis, color ora reliquit,
Diriguêre oculi, ſiccis vox faucibus hæſit.
Attonitæ poſtquam rediêre ad priſtina vires,
Excepit manibus diſcum, diſcóque natantes

Inſpiciens

Inſpiciens oculos, ſupremâ luce nitere
Infelix obſervat adhuc, & talibus infit.
Hoc ergo Beroë, hos oculos, proh! Iupiter, Orpheo
Iſta tui tandem, Beroë, monimenta remittis?
O! amor, ô! Beroë, ô! pietas. Hic pectore rurſus
Deficit, & raris fatur ſic vocibus: Orpheo
Das oculos, Beroë, magnum & venerabile donum:
Orpheus at Beroë vitam pro munere reddet.
Dixit, & adductum vertebat in ilia ferrum:
Suſtinuêre manum comites, & mollibus ægra
Multa alternantes lenibant pectora verbis.
At poſtquam trepidas vulgi tam ſævus ad aures
Rumor iit, ſubitò ſeſe Prætoria circùm
Agglomerant turbæ, vocésque ad ſidera jactant.
O Tripodas ſacros, & operti conſcia Veri
Numina: Sunt cælo Superi, & mortalia curant.
En illa, en Divos, Venerémque exoſa Puella,
Publica fax, patriæque lues; nondum expiat urbem
Morte ſuâ, & miſeros ſolvit formidine cives?
Ecce autem Iphicrates, rerum cui ſumma poteſtas,
In medios venit: arrectis ſtant auribus illi,
Et taciti ora tenent. Hic dictis pectora mulcens,
Chriſtiadis tormenta, necésque, crucésque, rogósque
Intentat: populi flatus irásque remittunt.
Continuò ille Patres Paphiæ intra tecta ſuperba
Convocat, & ſolio placidus ſic infit ab alto.
Hæc, Proceres, mandata dabat poſtrema recedens
Caïus, haud rerum imprudens, ſanctéque monebat.
Tu cave Chriſtiadas intra patiaris inultos
Mœnia, non ferro parces, non vindice flammâ.
Hìc ſævire pium eſt, & habet clementia crimen.
Ergo animum intentus, nunc huc, nunc differor illuc
Veſtigans, ſi qua peſtis ſe ferret ad auras.
Incaſſum curæ, vanique abiêre labores:
Nam latebris gens illa ſuis obtecta tenet ſe.
Vt coluber, rigido terras cùm frigore bruma
Obſidet, atque agros Aquilo conſtringit hiantes:
Tectus humo nuſquam prodit, lucémque peroſus
In tenebris recoquit ſpumoſo felle venenum.
Non ego nunc veſtros, Beroe ſuper, aut ſuper ipſis

Chriſtiadis ſenſus interrogo: Diique, hominésque
Ad pœnas illos pro relligione repoſcunt.
Hoc rerum caput eſt: Veneri quærenda Sacerdos;
Quæ præſit Sacris, & Adonidi carmina dicat.
Virgo erat haud impar formâ, nec ſanguine patrum
Inferior ſanctâ Beroë, non integra famæ
Illa tamen, fertur Graios dixiſſe Tryphænam:
Hanc Placidæ Veneri tandem ſtatuêre miniſtram.
Ecce autem Beroës genitor, grandævus Arisbas,
Conſtitit ante Patres, & tali voce profatur:
Non ego vos lacrymis, & vano flectere queſtu
Aggrediar, Proceres; merui, nec deprecor à me.
Nam merui, pater infelix, & crimine natæ
Sum reus. Ah! probrum. Ah! noſtræ fœdiſſima gentis
Pernicies. Cadat ut merita eſt, & Numina placet.
Vnum oro, liceat patri mollire puellam
Blanditiis, Chriſtúmque animo extorquere furenti.
Non ea res Caio, aut Superis ingrata putanda eſt.
Námque ita, quos ſcelerum artifices, & ad impia Sacra
Auctores gens illa habeat, reſcire poteſtas;
Qui tacitum inſpirent virus, ſpargantque per urbem.
Si renuit, perſtatque ferox, tum vindice dextrâ
Vlciſcar cum patre Deos, cum Cæſare Romam.
Aſſensêre olli, & menſem pepigêre parenti.
Sacra dies poſtquam illuxit, per compita paſſim
Antiquæ effigies, ſimulachráque luce carentum,
Cum proavis atavi, & patrum longiſſimus ordo,
Pro foribus mœſti ſternuntur: crine ſoluto
Triſtia cum nuribus matres ſolennia dicunt
Carmina, femineis reſonant ululatibus ædes.
Iámque Sacerdotis procedit pompa Tryphænæ:
Lictores præeunt ſeni, peditúmque caterva
Infuſos arcet populos, & longa viarum
Strata patere procul jubet. Illos ponè ſequuntur
Aſſueti teretes inflare in carmina buxos.
(Gingrinas fleto dicunt ab Adonide Graii.)
Triſtia tum magnæ portant qui fercula pompæ,
Et ſignum Veneris multùm lacrymantis, & hortos
Extincti miſerè juvenis: jacet ipſe recenti
Lactucâ ſuperimpoſtus, circùm omnia mœrent.

Triſtior

Triſtior it lacrymis oculos ſuffuſa Tryphæna:
Virgineæ circùm comites, matrésque, nurúsque
Purpureos ſolvunt crines, & pectora tundunt.
Idaliæ in Templo, medio ſub fornice, lecti
Collucent gemini, partim candenti elephanto,
Partim nigrâ ebeno: Cinyræum habet alter Adonin,
Alter habet Venerem: ſua ſunt inſignia utrique.
Auro intertextis rigido ſubtegmine filis
Picta, locum ſupráque, infráque aulæa coronant.
Textilis hic fervet venatio: torva fremebat
Sus nemore in medio, frendens, atque horrida ſetis:
Vndantes rigido ſpumas agit ore, molares
In falcem dentes lunantur, acumine duro,
Peſtis acerba canum: Quorum illos vulnere longo
Per teretes coſtas, pérque ilia, & intima ventris
Aut ægras poſuiſſe putes, aut ponere vitas.
Ecce aliis, cæſo pendebat inutile pondus
Poplite crus: aliis humeri luxantur inertes.
Hic ſpem inter celerem medius, tardúmque timorem
Cunctatur ſimul & rapitur, ſimul inſtat & hæret.
Non ita venator, cui pulchros ira per artus
Formam incendebat, multóque ardebat in auro.
Fervidus intendit roſeïs nudata lacertis
Brachia, & ingenti criſpans venabula ferro,
Arduus incumbens meditatum pendet in ictum.
Nec procul hinc, puer idem animâ fugiente jacebat
Inguinâ percuſſus, fluit atro ſanguine vulnus.
Stant circùm, muſſantque canes, triſtique ululatu
Et nemora, & colles implent, vallésque ſupinas.
Parte aliâ extincti juvenis miſerabile corpus
Luget inexpletùm Venus: alto à vertice velum
Exciderat, temerè ſpiris coma ſparſa ſolutis
Colla per atque humeros ibat, lacrymabilis ipſa
Tergebat fluido manantia vulnera tabo.
Triſte gemunt, oculisque omnes lacrymantur Amores:
Pars tepido matrem fletu, pars plorat Adonin:
Excuſſæ manibus faculæ, fractique jacebant
Ante pedes arcus, medicatáque nectare tela.
Poſtquam omnis ſacras intra proceſſerat ædes
Pompa, Deûm inſtratis poſuerunt aurea lectis

Fercula: coccineis matres ſedêre tapetis.
Tum ſtetit ante aras ſurgens formoſa Tryphæna;
Et triſti leſſum miſerabilis inchoat ore.
Ergóne te juvenum quantum eſt pulcherrime, letô
Merſerit atra dies? Ergo tua ſtamina Clotho
Ruperit, & tantum optarit Proſerpina crimen?
Ah! cæcos Erebi Divos. Ah! numina cæca
Gentis Tartareæ; quam gratia nulla juventæ;
Nullus frontis honos, luménve inflectere poſſit.
At vos, ô! Danaï gnatæ, Prœtíque puellæ,
Et quibus immatura dies, iratáque Parca
Invidit thalamos, veterum meminiſtis amorum:
Ille etiam noctem ingrediens, amnésque ſeveros;
Vt tenebras formæ diſcuſſit lumine, Parcas
Staminis inciſi puduit: miteſcere primùm
Eumenides, tum quid ſit amor didicêre: nec ipſe
Cerberus, exangues latè qui territat umbras,
Extulit os rabidum contra: Dis arbiter Orci
Iuſſerat emitti tenebris, & carcere ſolvi.
Lenta negat puero reditum, causásque morandi
Nectit Perſephone, capitur dulcedine formæ.
Spes reditûs nulla eſt, amat illa, atque optat amari
Diſſimulans. Ah! cæcus amor, crudelis utrique,
Atque Deo, atque Deæ. Mihi formoſiſſime, ſalve,
Æternúmque vale. Finem dedit illa loquendi.
Continuò Chorus hos reſpondet in ordine verſus.
Occidit, heu! juvenes inter pulcherrimus unus
Occidit, & pariter decor occidit omnis, & omnes
Deliciæ.. Extinctum miſeræ ploremus Adonin:
Et plorat Dryas in ſilvis, & Naias in undis:
Plorant Nymphæ omnes, & nos ploremus Adonin!
Nec ſtygiis revocatur aquis formoſus Adonis.
Pulcher Adoni, vale. Reſonant clamoribus ædes.
Nec minùs interea totâ fit planctus in urbe,
Crinibus & ſparſis matres per compita paſſim
Extinctas thalami tædas in Adonide plorant.
Sol roſeus cadit, adverſo nox æthere ſurgens
Involvit pariter curas, luctúsque ſub umbrâ.
Poſtera vix primo, tenebris Aurora fugatis
Lumine ſpargebat terras, cùm feſta domorum

Limina

Limina, veſtibant Phrygiis aulæa figuris.
Interior Templi facies pulcherrima ſignis
Cælato lucens argento, auróque micabat.
Penſilis hortus erat Veneris, quem ſidere quovis
Sacra puellarum collegia tota colebant:
Non æſtate illi flores, non frigore deſunt:
Quem matrum veneranda cohors, caſtæque puellæ
Inducunt Templo certatim, & carmina dicunt.
Effigies Divûm apparent, nova ſigna coruſcant.
Fluctibus è ſtygiis redivivus ovabat Adonis,
Purpureo circùm radiatus lumine frontem.
Cæruleâ qualis perfuſus Lucifer undâ,
Extulit os terris, & noctem luce reſolvit.
Triſtitiæ peplum poſuit Venus, aurea riſum
Explicat, & reditum puero gratatur ovanti.
Iámque iterum cætu comitum ſtipata Sacerdos
Progreditur: poſitis ibant de vertice velis,
Floribus implicitæ crines, ſpirisque retrorſum
In cochleæ morem tortis, it veſtis ad imos
Attalica uſque pedes, & terram ſyrmate verrit.
Ventum erat ad Templũ, cecinit ſic pulchra Tryphæna:
Flos hominum, ſalve, infernis erepte cavernis,
Nec tibi, quæ novies Stygis irremeabilis unda
Circumfuſa animas cohibet ſub gurgite vaſto,
Intercluſit iter, reditúmque ingrata negavit.
At non Atreïdes, non Lariſſæus Achilles,
Non Telamone ſatus, nec fandi fictor Vlyſſes,
Diis quanquam geniti, ſuperas redîre ſub auras.
Sed neque Threïcium Vatem, poſt triſtia fata,
Inſolito quamvis mulceret Tartara cantu,
Multa exorantem vinclis Proſerpina ſolvit.
Tænarios non arma Deos, non carmina flectunt.
Vna poteſt, pulchro venit quæ corpore, forma:
Hæc ſuperos ſummo deduxit ab æthere Divos:
Æquoreos hæc ipſa Deos in fœdera noſtra
Traxit, & in triplicem fecit commercia Mundum:
Hæc ſtygiis pulchrum revocavit Adonida regnis.
Ergo agite, ô! comites, vos, ô! pulcherrimus urbis
Flosque, decúsque, animo triſtes ſecludite curas,
Et Placidam, & Cinyrâ natum celebrate faventes.

Continuò plenos illæ ſparsêre roſarum
Effuſæ calathos, & verſicolorem Anemonen,
Et ſpargunt ſimul, atque ſimul ſacra carmina dicunt.
Poſtquam facta quies, finémque dedêre canendi,
Ante aras ſtatuunt geminos cum matribus agnos:
Ipſa tenens dextrâ pateram formoſa Tryphæna,
Spumantem Bacchi laticem inter cornua fundit,
Immiſcétque preces, & votis expiat urbem.
Atque ea dum miſeros cives fortuna fatigat:
Lætitiâ interea magni per caſtra fremebant
Chriſtiadæ, nova res animos & pectora tentat.
Námque citâ celerans puppi Spartanus Epenor,
Licinium armatis ter centum navibus æquor
Ægeum ſuperaſſe refert, ſpémque affore pugnæ.
Flaviades animo verſat, quos ducere contra
Poſſit, & obſeſſos quibus auſit credere muros.
Extemplò rapidis expandens carbaſa ventis,
Obvius it Caio: prono cùm languida cælo
Quarta dies caderet, fauces tenet Helleſponti.
Huc quoque diversâ veniens regione locorum
Caïus appellit: tantâ ſub mole laborat
Nereus, & latè ſpumant maria omnia circùm.
Non tot Amyclæis olim venêre Mycenis
Antiquæ excidio Trojæ: nec litore quondam
Actiaco, totidem coïêre in prælia puppes.
Flavius at poſtquam extremæ committere pugnæ
Tot rerum eventus ſtatuit, ſurgentibus aſtris,
Multa putans animo, puppis conclave ſubivit:
Inque Ægyptiacâ meditatus bella papyro,
Æquor ubi, curvique ſinus, & litora picta;
Continuò eſſe fretum tam vaſtis claſſibus impar
Proſpicit. Ergo omni ex numero, populisque, frementes
Franciadas, Graióſque, & forti pectore Gallos
Seligit in pugnam: ſi quid fortuna minetur
Adverſi, reliquos conſiſtere juſſit in armis.
Ante alios, mediis veteres in millibus ardent
Chaones, & picti Dryopes, veterésque Moloſſi.
Exindæ Ambraciæ vicos, & compita lembis
Qui ſubit, & circùm patrias adremigat ædes.
Partem etiam laude in tantâ, tot nobile bellis

Actium, inacceſſo ſaxi de vertice poſcit,
Et fluere æterno Buthrotum nectare felix.
Hi maria & martem bis quinâ puppe fatigant.
Quos regit, Herculeâ qui ſe de gente canebat,
Anthorides Perſeus; patris non immemor ille,
Inſcriptum clypeo Alciden inſigne gerebat.
Lernæam Alcides Hydram, capita alta ferentem,
Tollentémque minas contra luctatur, & enſe
(Roborea neque enim clavâ vitam illa dediſſet)
Singula colla putans, rapidos mox ingerit ignes.
Nequidquam Hydra furit, longæque volumina caudæ
Torquet in adverſum, nodi ſolvuntur inanes.
Bis denâ Sthenelus Codri ſecat æquora pinu:
Nondum erat ille quidem ſacrati fluminis undas,
Et Chriſti expertus latices, ſed more vetuſto,
Inſigni tyrocinium virtute probabat.
Crux puppim, Crux & proram, Crux omnia latè
Scuta virûm ſignat: viridi Crux picta colore
Spem facit, & Chriſti naſcentem oſtentat amorem.
Illum ingens pubes comitatur ab Elide, quósque
Neſtore clara Pylos vivaci, Spartáque quondam
Pauperie dives miſit, veterésque Mycenæ
Infenſæ Priamo, & Romæ metuenda Corinthus;
Ætolæque urbes Calydon, Chalcisque ſequuntur.
Marte fremunt Thebanæ arces, antiqua Deorum
Patria, non Marathon, non Aulis, tarda moveri,
Cunctatrixque nimis quondam, nunc lenta moratur:
Incidit unus amor cunctis, bellique libido.
At neque vos Sophiæ auctores, fandique magiſtræ,
Queisque datum magnas belli, pacisque per artes,
Tot populos ſuper ire, moram feciſtis Athenæ.
Vos regit antiquâ Theſeï de gente Leander.
Hic Clymenes magno ſponſæ dilectus amore,
Cyrrati capitis ſpiram, venerabile donum,
Armillæ in morem, noctésque, diésque ferebat,
Et clypeo inſertum munimen habebat in hoſtes.
Tot populos inter magno rumore fremebant
Myrmidones, Phtiæ glebâ qui divite lætos
Exercent campos, & Sperchi flumina potant.
Ardentem Trojam, memores virtutis avitæ,

Oſtentant prorâ in ſummâ : non plurima navis ,
Non animos numero miles (maria omnia quippe
Octanâ feriunt puppi) ſed plurima virtus
Sufficit , & patrum ſubigit longiſſima fama.
Quos chlamyde in plumam pictâ , criſtáque comanti
Purpureus ducit lariſsâ Phædrus ab altâ ,
Pelidæ ſoboles Phædrus : non unus in hoſtem
Fert illum dolor , aut acuit communis Erynnis.
Námque illi Phrygios inter ditiſſimus agri
Eupolemus Bryſes , natam in conſortia vitæ
Chryſida pactus erat : zephyros captabat, & undam
Iam ſponſus felix animi ; & ſecurus amorum ,
Ire dies queritur tardos , horásque malignè
Pigrari , & lentos in longum ducere ſoles :
Formosâ cùm ſors inopinum conjuge vertit.
Eupolemum ſenio victum , fractúmque veterno
Relligio inceſſit : patrij per ſomnia vultus
Oblati , & viſi Manes exire ſepulchris ,
Et miris ſimulachra modis , quæ fingit Haruſpex.
His quoque Licinius rebus , teterrima peſtis ,
Incidit : Antinoo (longam per bella merebat
Militiam Antinous) Chryſin Briſeïda poſcit
In thalami ſociam , & votis , precibúsque minatur.
Hic Superos Phædrus teſtari , prodita rumpi
Fœdera , ſe falsâ Divûm formidine ludi.
Ergo animis furit in Regem ; bellóque ſuperba
Imperia , extinctósque hymenæi ulciſcitur ignes.
At ſponſam centum perhibent ex ordine ſoles
Inviſam fugiſſe diem , fletúque decentes
Detriviſſe genas , lacrymísque extinxe nitorem ;
Atque his ingreſſam , patrem impleviſſe querelis.
Nam quid ego , genitor , merui malè ? Quò tibi noſtri
Pulſus amor ! Fœdum vitiis , durísque ſuperbum
Moribus , & vili prognatum ſanguine , gnatæ
In ſponſum legis Æthiopem. Nil jam queror illum
Turpibus evictum morbis , ævóque trementę
Iam jam lapſantem. Miſeræ num mittimur Vmbris
Inferiæ , aut ſacros Libitinæ accendimus ignes ?
Quid Phædrum querar irriſum , cui ſanguinis auctor
Iupiter , & mater Thetys ? Gremióne revelles

Iam

Iam pactam genitor? Quidni compescis amorem,
Certaret tenerâ cùm primùm erumpere flammâ?
Nunc animis postquam nexis per mutua, & ipso
Tempore, consiliisque tuis adolevit, utrasque
Per sponsi, sponsæque neces extinguere pergis.
Per Superos ego te, per nomen amabile patris,
Pérque pios Manes, matrisque noviſſima verba;
(Heu! matris longè ante diem crudelibus umbris
Ereptæ) precibus supplex, pater omnibus oro:
Parce ultra sævire animis, hanc exue mentem;
Et patrios, si quid merui, pater indue sensus.
Non lacrymis natæ genitor, fletúque movetur
Barbarus: ut mediis rupes in fluctibus, undâ
Vapulat incassum, ipsa hærens radicibus imis
Inconcussa manet, venti secura, marisque.
Ergo memor sponsæ, tanti argumenta doloris
Sculpserat in puppim Phædrus: pulcherrima pendet
Andromede saxo, trepidis è fluctibus extat
Bellua, stat mæsto Cepheus in littore, passis
Crinibus & mater lacrymans crudelia fata
Nequidquam inclamat. Mediâ libratus in æthrâ
Alatis aderat plantis Iovis aurea proles,
Et miseræ auxilium, vitámque, virúmque ferebat.
Non mihi Demophoon, vires cui cruda senectus
Sufficit in juvenum partes, indictus abibit.
Bis denas Macedo, bis denas Illyris uni
Ædificat naves, & lecto milite complet.
Delminium geminis ruit, à quo Dalmata nomen
Per populos latè venit, senisque Liburnum,
Famosus furtis populus, circum æquora latè
Prædator, totidémque infelix prole Salona.
Hinc pavido Diocles dominum sese intulit orbi,
Et suppar Diocli Herculius, mundi altera labes.
Infrænat geminas Scodra, unam Lyssus, & unam
Orthopula, atque unam domitrix Epidaurus equorum.
Sed quid ego Æmathios sileam? quot navibus iret
Dyrrhachium? quantis sulcaret puppibus æquor
Pellæi juvenis, coclitisque parentis alumna?
Hic Graios primus, genus intractabile bellô,
Impatiénsque jugi, domitat, fingitque premendo

Auratis

Auratis trepidas fodiens haſtilibus urbes.
Artibus his aditum nato mollivit ad Indos,
Imperiúmque Aſiæ. Regum nec clara ſepulchris
Ægæa, imbelli venit mihi nocte premenda.
Haud tacitam te, Muſarum domus inclyta, Vatum
Pieris alma parens frondoſo vertice, præter
Ire velim. Haudquaquam numeroſo milite pugnas;
Sed tibi lecta manus proram felicibus unam
Promovet auſpiciis, laudis ſecura futuræ;
Cui pulcher, præſtánsque animi moderatur Atinas.
Bis denâ Rhodij verrunt vada ſalſa triremi:
Carbaſeósque ſinus, atque alta apluſtria, lenes
Impellunt Zephyri; quæ multo illuſtrat in auro
Pictus acu crines, radiantiáque ora Coloſſus.
Hos in bella rapit Gobrias, quem vertice ſummo
Tænariis perfuſa umbris nox integit, at nox
Æthereâ Chriſti quæ mox diffletur ab aurâ.
Ecce fremit legum conſulta, æquíque repertrix,
Quæque prior numeris innectere Gnoſſia voces
Inſtituit Creta, & torpenti languida luxu
Imbellem ad citharam, turmas emiſit equeſtres.
Martia nunc vexat bis ſenis navibus æquor,
Imperio quibus Antigenes præit, haud ita pridem
Pontificum monitu, tinctus luſtralibus undis.
Atque hi Graiugenæ, quos omnes Priſcus in hoſtem
Flaviadæ Legatus agit, clariſſimus ille
Auſonidum Priſcus, formâque inſignis, & armis.
Hos ſequitur Gallus, ponti qui litora circùm
Accolit, & Rhodanum potat, fontésque Garumnæ:
Graia genus forti ter denas milite pinus
Maſſilia armavit, triplici quas Gallica verſu
Exercet pubes, patriæ non immemor artis,
Ancipiti pontum dextrâ, bellúmque fatigat.
Centum urbs ipſa caput circùm turrita ſuperbit
Arcibus, atque humiles latè dominatur in undas.
Martius invehitur totidem mare Narbo carinis;
Et paribus pubem ſtudiis educit, in illas
Tectoſages Volcæ effusâ venêre Tholosâ:
Omnibus Aſtyorix veteri de gente præibat,
Nequidquam vanâ quem Relligione tumentem

Chriſtiadûm

Chriſtiadûm Sacris, & miti leniit undâ
Numinis Interpres Paulus, Chriſtique Sacerdos.
Nam poſtquam humanas collapſo corpore mentes
Non labi tamen, aſt ævo durare perenni
Audiit, & caſtas cæleſti veſcier aurâ:
Quæ fuerant juveni quondam dulciſſima, tandem
Abdicat, & luxum meliori lege coërcet.
Francigenas ecquis ſileat? quos Flavius omnes
Legerat in caſus, & nunc in prælia primos
Deſtinat, haud timidos letum pro laude paciſci.
Heroum generoſæ animæ, gens libera fræni,
Ingenuos Franco teſtatur nomine mores.
Non illos obliqua rapit vis invida, triſti
Cæde nec exultans odium, prædæve libido:
Vnus amor laudis, generoſæ aut gloria palmæ
Ardentes animos in aperta pericula mittit.
Quales, Imperio Romanus cùm Probus orbem
Flecteret, infenſis victores ſenſit in armis
Et Smyrna, & Colophon turrita, Ephesúsque ſuperba,
Et priſcæ Graio ſenſêre in litore gentes,
Atque Italûm extremi, Siculæque Peloridis urbes.
Salvete, ô! Proceres, gentis ſpes maxima ſanctæ;
Chriſtiadúmque olim magnum decus! ite, trophæis
Inſignite orbem, & ſtirpi ſignate futuræ,
Pérque Aſiam, pérque Europam, per quidquid ubique
Terrarum & maris eſt, veſtræ decora ardua laudis.
Olim tempus erit, propriis hæc litora Francus
Cùm reget auſpiciis; hæc cùm maria omnia victor
Puppibus inſternet, Pelopis cùm Regna, domósque
Curetum antiquas, Lesbónque, Rhodónque, Samónque
Imperiis premet, ac toti dominabitur actæ.
Illos Ductor agit Trojano ſanguine cretus
Hectorides, priſci Herricum dixêre vocantes;
Henricum noſtri mutato nomine dicunt.
Et nunc ille quidem, Samios ſedare tumultus
Iuſſus abeſt: ſocij magnum comitantur in armis
Flaviaden, primíque ardent in bella venire.
Qui nunc Licinio populi, gentésque mererent;
Per capita, atque tribus in verſum includere noſtræ
Non opis eſt. Illi Thraces bellantur, & omni

Ex Asiâ gentes, pictos quâ vergit ad Indos.
Quid referam infrænes Arabas, sive Indica verrit
Qui freta, Erythræi seu qui secat æquoris undas?
Quid memorem indigenam Nili, Nomadémque ferocem,
Et multo Æthiopas nigros à Sole? Quid omni
Per varios terræ circumvehor æquore tractus?
Nec plures olim populos in bella coëgit
Temporibus Mavors, nec seris coget in annis.
Dextram aciem Antinous Caï Legatus agebat,
Chrysidis ille procus, ter denis puppibus instans
Immensum pelagus premit: illum Ægyptia pubes
Circumstat, Chromis & Bityas, fortissima bello
Pectora, quique omnes longè supereminet Atreus,
Immensâ subigens horrendam mole Chimæram.
In lato Antinous clypeo gestabat amoris
Argumenta sui: spumoso vortice Nilus
Ruperat emoto disjectas aggere moles:
Stagnabat latè Ægyptus refluentibus undis.
Additur & carmen: Nostro minùs undat amore.
Antinoo parent Mauri, ductore frementes
Hammone, & denâ verrentes cærula puppe.
Addit se comitem Barus Afer, & addit Iarbas,
Et priscæ quicunque colit Carthaginis arces:
Bis denis vexant armatis navibus æquor.
Lævam aciem Nabathæus habet Geber, ille parentum
More, sacris cæsus cultris, agnomine gaudet
Gentiles inter Samuëlius. Ille vetustis
Ex Gebri proavis; longo post tempore, doctis
Qui rebus formámque, decúsque, & nomina fecit.
Qui numeros primus jussit procul esse latinos:
Inque locum tortos apices succedere jussit,
Atque notas Arabum. Nihilum descendere subter
Tantùm illos videas, Latiis assurgere quantùm
Mos finit, inque omnem pariter se flectere partem.
Quid quod & arcanos animi tentare recessus
Artibus his docuit, sensúsque aperire latentes.
Quin & Aristotelis tot jam dominata per annos,
Et Coï Hippocratis studia, immensósque labores,
Vt vacuæ repulit longè ludibria mentis,
Fædáque per tristes succos inventa medendi.

Námque

Námque alios rerum textus, quàm materiaï
Cum formâ nexum, clamoſi æterna Lycæi
Iurgia: nec non & curas, morbósque levandi
Mente ſagax vigili meliores repperit uſus.
Omnia quippe tribus vidit coaleſcere rebus
Corpora, pingui oleo, veſco ſale, ſpiritu anhelo,
Qui vitam, motúmque in partes dividit omnes.
At ſi, ut ſæpè, viri morbo tentantur acuto,
Protinus ex auro, argentóve, aliísve metallis,
Corporibúsve aliis, gignit quæ plurima tellus,
Spiritus hic lento paulatim educitur igne,
Gratáque ridentis ſorbtus per pocula Bacchi,
Artubus & mortem, & virus procul exigit ægris.
Ille quaterdenis tumidus premit æquora proris.
Æthiopas Gebro adjungit nova bella moventes
Antippas, & jam palmæ ſecurus ovabat
Marte novo inſultans viginti navibus. Ecce
Threïcios Pericles primo ſtans agmine ductat,
Omnia militiæ perfunctus munera, ab uſque
Claſſibus, ad primos meritis pervectus honores:
Ter denis ratibus ſocij ter mille ſequuntur.
Archilochus Phrygios, Cybeles, Venerísque Sacerdos
Lætus agit, Clytius Pamphilica caſtra movebat,
Eupolemíque vices (Chryſis quem pulchra parentem
Noverat, atque ævo fractum quem tarda ſenectus
Arcebat bello) vitâ meliore ſubibat.
Quinquaginta illi proris in bella ruebant.
In medio centum puppes Rex ipſe movebat
Licinius, totúmque animos addebat in agmen.
Poſtquam autem roſeo ſurgens Aurora cubili,
Purpureâ ſummos luſtrabat lampade montes,
Expedit armatas omnis jam navita puppes:
Fervet opus varium, longis pars brachia malis
Intendunt, antennarum pars cornua lenem
In Zephyrum obliquant, duris pars maxima tranſtris
Conſidunt, magnísque vocant clamoribus auras.
Duratos in bella viros, exercita dudum
Pectora, ut increpuit Martis canor: arma repentè,
Arma fremunt: capiti galeæ, galeisque comantes
Aptantur criſtæ; loricis pectora; lævas

Inſertant clypeis, ferro præfixa minaci
Lentantur dextris pila, enſes more vetuſto
Romanis dextri, reliquis ivêre ſiniſtri.
Aurea turritæ ſubiens ſacraria puppis
Flavius, in faciem pronus de more parentum
Ante aras humilis cecidit, ſummique Parentis
Vnigenam vocat auxilio, votisque laceſſit.
Mox venit in purâ ſpectatus veſte Sacerdos
Rheticius, pulchrè ſparſus pia tempora canis.
Illi ſe facilem fingi, docilémque magiſtro
Hædua gens præbet. Venit & pietate verendus
Maternus, cui ſe propiori numine Chriſtus
Indulgens, in venturos intendere caſus
Longè animum dederat, quo ſe jactabat alumno
Nequidquam Rhenus: námque illum à matre cadentem
Gallia Matronicas gaudens excepit ad undas,
Et puerum patrio Maternum à flumine dixit.
Adfuit & Rhodani cultor, Chriſtíque Marinus
Antiſtes: fandi iſte potens, torrentia totos
Flumina verborum in populos, armatáque caſtra
Dividit, & ſacro ſitientia temperat amne.
Quos numero ex omni, ſacróque ex Ordine Princeps
Conſilij auctores dubiis in rebus habebat.
Tunc etiam ante tubas, & duri prælia martis
Talibus aggreditur. Vos, ô! quos ardua virtus
Gentem inter miſeram medios, Numénque ſupremum
Eſſe dedit pietas, votis certate, Deíque
State iram contra, Chriſtúmque in caſtra vocate.
Heu! nos ſanguineus malè raptat in horrida Mavors
Bella reluctantes, invitáque pectora mittit
In cædem, in furias, & leti crimina mille.
Talia dicentem precibus, votisque viciſſim
Excipiunt illi: Maternus corpore toto
Hìc primùm tremere, atque oculos ardere nitentes:
Tum ſolito major, ſic ora reſolvere fatis.
Chriſtiadûm Rector, Superûm juſtiſſima cura,
I Princeps, quò te bellorum maximus Auctor
Inſiſtens rapit, atque illum quem mentibus addit,
Ardorem ſequere: ancipitis cape grandia belli
Omina, & æterni ſurge in præſagia Regni.

Ante

Ante ſuos quàm Phœbus equos bis in æquore tingat,
Exutus jam claſſe fugam dabit omnia circùm
Litora Licinius, pontíque relinquet habenas.
Non tamen hic finis belli, nec meta laborum,
Multa tibi toleranda priùs: Te ſæpe vocabunt
In brevia, in ſyrtes, trepidæque pericula vitæ,
Et Mavors, & tartarei vis invida Regis.
Tu Chriſti memor, adverſis ne defice rebus.
Quò magis inclinant, hôc tu præſentior inſta.
Nonne vides ſummi pandantur ut atria cæli,
Et tua cæleſtes veniant ad claſſica turmæ.
Ah! quanto miſeris incumbit turbine clades.
Dixerat hæc, ſenſim cecidit nitor oris, & ille
Spiritus, atque homini tandem ſua reddita vox eſt.

IDOLOLATRIA DEBELLATA.

LIBER SECVNDVS.

ARGVMENTVM.

Navalis pugna.

ARGVMENTVM EXPLICATIVS.

Conſtantinus Chriſtianos, Licinius Prophanos alloquuntur, & ad prælium magnis animis adhortantur. Claſſis Chriſtiana quadrato agmine incedit: Lunatur Prophana, & Chriſtianam mediam comprehendere nititur. Erant in procinctu acies, cùm Francorum Princeps Herricus, è Samo Inſulâ ad Conſtantinum properans, per Licinij triremes inſigni ſtratagemate tranſiit. Inter utramque Claſſem jam medius, mutatis inſignibus, & in Licinianos conversâ nave, initium pugnæ dedit. Pugnatur itaque utrimque acriter, & claſſes Marte vario miſcentur. Triremis erat ingens, octo

verſuum

verſuum, quam meritò arcem totius claſſis diceres: hanc Conſtantinus magnis planè animis, & heroïco facinore aggreditur, & deletis militibus incendit. Neque ſuperat fidem factum iſtud Conſtantini, cùm Alexander ſolus in civitatem, tranſmiſſo muro, irruperit. Interea Æthiopes novo belli genere Chriſtianos adoriuntur, teſtas ſerpentibus refertas in triremes conjiciunt, quo ſtratagemate multi perière. Licinius nondum ad hoſtes penetrare potuerat, quia in anguſtias Helleſponti numeroſiſſimam claſſem coëgerat: Quod grave illius peccatum obſervant Auctores Zoſimus libro II. & alij. Tandem tamen erupit cum ſociis, & virtute ſuâ aciem inclinantem ſuſtinuit, atque inter cæteros Priſcum Conſtantini Legatum graviter vulneravit. Ad noctem uſque, variâ fortunâ, vergente tamen ad Chriſtianos victoriâ, pugnatum eſt.

NOTÆ.

I. A nobis dictæ ſunt Libro I. copiæ Licinianæ majores. Ita docet Zoſimus *Libro altero*: In Conſtantiniana fuêre triremes ſupra ducentas, onerariæ ſupra ter mille.

II. Deos veterum Francorum & Gallorum fuiſſe Teutatem, Heſum, & Tharamim, notiſſimum eſt.

III. De triremi illâ Ægyptiacâ vide Præfationem noſtram.

IV. Cultum comæ objecit Conſtantino Iulianus Apoſtata.

V. Strategema de ſerpentibus, quæ teſtis fictilibus contentæ, in hoſtium naves jaciuntur; uſurpavit Annibal, ex Livio, & aliis. Vide Mariſotum Divionenſ. *Lib. I. Cap. XV.* & Fornerium noſtrum, *in ſuâ Hydrogr. Lib. XIX. Cap. LI.*

VI. Hic Priſcus primæ nobilitatis vulneratur, qui Lib. V. moritur, cujus eſt Epiſodium lib. VI.

VII. Graviter peccatum eſt à Licinio, qui totam claſſem ſuam in anguſtias Boſphori coëgit, quæ prima cauſa fuit cladis. Zoſimus *Lib. II.*

VIII. Duobus diebus pugnatum eſt. Zoſimus *ibidem.* Altero die, ingenti tempeſtate divinitus immiſſâ, claſſis Liciniana perit. Euſebius, *in vita.*

IX. Artemij militis, qui ſub Conſtantino meruiſſet, & Iuliano Religionem objecit, meminit Theodoretus *Lib. III. Cap. XVII.*



AMQVE aderant totâ Rectores claſſe vocati:
Ante alios Priſcus, pietate inſignis, & armis
Inclytus, Æacidum Phædrus, Cecropúmque Leander,
Gallorum Aſtyorix Princeps, Tameſesque Britannus.
Venerat & Lenas Romanæ gloria gentis
Quintilius, multo rerum jam providus uſu.
Adfuit & Rhodius Gobrias, Italúsque Sicanor,
Atque alij Proceres, bellique, marisque periti.
Sublimes haſtis, criſtisque comantibus, altam
Armatâ circùm puppim cinxêre coronâ.
Quos inter medius regali vertice ſupra

Stans

Stans Conſtantiades, ſic facta ſilentia rupit.
Nempe ego nequidquam fortiſſima pectora verbis
Sollicitem, veræ melior quos gloria laudis,
Quos furor hoſtilis, quos læſo Numine juſtus
Inſtigat dolor, & pietas armavit in hoſtem.
Ignavos litui accendant in prælia: vobis
Viciſſe eſt, meminiſſe ſui: Bella, aſpera bella
Huc revocate priùs totum pugnata per orbem.
Quo vos cunque tulit Mavors, victoria nuſquam
Abfuit, illa novis veteres lætiſſima lauros
Accumulans, alia ex aliis in bella vocatos
Nunc demum jubet extremo concurrere marte.
Ex quo etenim Labarum purâ ſub luce refulſit,
Explicuítque Crucem media inter nubila; nullus
Armatis impunè tulit ſeſe obvius hoſtis.
Nam quid ego memorem vobis cecidiſſe Tyrannos
Italiæ, fractas Alpes, urbésque receptas,
Aſſertúmque ſibi Latium, Romámque redemptam.
Illyrij populos, & Graio nomine gentes
Licinij tandem puduit, fœdúmque peroſæ
Imperium, ſocias junxêre in fœdera dextras.
Africa quin etiam tandem ſe dedidit, ultro
Faſſa ream: quæ nunc ſupereſt pars tertia rerum,
Infelix Aſia, armorum conterrita pulſu
Intremit, & precibus veniam vos omnibus orat.
Audete, hoc tantùm. Mediis in puppibus hoſtis
Iam trèpidat. Deus, ille Deus, quo vindice pugno,
Attonitum pavido ſtravit ſub pectore: terris
Omnibus elicitum claſſem concluſit in unam,
Ne fugeret, veſtrúmque fugâ infuſcaret honorem.
Quid ſtatis? Præeunt Superi, jam prælia miſcent:
Vix bello è tanto ſupereſt, quod frangere virtus
Iam queat: Ad lauros ſatis eſt tamen. Ite, morarum
Iam pudet, æterni decus immortale triumphi
Hoc rapite, & priſcæ cumulum ſuperaddite laudi.
Hæc ubi Flaviades, olli calefacta per oſſa
Divinos æſtus rapuêre, ſuíſque recepti
Puppibus, in totam miſcent incendia claſſem.
Qualiter attritu ſilicis ſcintilla ſub auras
Emicat, ac foliis ſuſcepta, & ſulphure vivo,

Cæruleo

Cæruleo dedit ingentem cum lumine flammam.
Haud minor interea rerum ſpes, irrita quanquam,
Licinium exercet, raptátque inamabilis error.
Excelsâ pro puppe, ſuper tabulata fororum,
Ingens ara Iovem ſtabat complexa, Iovísque
Germanam, magnósque Deos, turbámque minorum;
Hic Proceres, omníque Duces ex ordine lectos
Talibus invadit. Nam quæ dementia ſanos
Avertit ſenſus, aut quis furor additus? Armis
In Superos ruere, antiquis convellere Templa
Sedibus, & patrios flammis abolere Penates?
Eia agite, antiquos Divûm cognoſcite vultus.
En olli, quorum auſpiciis tot caſta per annos
Relligio ſtetit, & priſcâ virtute parentum
Iacta olim, durant in ſeros Regna nepotes:
Imperium quibus eſt cæli, terræque poteſtas:
Quos Aſiæ, quos Europæ, ſparſæque per orbem
Immenſum, prono venerantur vertice gentes.
At nos, proh! Pietas, illos detrudimus aris,
Nec pudor eſt hominem ſacra in penetralia Divûm
Inferre, informi pendentem quem trabe, feſſi
Victum animi, fruſtra ſingultibus ilia longis
Pulſantem, fruſtráque homines, fruſtráque vocantem
Auxilio Superos, pietas Romana necavit.
Exulet Omnipotens, Templis mulctatus & aris,
Europâ, atque Aſiâ pulſus? Dominetur Apella,
Atque Deos omnes ſceleratæ in fercula pompæ
Raptet ovans, totúmque ferox inſultet in orbem?
Non ita, námque licet vitam cum ſanguine ferrum
Exigat, & victos extrema per omnia verſet;
Hâc juvat ire tamen, claro quà limite cælum
Panditur, Heroásque æternâ ſede receptat.
Quare agite, ô! ſocij, patrio ſi ſanguine venæ
Vſque micant, necdum Romanis excidit omne
Pectoribus robur, magnum per tela, per enſes,
Quáque viam Fortuna dabit, mercemur honorem.
Oravêre Duces, & jam navalibus ibant,
Spumeáque armatæ ſternebant æquora puppes:
Chriſtiadûm heſterno meditatam tempore formam
Accipit, atque hoſtem ſancto petit omine claſſis.

Parte

Parte aliâ, numero eſt potior, longéque ſuperbit
Caius ovans; aciem magnum curvavit in arcum,
Hinc atque hinc latè diductis cornibus. Vt qui
Venator longâ magnos indagine ſaltus
Cinxerit, & prædam maculoſa in retia cogat.
Iam tuba terribili trepidos Mavortia cantu
Increpuit populos: fremuerunt Thracia circùm
Litora, reſponsántque Aſiæ plangoribus arces.
Ecce Cypro è victâ rediens, Samiisque receptis,
Francigenûm Herricus Ductor, ſub tempora pugnæ
Incidit extremum Caii malè cautus in agmen.
Quid faciat? Medios quâ nunc ratione per hoſtes
Flectat iter? Dubio tandem hæc ſententia ſedit:
Adverſam ignotâ claſſem tranſmittere puppi,
Atque hoſtes ſignare oculis, quâ quiſque triremi
Irruat in martem, quibus & ſe jactet in armis.
Nil Chriſtum, nil ille Crucem, nil cætera curat
Chriſtiadûm decora, aut veræ pietatis amorem:
Sed neque Graiugenas dignatur numine Divos,
Neptunum, ſævúmque Iovem, Martémque cruentum.
Teutates illi eſt animo, crudelis & Heſus,
Dij patrij, quanquam non ullo Numine credit
Fraude ſuper belli, aut ullâ ſe lege teneri.
Ergo Crucem ſummo mali de vertice raptam,
Et patrios Latio mutat cum Marte Penates,
Atque ita per medios paſſis adremigat hoſtes
In velis placidus. Primum poſtquam attigit agmen,
Acriùs indulget remis, mediúsque ſubivit
Claſſem inter geminam: extemplò mentita revellit
Signa, Crucémque iterum ſublato Marte reponit,
Teutatem, triſtémque Heſum, Tharamímque ferocem:
Tum verâ Francum facie, quantúsque ſolebat
Irruere, oſtentans, ſocios affatur ovantes.
Quò bellum vocat, ô! comites, & pandit honori
Prima viam Fortuna, ſequendum eſt. Talia fatus,
Et proram ſimul obvertens, petit horridus hoſtem.
Non tulit id Pericles, primum cui Caïus agmen
Crediderat. Nempe hic nobis illuſerit (inquit)
Et ſcelus hoc impunè ferat. Nec plura locutus,
Continuò contra pleno parat obvius ire

Remigio, geminæ puppes comitantur euntem;
Et quam ſævus Athax, & quam concuſſit Aſilas,
Augur Athax Iovis, & Chriſti deſertor Aſilas.
Imprudens animi, laudis dum cæcus amore
Fertur Athax, navem præceps illiſit Aſilæ,
Et lævo totos amiſit ab ordine remos.
Hectoris at ſoboles prorâ ſublimis ab altâ,
Horridus in ferro, atque auro florentibus armis,
Malleolos manibus quaſſans, lita ſulphure tela,
Vulcano crepitante, metúmque, necémque ferebat
Intentans; ſævis collucent æquora flammis.
In mediâ qualem ſolitum eſt armare Poëtis
Nube Iovem, terrâ genitos cùm fulmine fratres
Montibus excuſſos ſcelerata in Tartara miſit.
Haud aliter fremit aſſurgens in prælia Francus,
Molitúrque ignes: Socios ſimul occupat ardor,
Et tædas pice torrentes, lentóque bitumen
Infartum ſparto vibrant: Furit aëre flamma
Miſſilis, ínque foros veniens tabulata flagranti
Turbine corripuit, ſurgit labor unus Aſilæ
Irritus, à trepidâ prohibere incendia pinu.
At propior Pericles, & multâ fervidus irâ
Injecitque manus uncas, ac ponte reducto
Exuperans tabulata, fero ſeſe intulit ore.
Quiſquis es (exclamat Francus) qui rumpere fata
Virtute, & factis properas extendere famam,
Huc ades, ô! Tantúmque effatus; cominus enſe
Excipit in jugulum ſimul, & ſimul obvia totis
Pectora pectoribus commiſit: in æquoris undas
Ille ruit, dubius casúne periret, an ictu.
Continuò pontes Francus tranſcendit, & alta
Tranſtra ingens tenet, ac ſævis ſuperintonat armis.
Attoniti ſtupuêre hoſtes ingentia membra,
Ingentésque auſus: propiùs ſe opponere nulli
Eſt animus, ſuadétve humili ſub pectore virtus:
Voce procul tantùm, & longè fallentibus armis,
Miſſilibus jaculis certant detrudere. At ille
Torva tuens ruit in medios, ſtratámque cruentat
Funeribus puppim, latè cruor undique manat.
Non ſecùs in turbam picarum falco loquacem

Immiſſus

Immiſſus, toto rabidus furit agmine: tortas
Illæ inter fagi frondes, denſataque circùm
Brachia funduntur trepidæ, densósque pererrant
Nequidquam ramos, & inania murmura jactant.
Interea trepido miſcentur in æquore claſſes,
Et puppim prora, & proram premit obvia puppis.
Ecce rates illic obliquo vulnere, longum
In latus exceptæ franguntur: morſibus uncis
Hîc lupuli innectunt alias, martique ſuperbo
Communem ſtravêre viam: volat igneus illic
In medias vapor, hîc ferro pugnatur, & igne.
Perſeus Epiri Rector, Chriſtúmque profeſſus,
Centaurum irrumpit: Centauro ſævus ovabat
Archilochus, contráque inimicis ibat in armis,
Et Venerem ſummâ in puppi jactabat in auro.
Ille prior. Quid vos Veneris, turpisve Priapi
Sacra juvant? Ecquid fortes imbellia Divûm
Numina ſectari nil tædet? At ille viciſſim.
Nec vos ſigna ſequi pudor eſt ſervilia, furcas,
Atque Cruces, atque argumenta pudenda latronum?
Talia jactabant: acuit patrum inclyta virtus
Perſea, & indomitus prima in certamina pulchræ
Laudis amor: furor Archilochum, atque odia aſpera Chriſti
Ardentem inſtigant: duro certamine fortes
Incertum martem invadunt. Vbi ſæva morarum
Pectora pertæſum eſt, tum demum mutua cæci,
Præcipitésque ultro linquunt per funera vitas.
Perſeus Archilocho trajecit pectus, in ipſo
Spumantem rigidus bibit enſis fonte cruorem.
At ſimul Archilochus ferrum, dextrámque furentem
Explicat ex alto, liquido venit æthere dura
Ferri acies, mediásque ruens à vertice malas
Dividit, immani reſonat ſub pondere pinus.
Mors utrique eadem, ſed non tamen exitus idem:
Exiit ille Polum ſupra, hic Acheronta ſub imum.
Additus hinc ſociis furor, alternare viciſſim
Vulnera, Rectorésque ſequi per funera certant.
Parte aliâ, vaſto Clytium Tritone frementem,
Quem triplici verſu ſubigit, congreſſus Atinas
Invadit, Chriſto, & Muſis dilectus Atinas:

Carmina cui curæ pariter, martisque labores.
Threïciæ (exclamat) galeæ, conóque comanti
Purpureæ vobis criſtæ capita alta coronant:
Mollia ſed trepido languent ſub pectore corda.
Talia vociferans dextramque, enſémque reducit
In Clytij caput; umbonis ſeptemplicis orbem
Fruſtra ille opponit venienti. Námque ſupremam
Vltimus obliquo in galeam ruit impetus ictu.
Nec tamen ille tulit, cúmque huc nutaret, & illuc,
Quâ præceps caderet, nutanti fervidus inſtat
Hoſtis, & impulſum prorâ deturbat ab altâ,
Ludibrium ponto, dulcémque natantibus eſcam.
Mox furit in medios ſociis comitantibus hoſtes:
Haud illi cecidêre animis, ſed pectora fortes
Oppoſuêre neci; atque omnes, ſeu plurima virtus,
Seu furor ille fuit, quærunt in funere laudem.
Ante alios Clytij Entelles Legatus Atinam
Appetiit, non arte quidem, non enſe, nec arcu,
Pierio par ille duci; ſed viribus audax,
Moléque membrorum, propiori marte duellum
Inſtituens, pharetrámque, arcúmque abjecit, & enſem.
Tum manibus clypeum geminis obtendit, & unà
Inſertans ſeſe, medium circùm implicat hoſtem.
Ille omni contra ſtudio divellere nodos
Nititur incaſsùm: magnis nunc urget Atinam
Viribus Entelles, nunc Entellem arte viciſſim
Pierius: dubias æquat victoria ſortes:
Artibus hîc cedunt vires, hîc viribus artes.
Entelli dextrum ecce pedem, pede promptus Atinas
Impediit lævo obliquans, dextróque lacerto
Deſuper incumbens, & toto pondere nitens
Impulit. Ille cadens plantâ fallente ſub undas,
Incerto tandem poſuit diſcrimina marti.
I nunc, Entelles, victor ſuperaddit Atinas,
Rectorem Legatus adi, ne deſere pacta.
Cecropium celsâ puppim pro turre tuentem
Omnibus expugnat Soream Samuëlius armis.
Huic parent Arabes, ſeu qui felicia ſuccis
Rura colunt; ſeu qui rari loca ſola, larésque
Incertos habitant; ſeu quos Petræa per omnes

Mœnia

Mœnia nobilitant populos, genus omnibus unum.
At non hîc, Sorea, pugnatur verbere linguæ,
Addit Arabs, neque Socraticis in retia verbis
Cogitur hîc miles; de vitâ, & ſanguine pugna eſt.
Non animo Soreas, magnis nec viribus impar
Excipit irrumpentem ultro, ſimilique repellit
Aſſultu. Prior ad ſcalas, pontésque ſub ipſos
Anceps pugna fuit: Soreæ, dum totus in ictum
Nititur, ad capulum multâ vi frangitur enſis.
Non Arabem fera vis animi, nec vana fefellit
Fortuna: Ille manu nodoſo ſtipite robur,
Et rigidis circùm ferri mucronibus aptum,
Sanguineam ex alto in galeam, criſtásque comantes
Torvus agit, ſparsóque illidit in oſſa cerebro.
Æmula Rectorem magno Prætoria pubes
Circumſtat fremitu: tamen haud impunè, neque omnes
Barbarica Herculeæ tutatur gloria clavæ.
Cres aliâ Artemius parte, & Mauruſius Hammon
Incurrunt armis, animósque in prælia tollunt.
Applicuêre rates, junctis per mutua coſtis,
Alter in alterius diversâ parte triremem
Fervidus irrupit: ſocij facto agmine Reges
Quique ſuos nuſquam ſperatâ ſorte ſequuntur.
Victores, victíque, capi potuêre viciſſim
Dum capiunt. Creſsâ quoniam Mauruſius ardens
Vi potitur, Libycam Graius ſibi vindicat armis.
Protinus ingenti ſolvit retinacula fluctu
Pontus, & avulſos hoſtilibus applicat oris.
Artemium leti melior fortuna manebat:
Militia námque hic demum confectus, & annis,
Flaviadæ magni prognatum ex fratre nepotem,
Heu! deſertorem Chriſti, & pietatis avitæ,
Talibus increpuit. Non hæc promiſſa dediſti
Et patruo, & Chriſto, ſtares cùm tonſus ad aras,
Sanctorum relegens populis monimenta virorum.
Non tulit hanc vocem ſceleratus perfuga: duro
Ille quidem (ſed quod magnis optaverit emptum
Chriſtiades precibus Bellator) funere demens
Vindicat, & pulchrâ Heroëm virtute coronat.
Flavius ex altâ jamdudum puppe tuetur

Veſtigans oculis, Caiúmque in prælia poſcit.
Nec minùs hunc acuit, ſtimulis nec mollior urget
Romano ſuper Imperio, tantâque cupido
Laude, ſed anguſtâ diſcluſit Boſphorus undâ.
Niliacum ad litus metuendam mole triremem,
Militis, armorúmque potens inſtruxerat omnis
Ægyptus, pontique oras ditione tenebat.
Immenſum illa maris pondus, terrórque, per octo
Ardua remorum ſurgebat ad æthera verſus.
Centeni in verſum tollebant brachia nautæ.
Aëriâ puppis turri caput alta ſuperbum
Erigit, aſſurgit ſuppar prora, undique circùm
Stant pinnæ, ſtant ardua propugnacula, magnæ
In faciem, morémque arcis, quæ finibus hoſtem
Summovet, atque metu latè circùm omnia terret.
Nominis illa quidem magni, ſed pigra moveri,
Tardum corpus habet: neque enim vel carpere gyros,
Vel tonſæ patiens, habilisve ferentibus Auſtris,
Aut hoſtem potis eſt fugere, aut inſtare ſequendo.
Non impunè tamen propiùs ſuccedere quiſquam
Audeat: ex alto námque illa incendia jactat,
Sulphureos glomerans nimbos, & ſaxea tela.
Trinacria, ingenti ceu cùm tonat Æthna fragore,
Succutitur, primùm tenues exiſtit in auras
Fumus, & obſcurâ cælum ſubtexitur umbrâ:
Mox furere immundi cineres, liquefactáque ſaxa,
Attollique globi flammarum, & ſulphure tetro
Flumina torrentes campis devolvere fluctus.
Non aliter teli genus omne, ignésque coruſci
Cum fremitu de puppe ruunt, mortésque minantur.
Viderat id monſtri primo certamine Ductor
Chriſtiadûm, & flammis jamdudum abolere parabat.
Auſonidæ Mario, Hilperio, & forti Tharamundo
Francigenis (celeres longo qui corpore Priſtes
Impellunt centum remis, velisque miniſtrant)
Imperat, ut coëant ſimul, & ſimul agmine facto
Diversâ monſtrum horrendum de parte fatigent.
Ite, aït; atque illas nobis nunc promite vires,
Quæ mare, quæ totas utroque in litore gentes
Fregêre. Incurrunt olli, paritérque laceſſunt.

Spumantem

Spumantem veluti ſummis de montibus aprum
Invasêre canes. Marius ſatus Aſtyge magno
Irrupit non marte ſuo. Námque igneus atram
Nubem inter ſaxorum, & tela ſonantia nimbus
Præcipitat, paritérque ſuo cum milite Nautam
Atque ratem mediis trepidos ſepelivit in undis.
Infandæ haud aliter Veneris, probrique tacendi
Sontem olim Sodomam flagranti ſulphure Numen
Implicuit, totóque nefas ſubmerſit Averno.
Spes avidum pugnæ Tharamundum prima fefellit:
Námque ille in proram cæcâ dum fervidus irâ
Fertur, & in lævam remis nitentibus inſtat,
Multus iit præter, cursúmque effudit inanem.
Remigio appetiit melior, laterique ſiniſtro
Hilperius tandem applicuit, ſed deſuper illi
Miſſilibus trudunt, & telis omnibus urgent.
Hic verò Conſtantiades: Inſurgere remis
Nunc opus, ô ſocij! latus hoc irrumpite, Chriſtus
Hâc vocat. Incumbunt olli, volat ocyor Euro
Pinus, & impreſſò terebravit acumine proræ,
Confoditque latus, tabulatis ima ſupremis
Et corpus quà zona ratem compingit in unum.
In ſeſe ſtetit illa tremens, uteróque cavernæ
Fetæ armis, latè ingenti ſonuêre fragore,
Circùm undæ ſpumant, magnúsque remurmurat æther.
Flavius interea jacto ſupereminet unco,
Mole, animisque ingens, ingentia tela coruſcans,
Criſtatus caput, & flagranti flammeus igne
Tranſtra ſuper fremit horrendùm. Quot ſpicula forti
Molitur dextrâ, tot leto corpora volvit.
Atrea principiò trajecit cominus enſe,
Atrea rectorem navis: quem mille ſequuti
Purpurei juvenes puppi bellantur eâdem.
Poſtquam illum ingenti viderunt vulnere victum,
Pars dubio trepidare metu, pars mollia turpi
Vertere terga fugâ. Ille inſtat fugientibus, atque
Niligenam propiùs meditantem prælia Cenchrim
Antevenit, ferróque animæ præcordia rupit.
Mox Cẽchris comites Didymũ, Tamyrímq;, Chromímq;
Adjicit, & vaſtâ metuendum mole Seraſtem.

Ecce

Ecce autem Hippotades, Atrei fortiſſimus Heros
Legatus Bitias, auditâ cæde ſuorum
Advolat, & ſecum fortiſſima pectora bello
Auxilio rapit ardentes. Quò deinde locorum
Diſſugimus, comites? Quam demum prendimus arcem?
Vnus & ille comæ ſtudio, cultúque ſuperbus
Femineo, ísque armis ſeptus circùm undique veſtris
Palantes agat? Hæc paucis. Tum primus in hoſtem
Irruit, ingenti comites clamore ſequuntur.
Ergo omnes unus contra (tantùm ardua virtus
Rebus in adverſis audet, laudisque cupido)
Stat Conſtantiades. Bitiam veſana frementem
Occupat, adversóque comantia colla recidit.
Et ſuper hæc: Num femineo cecidiſſe ſub hoſte
Te pudet, ô Bitia! Trunci ſub pondere puppis
Inſonuit, longè caput â cervice revulſum
Attonitos inter ſocios, mediósque per enſes
Ter micat aſſultans: ſociis formidine ſanguis
Diriguit, gelidæ torpent ad prælia vires.
Dum trepidant, urget victor, Tarchoníta ferarum
Indutum exuvias ferit. Huic circùm ora leonis
Pro galeâ horreſcunt malæ, villoſa pererrat
Sublimes incincta humeros, atque ilia pellis:
Terribilem nodis clavam ritu Herculis ipſe
Molitur, quem non juverunt Herculis arma.
Námque illi galeam ſubter, quâ lenta ſecundùm
Colla, humerus dexter committitur, arduus Heros
Enſem adigit, roſeo fugientem ſanguine rivum
Truncus agens, fuſo conſtravit corpore puppim.
Supra hominem quamvis, ſortem mortalis & ævi,
Flaviades virtute, animísque ingentibus auſit:
Vſque aliis tamen, atque aliis venientibus uſque
Hoſtibus, exhauſto fudiſſet ſanguine vitam.
Iam femur accepto languebat vulnere lævum,
Et dextrum contorta humerum perſtrinxerat haſta
Incertâ vibrata manu: neque vulneris hujus
Se quiſquam tulit auctorem, facinúsque ſuperbum
Ambiit. Interea nulli conceſſa poteſtas,
Alta ſuper tabulata ſequi, vincla omnia fluctus
Ruperat, & naves longè ſecluſerat unda.

Ergo

Ergo illos fortis revocat pudor, iráque vires
Præcipitans, certant validis insurgere remis.
Postquam altos tenuêre foros (mirabile visu)
Magnanimum vidêre Ducem tot funera circùm
Invictis supereſſe animis, torvúmque minari,
In medios hostes irrumpunt, ipse receptis
Exarsit sociis, totásque in prælia vires
Suscitat, atque omnes iræ permittit habenas.
Obvia non illis quisquam dare pectora, longis
Diffugêre foris, exundant sanguine transtra.
Flavius hic quando tantùm subducere molis
Non potis est: Huc huc date flammas, inquit, & ecce
Iámque faces, tedæque volant, jámque ardua fumant
Carbasa, per teretes rapitur vis ignea malos,
Et sonitum cælo dedit ingentem: aridus altam
Est puppim, prorámque vapor, gliscítque per omnes
Insinuans partes, & toto corpore regnat.
Qualiter Oceano in magno, celsissimus unus
Aërios inter montes Teneriſa superbo
Vertice stans, cælo metuenda incendia jactat,
Auditis, si vera fides, & fidere nulla
Relligio vetat, & nautæ meminêre recentes.
Has inter pice torrentes & sulphure flammas,
Apparent sceleratæ animæ, queſtúsque sub auras
Dant longè, tristi resonant maria omnia luctu.
Sic puppe incensâ, flammas, æstúsque furentes
Inter, & undantem revoluto turbine fumum,
Exoritur gemitus durâ sub morte cadentum,
Olli vocis iter, vitæ spirabilis hauſtus
Dum trahit, os ater densâ caligine fumus
Obstruit; ecce alij lapsæ per guttura flammæ
Pulmonem, & rapido populantur viscera flatu,
Territus hic celsâ puppis se mittit ab arce,
Et toto flammas properat restinguere ponto,
Insonuêre undæ circùm, ferit ardua clamor
Sidera, respondent ingenti litora planctu.
Nec minùs in reliquam sævit fœdissima classem
Tempestas: tristi totas armata flagello
Increpuit Bellona rates, sub marte furenti
Crebrescit gemitus morientum, decolor undâ

It pontus, ſpumatque undanti ſanguine litus.
Hinc quocunque furens animis ſe Flavius Heros
Victor agit, Labari ſignum quocunque minatur,
Diffugiunt latè claſſes: ſic fulgurat alto
Aurea Crux malo: ſic Heros fulminat armis.
Pammachiúsque, Pharúsque, uno quos læta creârat
Autolyce partu, Phrygij Simoëntis ad undam,
Puppibus in geminis, irato marte petebant
Peneleum Gallæ Rectorem pubis: Hic ille eſt
Aſtyorix etiam priſco de nomine dictus.
Dum Pharus in Chriſtum jactat verba impia, telum
Aſtyorix torquet, ſceleratum guttur arundo
Trajicit: ille vomit ſpumantem ſanguine rivum.
Pammachium Aſtyorix, viſu mirabile, dextrum
In latus excipiens, navem ſuper ivit, & ipſa
Tranſtra ſuper labens, ſepelivit gurgite merſam.
Haud aliter ſonipes, media inter prælia martis,
Arduus adverſum ſublatis calcibus hoſtem,
Atque equitem ſuper effundit, latè agmina cedunt;
Ille fremens toto dominatur in æquore victor.
Quattuor Æthiopes complêrant milite pinus,
Purpurei ſinuoſa colunt qui litora ponti,
Qui geminæ numerant rorantia tempora brumæ,
Et totidem æſtates: haud illis dirior hoſtis,
Nec qui plura neci dederit fortiſſima pubis
Pectora: non validis hoſtes gens ſæva lacertis
Vicerit, aut rigido partos agat enſe triumphos.
Perpetuâ tellus illis habitatur arenâ:
In collem ſi quando tumet, montanáque ſurgit
In juga, non ſaxis, aut duris rupibus horret:
Sed tenui tantùm argillâ, cretáque tenaci
Concreſcens, altos imitatur culmine montes.
Multiforem latebris intrò fugientibus, alti
Perfodêre ſinus, quà non magis apta colubris
Eſt ſedes: duro Æthiopas cùm marte laceſſit
Sævus Arabs, aut Perſa ferox, aut incola Nili,
Aut Libyco inſignis cultu bellatur Amazon:
Continuò ſuperant colles, & murmure cæco,
Carminibúsque cient diris genus omne draconum.
Fictilibus clausêre cavis, crudelia donec

Bella

Bella vocent, pugnæque inſtet lacrymabile tempus.
Haud aliis coëunt nunc in certamina telis.
Quos poſtquam Antippas audere in prælia ſenſit,
Nunc animis opus, ô! ſocij, certamine diſcant
Chriſtiadæ pugnare novo, ſe nunc quoque vinci
Poſſe ſciant. Intra jactum ut venêre, ſagittæ
Denſantur primùm, veluti cùm grandine nimbus
Axe ruens ſummo ſaturas populatur ariſtas.
Mox quoque ſerpentum ſpiris fecunda, per auras
Teſta volans, puppes intra vi frangitur, atque
Fracta vomit rabidos, & cærula colla tumentes.
Poſtquam igitur rupto ſenſerunt carcere lucem,
Tum vegetis micuêre oculis, criſtâque comantes
Purpureâ, flammis rutili capita alta coronant.
Flaviadas nova bella vocant; non obvia ferre
Arma viris, ſaltúve citas ſuper ire triremes
Iuverit, interius bellum graſſatur, & inſtat.
Expediunt nequidquam enſes, haſtásque coruſcant.
Námque enſes inter medios, ferríque rigorem,
Anguineum ſine more furit genus: involat ille
In faciem, dentémque, nefas, infigit in ora.
Ille pedes circùm teretes, pérque alta volutus
Crura, atrum inſinuat demorſa per ilia virus.
Obvius hic dextram appetiit, plagámque ferenti
Implicuit ſeſe, tortóque volumine circùm
Brachia, nodoſis hærens amplexibus, alto
Spicula defigit jugulo, mox colla jubarum
Sanguineis maculoſa notis ſuper æthera tollit:
Infremit horrendùm ſævis ſtridoribus aër.
Aggerat hæc inimicus atrox, & ſulphura viva
Conjicit: ignis edax flammâ crepitante, picatas
Corripuítque trabes, hominésque, ferásque cruento
Implicitos bello, totas accendit in iras.
Et flammis ceſsêre homines, ceſsêre colubri:
In mare precipites demittunt corpora nautæ.
Heu! hominum miſeram ſortem: quæ nomina leti,
Quásve nocendi artes, aut crimina ſæva relinquunt
Intentata? Afræ ductores pubis Iärbas,
Et Barus, Annibalis qui ſe de gente ferebant,
Invadunt Rhodios, & jam mersêre profundo,

Et quâ vectus Achin, & quâ Polyænus ovabat.
Ipſe etiam Gobrias, mediis dum puppibus ardet,
Tutatúrque ſuos, fudit cum ſanguine vitam,
Non ſine laude tamen, geminas nam ſulphure pinus
In cineres dederat, geminásque immerſerat undis.
Interea medio proſpectat ab agmine pugnas
Indignans animis Caius, diſcluſerat illum
Boſphorus, & tenui contractior æquore pontus.
Náinque animi præceps, totas effundere vires
Dum parat, in ſpatium claſſem concluſit iniquum:
Atque hæc prima mali, tantæque exordia cladis.
Vt licuit, belli comites, pacísque miniſtros
Euronymum, Paulique Gyam, Cletúmque Mimantis,
Cum totidem proris rapit in certamen, & altâ
Voce ſuper. Pudor, ah! pudor eſt audire ruentum
In pugnam fremitus, & inerti lumine bella
Aſpectare. Obſtant maria? Obſtant aſpera fata?
Fata per, & cæcis ſpumantes fluctibus undas,
O! ſocij, rumpamus iter. Sic dixerat, illi
Quâ via facta, ruunt. Vaſto ceù gurgite pontus
Aggeribus ruptis, multa quos arte Batavus
Muniit, & magnis vada ſalſa molaribus arcet,
Fertur aquæ cumulo ſpumans, & vortice latos
Sternit agros, ſternit ſilvas, hominúmque labores;
Et miſeris totas haurit cum civibus urbes.
Irrupêre omnes, petiit Didymaona Cletus,
(Orſilochum longo Didymaon marte premebat)
Exuſtis ægrè vertentem cærula velis.
Nec longum tempus, ſeſe, ſociósque, ratémque
Dedidit Orſilochus: magnâ de puppe revulſus
Ilicet eſt clavus, dextróque ex ordine remi.
Mox Cletum, fortémque inter Didymaona triſtis
Exoritur pugna, & ſævo ſub marte duellum.
Námque ætate pares, animísque in bella ruebant,
Regibus & pariter chari, paribúsque coruſci
Ex longo titulis: dubio certamine utrumque
Dum Bellona ferox exercet, uterque ſub undas
It præceps: vis illa tamen, furor igneus ille
Non cadit, aut totâ ponti reſtinguitur undâ.
Redditus ut fundo eſt Cletus, ſecat æquora lævâ,

Dextrâ

Dextrâ enſem attollens, cæcis in fluctibus hoſtem
Quærit adhuc. Horret trepido ſub vortice pontus.
Nec minùs hoſtis adeſt, fundóque exiſtit ab imo
Ore minax, gladióque ferox. Non talia priſcis
Temporibus quondam commiſit prælia Mavors;
Talia nec ſeris olim committet in annis.
Cùm patitur fluctus, nec mollior unda repugnat,
Olli tum ruere in ſeſe, mortémque morantem,
Tótque neces inter nimiùm cunctantia fata
Irritare animis. Medios dum dividit æquor,
Ira recrudeſcens bellantum igneſcit, & hoſtem
Atque fretum tentat duplicato vincere niſu.
Sanguine jam ſpumat pontus, jam corpora vires
Deficiunt, furor ille tamen creſcebat, & undâ,
Et ferro major: celſis à puppibus, alto
Cùm ſeſe attóllens cumulo Didymaona fluctus
Extulit, & Cletum ſuper impulit: ille repentè
Sortitus fortunam oculis, trans pectus in ipſo
Fatiferum victor ferrum pulmone recondit.
Ecce autem Eurynomus rectorem Perſea pubis
Chaoniæ petit: aggreditur Tritone furentem
Demophoonta Gyas. Comitatur Dalmata Regem
Demophoonta, Gyam Cilicum pharetrata juventus.
Vſque ſub occaſum, primæque crepuſcula noctis,
Ancipiti durum tolerant certamine martem.
Caïus at puppi dudum ſpeculatur ab altâ
Flaviadam opperiens, aut pulchro corpore Priſcum:
Flaviadam ſuper Imperio petit, odit & ardet
In Priſcum furiis, totáque in claſſe requirit.
Nempe hic Licinij ſobolem florentibus annis,
Egregiúmque animi juvenem, columénque parentum
Vicerat, & duro pectus trajecerat enſe.
Proſpicit Antiphilum, magnâ ſe mole ferentem,
Congreſſu Libycum petere Iphicoonta, repentè
Irruit antevolans, deceptus imagine falsâ.
Junior hic Priſci frater, cui prima juventus
Flaventes veſtit roseâ lanugine malas:
Magnanimo haud impar fratri, paria arma coruſcat.
Aut ego, ait, ſpoliis hodie lætabor opimis,
Aut magno fortem cecidiſſe ſub hoſte juvabit.

Hæc ſecum. Hîc Caius ſublati pondere ferri
Talia volventem magno ſub pectore, ab alto
Occupat: exiliit vinclis malè firma ſolutis
Caſſida, tum verâ apparent ſub imagine vultus.
Heroëm pudet erroris, pudor excitat iram.
At pro fratre lues, inquit, nec plura, ſupremo
Vertice, quâ torti faciunt diſcrimina crines,
Altior aſſurgens, adducto dividit enſe
Et frontem mediam, dentésque, ſupremáque menta.
Hinc, illinc, humeros partes in utroſque recumbunt.
Tum ſocij tanto turbati funere mentem,
Séque, ſuámque ultro maturant dedere puppim.
Continuò victæ rapiuntur roſtra carinæ,
Roſtra ſuperbarum quondam decora alta domorum.
Ecce ſequebatur fugientem Priſcus Iarbam,
Rex Aſiæ procul agnovit: nam candida longè
Fulgorem roſeis Crucibus vela omnia jactant.
Vt raptis ſævit catulis Mauruſia tygris,
Adversâ procul è ſpeculâ, ſi fortè latronem
Proſpicit, horrendùm fremit, & trans flumina, tránſque
Montésque, ſcopulósque hoſtem petit ore cruento:
Haud alia eſt Caii facies, ſic ardua ſaltu
Præcipitans tabulata tenet; ſonuêre ſub armis
Tranſtra, foríque omnes longè, mox talia rupit.
Non hîc, Priſce, dolis locus eſt, nec fraudibus uſus;
Nec puer hoſtis adeſt. Nunc, nunc morere. Atque ita fatus,
Igneus ingenti molitus turbine telum
Conjicit; haſta fremens clypei tranſverberat orbem,
Et tenui tandem perſtrinxit vulnere corpus.
At juvenis, pulcher cui vultum accenderat ardor,
Talia pacato ſubridens reddidit ore.
Nec mortem horremus, vitæ melioris origo
Chriſtiadis illa eſt, & cælo pergimus. At tu
Vltrices miſer ad furias, ad monſtra tremiſce
Tartarea. Hæc fatus, præfixum cuſpide robur
Torquet agens, fremit haſta volans, ſcutóque repulſa;
Atque iter obliquans, alieno vulnere cædit
Armigerum Caii Thorilam, ſervánsque tenorem,
Antimachum, Chriſti ſanctas qui transfuga partes
Liquerat: actutùm vaginâ deripit enſem,

Enſem

Enſem fulmineum : paribus ſurrexerat armis
Caïus : Heroas longo certamine dura
Sors exercebat. Namque is fortiſſimus inter
Chriſtiadas, virtute omni pugnabat, & arte.
Paulatim tamen exhauſtæ per vulnera vires
Deficiunt juvenem : multo jam ſanguine fuſo
Molliùs obſiſtit pugnando, & molliùs inſtat.
Ecce ſub inſidiis tales latitabat in uſus
Graius Abas, ſortémque, & mollia tempora captans,
Licinij vaſtam invadit circùm undique puppim.
Nequicquam contis illi depellere certant,
Aut arma expediunt : lupulos, pontésque reductos
Et jacit, & jactis victor ſuperadſtitit hoſtis.
Fit ſtrepitus, duro gemitus ſub marte cadentum
Clareſcit, revocant Caium diſcrimina tanta.
Vix retulit greſſus, animo cùm linquitur audax
Priſcus ; eum famuli excipiunt, ſtratisque reponunt.
At furiis amens Caius, ſuccenſus & irâ,
Ereptúmque ſibi Priſcum indignatus, Abantem
Occupat, & primo trajecit vulnere : fortes
Non ea Chriſtiadas mors terruit, altior intus
Vis agitat Chriſti memores. Cadit acer in armis
Orphitus, atque olim formâ pulcherrimus Auron :
Perculit illum haſtâ Princeps, hunc enſe peremit.
Addit Atim, Thamarímque, & ovantem marte Pelorum;
Chriſtiadas omnes, & Abantem in bella ſecutos.
Fumantes jam Phœbus equos tingebat Ibero
Gurgite, & adverſo ſurgens nox æmula Gange,
Involvit tenebris claſſes, pugnásque diremit.

LIBER TERTIVS.

ARGVMENTVM.

CLASSIS LICINIANÆ CLADES.

Licinij intra Bizantium obſidio.

ARGVMENTVM EXPLICATIVS.

Eâ nocte, quæ prælium ſecuta eſt, Chryſis mirâ peripetiâ incidit in Phædrum procum ſuum. Quî autem & quomodo inciderit, narratur libro decimo. Eâdem nocte Dæmonum Princeps Senatum convocans, de Chriſtianâ claſſe perdendâ deliberat. Deus O. M. Michaëlem cælo mittit, qui Dæmonum impetus coërceat. Hic ventis tempeſtatem contra Impios imperat. Dæmones ipſos ad montem, qui nunc S. Michaëli dicatus eſt, religatos affigit. Summo mane uterque exercitus, Chriſtianorum, & Impiorum, ad prælium ſe parat. Fœdâ tempeſtate perit claſſis profana. Licinius Byzantium appellit, quem Conſtantinus obſidet.

NOTÆ.

I. Poteſt aliquis fortaſſe hic conqueri victoriam iſtam Heroi meo eripi, & in machinam refundi. Verùm graviter peccatum eſſet à me, qui Chriſto, & Chriſtianæ Religioni hoc Poëma dicatum eſſe volui; ſi quod re ipsâ Religioni debetur, ſubducerem prævaricator. Deinde iſto prælio non continetur rerum ſumma, ſed eſt tantùm velut antecellio quædam ad plenam, ſolidámque victoriam. Tempeſtatem autem illam divinitus immiſſam docet Euſebius *in vita*, & Zozymus *Libro II.* illam cladem à tempeſtate ortam narrat.

II. De uſtuaria nave, Conſule præfationem, *numero quinto*.

III. Epiſodium Chryſidis, & Phædri inceptum, Lib. I. continuatur hic, & abſolvetur libris. X. & XI.

IV. Conſtantinus S. Michaëli addictus, ei Eccleſiam Conſtantinopoli dedicat appellatam *Michaelium*. Zozomenus *Lib. II. cap. II.*

OCEANO tacitâ pariter cùm nocte jugales
Extulerat Phœbe, mediúmque tenebat Olympum:
Aëra per liquidum diffuſo lumine pontus
Splendebat, placidi referebant ſidera fluctus:
Cùm vigilum Princeps Chriſto dilectus Eraſtes

Allabi

Allabi puppim, & propiùs ſuccedere ſenſit.
Illa ſuis exuta armis, velísque, & utrumque
Remigio nudata latus, clavóque revulſo
Debilis, ac proræ informis mucrone reciſo,
Nunc huc accipitem, nunc ſe motabat, & illuc.
Non ſecus ac molles nervos, cui frigidus humor
Occipite ex alto, pituitâ oblimat inerti:
Artifices non ille manus, non brachia flectat
Languida, nec teneris firmet veſtigia plantis.
Mollibus in ſtratis huc tantùm verſat, & illuc
Corpus iners, cursúmque optat per inania vota.
Hypſipylum, ſibi quem primis jam Phædrus ab annis
Legerat in comitem, fortis præmittit Eraſtes.
Vade, ait, & cæcæ explora quæ puppis in alvo
Inſidiæ, quæ fraus, quæ belli furta parentur.
Ille ſecat tacitus ſuſpenſis æquora tonſis
Paulatim obrepens: magnam tum fervidus haſtam
Corripit, & toto connixus corpore torquet.
Aëra per medium haſta volat, teretémque recepta
Figitur in malum, tremuit ſub vulnere pinus.
Sed neque tum quiſquam caput extulit: Ergo parari
Credidit Hypſipylus malè cautæ incendia claſſi.
Fertur enim (priſcis ad nos ea didita ſeclis
Fama venit) piceâ, lentóque bitumine, & uſti
Pulvere querceti, nec non & ſulphure, quondam
Armari ſolitas non ullo milite pinus.
Atque ubi diverſis veniens à partibus Eurus
Ingrueret, tædas addi, mediásque per undas
Claſſibus immitti. Magno mox turbine vortex
Flammeus exundans altis nunc puppibus inſtat,
Ilia nunc lambit, nunc regnat corpore toto.
Non hæc ſumma mali, ventis ſcelerata per æquor
Acta lues, totis cladem navalibus infert:
Collucent portus flammis, pontóque ſub ipſo
Fumidus exeſas claſſes depaſcitur æſtus.
Id metuens, tantique memor diſcriminis ibat
Cautior, atque animum partes verſabat in omnes
Hypſipylus: tandem pontes, atque alta fororum
Tranſtra tenet ſuperans, oculósque per omnia ducit.
Continuò rerum facies inopina tuentem

Occupat : horrebant, viſu mirabile, ſævis
Omnia funeribus : coſtas perruperat illi
Haſta tremens, vitámque ipſis in fontibus haurit.
Huic enſis caput abſtulerat, ſine nomine truncus
Porrigitur, ſeséque in multo ſanguine fœdat.
Fregerat huic vacuas emiſſa ſagitta per auras
Guttur, adhuc calido ſingultant ſanguine fauces.
Tot leti facies inter, pulcherrima virgo
Exanimem gremio juvenem complexa fovebat.
Purpureis undant cirri per colla capillis :
Ex humeris pendet lunatis cornibus arcus :
Nuda manus cubito tenus, atque evincta cothurno
Armatam cultúque refert, habitúque Dianam.
Continuò Hypſipylus, quem necdum lumine Chriſtus
Sparſerat. In genua, ô comites ! in vota, precésque.
En Dea, certa Dea eſt, celeres quæ lapſa per auras,
Has repetit læſo vindex pro Numine pœnas.
Obſtupuit viſu in medio, magnâque Deorum
Relligione humilis, ferrum, dextrámque repreſſit.
Virginis at poſtquam lacrymas, gremióque refuſum
Aſpexit juvenem, non uno vulnere victum.
At non hæc caſtæ ſtudia, inquit, & arma Dianæ,
Sed rapido alipedem cuſu prævertere cervum,
Spumantémve aprum, magnúmve domare leonem.
Tum magis id viſum, propior cùm multa querentem
Audiit, & tales promentem pectore curas.
Heu ! quem ego te, Phædre, accipio ? Tu Chryſidis illa
Spésque, animúsque tuæ ? Nempe hæc jurata fides eſt ?
Scilicet huc recidit Phædrus ? Veſtróne pudore,
An noſtro Superi vitio ? Quid inania jacto ?
Invidêre olli, puduit cæleſtia vinci
Corpora, & hos ægrè thalamos, tædásque tulêre.
Solvo metu Superos : at tu, Proſerpina, vósque
Eſte boni Manes. Fatur dum talia virgo,
Singultu tenuem includunt ſuſpiria vocem.
Rurſus ait, primo via cùm laxata dolori eſt.
Quid dubitas, Chryſis, Phædro moriente ? Licebat
Hæc ſperaſſe olim. Nunc, nunc, morere. Impia fata,
Atque Deos, Regémque, patrémque ulciſſere ferro.
Culpabunt illi facinus, ſed Phædrus amabit.

O Phæ

O! Phædre, ô! Graiûm, ô! hominum pulcherrime, Phædre!
Hanc animam expecta, quæ te comitetur euntem.
Talibus orabat virgo, gladiúmque vibrabat
Certa mori. Interea Hypſipylus cognôrat amicum,
Chryſidáque externo cultu, formâque latentem.
Ah! quid agis, virgo, exclamat, dextrámque furentis
Suſtinet. Illa nihil fari, ſed torva tuendo
Extricare manum, vitámque abrumpere certat.
Hypſipylus contra. Ah! Chryſis, quid vis tibi? Phædrus
Id vetat, & fatis melioribus imperat uti.
Necdum etiam fortè occubuit, quem funere merges
Morte tuâ: neque enim ille tibi velit eſſe ſuperſtes.
Talia dum memorat, juveni thoraca reſolvit,
Inſigníque caput galeâ detexit amicum:
Continuò ingeminans compellat nomine, Phædre,
Ah! Phædre, haud iſto licitum tibi cardine rerum
Oppetere. En tua te Chryſis, pulcherrima Chryſis,
Crudelem vocat: Ingratus, qui linquere ſolam
Tela inter media, & ſævi diſcrimina ponti
Nil dubitas. Iuveni, poſtquam lucem hauſit, & auras,
Cor tenui micuit pulſu; tum languida feſſus
Lumina recludens, trepidâque in virgine fixus,
Laſſa iterum preſſit. Viſu conterrita Chryſis
Deficit, ægra coit circùm præcordia ſanguis;
Pallida languenti cecidêre in corpore membra.
Tanta animum, & teneros hauſerunt gaudia ſenſus,
Funeris hîc gemini perculſus imagine mentem
Hypſipylus, curas illi partitur, & iſti.
At gemitus inter crebros, ſuſpiriáque alta,
Hos Phædrus mœſto fundebat pectore queſtus,
(Scilicet & lacrymas, vocémque, atque ora notârat
Chryſidis; Elyſiis tum ſe cum virgine campis
Credidit errantem: ex æquo præcordia turbant
Mors, & amor; magno mors tandem ceſſit amori)
Ergóne veniſti? Neque te per dura locorum
Pœnituit carpſiſſe viam, per triſtia Phædrum
Fata ſequens, animæ Chryſis pars optima noſtræ.
Hîc noſtrum, quoniam licitum eſt, moderemur amorem:
Hîc neque ſe mediam nobis dabit improba patrum
Invidia. Hæc ubi dicta dedit, ſuperante dolore

Conticuit, triſti mox integrat ore querelas.
Feliçes luci, felix & flumine ripa,
Colles innocui, inſontes in vallibus Vmbræ,
Accipite has animas, longâque exolvite curâ.
Cúmque alia ex aliis, interque ſilentia queſtus
Alternans, nullum faceret finemque, modúmque:
Parte aliâ excuſſo mœrens torpore doleret
Chryſis inexpletùm; ſocios incumbere remis
Iuſſit, & in portum Hypſipylus deducere puppim:
Fas ubi ſcitari, quæ ſors tam cæca latentes
Per rerum eventus, inopinos junxit amantes.
Interea patuêre fores Acherontis avari:
Vndique Tartareos Proceres Dis arbiter Orci
(Chriſtiadæ Satanam Iudæo nomine dicunt)
Convocat: In mediis ſolio ſedet arduus igneo,
Ferrea ſceptra manu quatiens, torvâque verendus
Majeſtate, truci circumſpicit omnia viſu.
Stant circùm, flammis ardentia corpora, fratres,
Concilium triſte, horrendum; ſic intonat ille.
Ergo parum eſt cecidiſſe polo? Iam terra negatur
Cælicolis quondam: quæque eſt ſors peſſima rerum,
Exilium in votis, & ſunt in præmia pœnæ.
Cùm tamen interea Cælum, Titaniáque Aſtra
Invectus, noſtris ſucceſſerit advena regnis:
Cui tardi torpent ſenſus, terrenáque membra
Mentem habetant. At nos, quibus eſt cæleſtis origo,
Et vigor æthereus, ſeniique, & corporis exſors,
Pellimur, & lucem contra ſpectare vetamur.
Quid veteres loquimur palmas? quid inania quondam
Nomina? quid victos populos, gentésque ſubactas?
Frangimur, & fractis cælo, terráque carendum eſt.
Et torpent animi, & languent in prælia? Necdum
Cum populis urbes, necdum cum claſſibus undæ
Bello ardent? Nulli liceat ſperare ſalutem.
Quòd ſi Chriſtiadæ, ſi gens inviſa perire
Sola nequit, ſuper & Caianas addite gentes.
Námque quid expectem, dum nos Iudæa propago
Omnibus exturbet regnis? Ite, omnia fundo
Vertite; & hæc noſtræ ſunto ſolatia cladis,
Extremos periiſſe. Hæc fatus, vertice flammeo

Annuit

Annuit, & totum ſceptro concuſſit Avernum.
Concepêre nefas cuncti, flammasque, odiúmque;
Et ſubitò portis latè bipatentibus, omnes
Proſiliunt. Quâcunque via eſt, tum ſulphure tetro
Auræ halant, campíque ardent, terræque tremiſcunt:
Ipſa ſibi natura timet, causásque timoris
Neſcit, & ignotis trepidârunt omnia cauſis.
Verùm aliter viſum Superis: nam maximus orbis
Regnator, cæli ſupremam arceſſit in aulam
Rectorem aligeræ gentis, cui prælia nutu
Sancta datum regere, & rebus componere pacem,
Vade, ait, ô Michaël! ſtygios compeſce latrones,
Incute vim pelago, ſceleratásque obrue claſſes.
Labitur ille polo, ventósque, & nubila tranans
Eoüm ad litus demittitur, unde rubenti
Purpureis invectus equis ſe gurgite Titan
Tollit, & auratâ colluſtrat lampade terras.
Illic, vt perhibent, cælo caput ardua cautes
Erigit: immani ſubter diſcedit hiatu,
Et vaſtas aperit fauces ſub rupibus antrum.
Per varios illuc magnas obeuntia terras
Conſpirant alia ex aliis ſpelæa meatus.
Quare Aſiæ terras ſubter, qui plurimus errat
Halitus, indignans illâ ſe mole teneri,
Circùm clauſtra diu luctatus ſaxea, demum
Huc ruit, & totum rapidus ſe effundit in æquor,
Sunt aditus alij centum, ſunt oſtia centum,
Fervidus unde fremens terras, atque aëra perflet,
Spumantémque imo convolvat Nerea ponto.
Eoâ plus caute tamen non ulla voragō
Aut tonat, aut plures vaſto vomit ore tumultus,
Aligerûm Princeps, Patris mandata ſecutus
Huc ſubiit; celeresque invaſit talibus Euros.
Vos, ô! quos animis Deus, & vegeto imbuit igne,
Vos, quibus aërij tractus, pelagíque profundi
Imperium eſt, ſummi præcepta faceſſite Regis.
Æquore Threïcio, roſeos vt candida currus
Aurora extulerit, diverſis partibus orbis
Incurrent in ſeſe, & duro marte coibunt
Chriſtiadæ cælo dilecti, & dedita Regi

Gens

Gens ſtygio, ac paribus venient in prælia telis.
Vos hæc bella vocant: facto ſimul agmine, ponto
Ingruite, atque fretis ſceleratam mergite gentem.
Dixit, & alta petens, cæli ſe in Templa receptat.
Sint licèt expertes vitæ ſenſûsque, capeſſunt.
Iuſſa tamen Superûm venti: fas eſt quoque brutæ
Telluri, docilem monitis cæleſtibus eſſe.
Vndique conveniunt, quos cæco carcere frænant
Tartarici montes, quos Tauri celſa coercent
Culmina, & ante alios Eurus, quo flante peruſti
Æthiopésque, Indíque calent, Serésque tepeſcunt.
Præludunt animis, ſtimulántque in prælia vires
Obnixi in ſeſe: rauco gemuêre cavernæ
Sub pedibus ſonitu, longè tremit horrida tellus.
Litore Neuſtriaco pendentibus altera ſaxis
Stat rupes, quantùm ſublimi vertice ſummas
Tollitur in nubes, tantùm ſub tartara tendit:
Inque diem circùm Euripus torrentibus undis
Bis ruit, & torto rapidus fremit æquore vortex.
Montem Relligio Michaëli addixit, & omnes
Latè per populos mirâ pietate ſacravit.
Aligerûm huc Princeps rapido per inane volatu
Tendit iter, ventóque, & fulminis ocior alis
Præcipitans, fratrum vocat agmina, & iſta profatur.
Ætherei Proceres, quibus olim credita belli
Cura, ſalúsque hominum, ſummi mandata Parentis
Accipite. Ante polo quàm Sol exegerit umbram,
Huc prædatores ſtygios, gentémque profanam
Cogite, & in nudâ religatos ſtringite rupe.
Imprimis labor eſt, gentis deprendere fraudes,
Et ſtudia, & mores, implexásque artibus artes.
Námque alij cæcâ Veneris dulcedine captos
Pertentant hominum ſenſus, lentísque flagrantes
Ignibus, in turpem miſeros egêre favillam.
Ecce alij vacuas mentes popularibus auris
Ceu folles inflant, hinc Reges ille ſuperbus
Provocat: hic auro patriam malè vendidit, emit
Ille: ruunt paribus ſtudiis in crimina fortes.
Tempore quanquam iſto, paucos vel Roma, vel ingens
Illa Babel, magnísve tenent in mœnibus urbes.

Tot populis ſatis eſt unus, quos crimine multo
Iampridem domitos, facili moderetur habenâ.
Verùm Chriſtiadæ Paulo, vel Spiridioni,
Aut aliis, quos ardenti virtutis amore
Accendit pietas, legio non ſufficit: uni
Inſtructis acies centum legionibus inſtant.
Et nunc ſollicitos habet, atque inſueta rudentes
Solus, inermis, egens, vaſtæ deſerta peragrans
Thebaïdos, ſenióque tremens Ægyptius Heros.
Præterea primos gentis, firmiſſima corda,
Tartareus Rector ventura in prælia miſit,
Quos capere ante juvat, validisque inhibere lupatis.
Dixerat: atque olli ſubitò, populósque per omnes
Effuſi, Zephyris ſimiles, nimbóque feruntur.
Cælicolæ magni, quibus hæc miracula rerum
Edere conceſſum eſt, ſoli memorare poteſtis,
Quæ vincire queant animos, quæ vincula mentes;
Dicite, & hæc noſtros portenta docete nepotes.
Plurimus in ſeſe multâ vi cogitur aër:
Mox etiam tenui denſatam corpore molem,
Tractari facilem, pingíque coloribus aptam
Accipit: in varias tum ducitur arte figuras,
In pecudum vultus, horrendáque terga ferarum.
Hæc ſtygij fratres penetrant in corpora juſſi,
Cæcáque ſtringuntur miſeri per vincula, pérque
Cælicolûm imperia, & frænos addentia verba.
Centauros alij ſubeunt, aliique Chimæras,
Ancipitésque gradu Sphingas, Scyllásque biformes;
Et quæcunque olim timuerunt monſtra profani.
Ergo, quâ libitum, magnâ vi corpora trudunt
Cælicolæ, atque trahunt, retrahúntque, ac denique fiſtunt;
Quæ ſtygij pariter fratres momenta ſequuntur.
Interea medium curſu trajecerat axem
Vmbra ruens, & adhuc lucebant aurea cælo
Sidera; cùm miles nautam tranquilla per alta
Sollicitans, pulſu clypeorum provocat hoſtem.
Tantus amor laudis, tanta eſt inſania ferri.
Omnes Graiugenæ portu conſiſtere juſſi,
Atque omnes Franci, & medij qui litora pontî
Celta tenet: reliquæ veniunt in prælia gentes.

Auſoniæ

Auſoniæ ſubeunt puppes, puppésque Britannæ,
Hiſpanæque, atque Armorico de litore Gallæ.
Italâ Quintilius Fabio de ſanguine Lenas
Agmina, centenâ rapit alta per æquora pinu.
Præ reliquis bello duri, ſortisque prioris
Romulidæ necdum immemores in bella feruntur.
Flos juvenum, imprimis pubes Romana, ter octo
It ratibus volitans, auróque, oſtróque decora.
Exinde Ionio quos pontus verberat æſtu
Arporum genus, & Romano ſanguine vicus
Nobilis, & rapidâ reſtagnans Aufidus undâ.
Nec non Auſoniis ſtatio bene fida carinis
Brunduſium, inque Aſiæ populos, Arabásque, Syrósque,
Et ditem Nilo Ægyptum data porta Latinis.
Qui liquidum potant Sybarim, lenémque Galeſum,
Et Laium, atque Cratim Ionium, ſocia agmina jungunt,
Altáque quos biferi miſerunt mœnia Pæſti,
Et Veliæ ſinus. Hos Bruti, Conſentia terris
Interior, gentíſque caput Campetia Tempſa,
Pandoſis, atque Acheron miſerè vitata Tyranno
Nomina Chaonio, paribus comitantur in armis.
Hos Graiâ populos olim tellure profectos
Graius ductat Achor bis quinâ in bella triremi:
Haud minùs ille tamen ſacris abolere venena
Carminibus felix, citharæve intendere nervos.
Námque ferunt, ſed vana ferunt de more profani,
Cùm juvenis quondam ſilvis erraret opacis,
Occurriſſe loci genium, talique loquelâ
Aggreſſum. Miſerum in vulgus, latéque per agros,
Ingenti cum ſtrage luem ſævire queruntur
Cum populis Proceres, caſtâ cum virgine ſancti
Pontifices, vanísque onerant altaria votis.
Ipſe tibi morbi cauſas, artémque levandi
Expediam. Extremæ tundunt quà litora fluctus
Auſoniæ, informi graſſatur araneus ore.
Non ille artifici filis nitentia fila
Intexens ſtudio, ſuſpendit in aëre caſſes:
Obſcura in latebris ponit tentoria, & inde
Exultim ingrediens, admorſis dente maligno
Inſinuat membris peſtem: brumalibus horis

Innocuus

Innocuus, vitæque inſons impunè vagatur.
At cùm pulvereo tellus incanduit æſtu,
Tum demum furit, illi tum malè creditur, ingens
Tum læſis ſopita ligat membra omnia torpor.
Genua labant, lentus capiti ſopor incubat atrâ
Nocte ſuper: peſti ceſsêre Machaonis artes,
Herbarúmque poteſtates, virésque medendi.
Quare age, quandoquidem Coo ſubnixa magiſtro
Spes omnis cecidit, Muſarum accingere cantus.
Principio ſolare ægram teſtudine mentem,
Paulatim obrepens in ſenſus: mox quoque vocum,
Nervorúmque omni tetram diſcrimine peſtem
Cominus oppugna, membrisque age tetra venena:
Ipſe adero, digitósque regam, citharámque movebo.
Dixit, & in medios ſaltus, umbrásque receſſit.
Non ego tranſiero Bajas, ubi flumina manant
Deliciis, molles ubi pendent arbore ſomni,
Et vacuas blandè impellunt inſomnia mentes,
Otiáque in tremulis ſpatiantur inertia ſilvis.
Parthenopen tacitam nemo ſub nocte ſilenti
Tranſeat: hinc Cicero, vox orbis publica, venit
Ad roſtra, & faſces: hìc ſacris Muſa Maronem
Inſtituit, finxitque animum, & felice beavit
Ingenij venâ, totúmque Helicona recluſit.
Non placidas tamen illa adeo tractabilis artes
Excolit, aut tacitis indulget languida curis:
Nempe animis etiam exarſit, pubémque repentè,
Divite quà felix languet Campania luxu,
Puppibus in denis Tullo rectore coëgit.
Sacrilegæ quondam pietatis Hetruria princeps
(Seu magicas vitâ functos revocare per artes,
Seu lituo cælum deſcribere, & omina pennæ
Præpetis uſus erat, rebus ſentire gerendis)
It mare præruptum, triplicíque in prælia portu
Fertur ovans: illis patrio cognomine Tyrrhus
Et præit, atque decem rapit alta per æquora proris.
At ſuperæ Regnator aquæ, portu Hadria binas
Promovet, in geminâ concurrunt puppe Ravennæ.
Imperij limes Rubicon (ad litora parvi
Inclinare aquilas Rubiconis, & arma jubebat

Ponere Majeſtas urbis) tum fluctibus altùm
Intumuit, veteres mittens in prælia Bojos.
Ter denas, hominum pauper licèt, ire triremes
Æratas, fœtásque armis Hiſpania juſſit.
Barcino ter binas, Carthago quattuor, octo
Tarteſſus, reliquas Ithaco fundata tyranno:
Patricio ductore ruunt in bella Creonte.
Ipſa etiam triplici poſcebat prælia cornu
Trinacria; intento pugnat Meſſana Peloro,
Eque Syracoſio belli gens docta Pachino,
Atque Segeſtanæ Lilybæo vertice gentes.
Se comitem dedit Herculei quæ nomine Sardi
Inſula lætatur, cui ſe vicina Therapne
Adjungit ſociam, bis quinâ, ſanguine Grajus
Pygmalion pinu rapidos in bella vocabat.
At medios inter ferrugine clarus Iberâ
Quintilius, pictâ in puppi, pulchróque juventæ
Lumine conſpicitur: ſtudiis quem pacis amœnæ
Erudiit puerum Pallas, crudelia deinde
Arma inter, fremitus & equûm, ſonitúsque tubarum
Eductum, dedit in laudis ſpatia ampla decoræ.
Fama fuit, primis cùm jam pubeſceret annis,
Dilectum Vraniæ: Sancti pulcherrima cœtûs
Nympha, alto puerum ſtellata per atria ductum
Paulatim aſſuevit cælo, & fulgentibus aſtris.
Quin etiam ventorum animas, quo cardine mundi
Præcipitent, quantos tollant ad ſidera fluctus
Noverat, & longo cæli perviderat uſu.
Illos quin etiam ſolers in raſile buxum
Collegit, vitreísque adeo ſpecularibus omnes
Aptos in ſeſe, juſtâ ſtatiòne recepit.
Hic quoniam cælúmque ſuum, & ſua ſidera nôrat,
Nec minùs, obſcuris vultum cùm nubibus Arctos
Conderet, æquatis ſulcabat navibus æquor:
Magnanimos inter cepit crebreſcere rumor
Chriſtiadas, illum in magicas incumbere fraudes.
Ergo Flaviade coram ſecreta reſolvit
Talibus ingrediens, pendet narrantis ab ore
Flavius, ingeniúmque viri miratur, & artem.
Imprimis opifex operis, pede figitur uno

Circinus

Circinus in planum, pes circumducitur alter,
Dum capita in ſeſe coëant, orbisque peractus
Certa ſui, ligno in lævi, veſtigia linquat:
Quem paribus ſpatiis ſecto via limite duplex
Quattuor in partes ſecuit diſcrimine juſto.
Auroræ populos, Solisque orientis amores
Prima refert: habet Heſperios pars altera: ſeptem
Tertia Hyperboreum ſuppoſta Trionibus Iſtrum:
Exſucco cecidit rerum pars ultima Mauro.
Nomina tum pono ventis, & lege perenni
Quâ regnet quis parte, quibus dominetur in oris
Edico, Nabathæa ut regna vaporet odoris
Aſpirans animis Eurus: felicibus afflet
Heſperios auris Zephyrus: glacietur ab Arcto
Vt Boreas, Notus oppoſitâ regione tepeſcat.
Quin etiam ſocios illis latera ardua circum
Addixi, officiis lætos, comitésque laborum.
E medio, centrum Graî dixêre, ſuperne
Tollitur in conum decreſcens aurea cuſpis:
Quam ſuper æquato libratur corpore, longa
Tenuis acus ferri, tremuloque examine nutat:
Donec ad egelidos uſque inclinata Triones
Hæreat, optatóque poli potiatur amore.
Illicis affrictu occultum magnetis amorem
Hunc trahit; haud illam vitæ, & rationis egentem
Arguerit vulgus; quæ quâ regione vagentur,
Quóve, atque unde fremant venti, rimatur, & illos
Ducit in apricum, & proprio de nomine ſignat.
Hanc igitur patriâ in Melphi quæſiverat artem
Quintilius, quem nunc regalis frena carinæ
Tractantem, accenſis facibus, maria omnia circùm,
Ordinibus longis puppes, claſsésque ſequuntur.
Verùm ubi Quintilius Mauro congreſſus Iarbæ
Occidit, ars omnis velut indignata ſub umbras
Victa fugit, donec tandem labentibus annis,
Feſſam ævo placuit demum cùm ſurgere Melphim;
Extulit os iterum, veterique è rudere frontem
Expediens, populis ſeſe permiſit habendam.
Vibiſci centum ratibus micuêre per undas
Bitturiges; centum Veneti gens priſca, parénsque

Adriaci quondam populi, Conſtantia denis
Caſtra, Rothi totidem Iovis haud ignobile caſtrum.
Hi Cadomum, veteres Cadmum dixêre, ſequuntur,
A quo clara venit Cadomææ gloria gentis.
Quin Geſſoriaco ſolvêre ingentia centum
Nomina, Centauri, Priſtes, magnæque Chimæræ,
Et Phyſeteres longæ, atque immania Cete:
Quæ Morinos in bella acres, fortésque Menapos,
Pollentésque maris rapiunt in bella Batavos.
Illos Deppus agit, Deppæ qui nomina fecit.
Morum, animique Helena, & vitæ ſanctiſſima Princeps
Fœmina, diviſos triplici ſub gente Britannos
Inſtituit nato, claſsémque coëgit in unam:
Quos agit ardentes pulchris Evardus in armis.
Prætéritâ cùm luce ferox pugnaverit omni
Militiâ Caius, nunc rurſus pugnat eiſdem
Puppibus: ingenti magnum cui dedecus irâ
Heſternum, ſtimulos alto ſub pectore vertit.
Arduus ingentem triplici Tritona fatigat
Inſiſtens verſu, in verſum vada cærula centum
Sollicitant dextræ, ſpumant circùm æquora latè.
Non abies malo quæſita, nec ardua pinus
Cretica: ſed cedrus, ſummo quæ vertice celſas
Aërio nubes, ævo quæ ſæcula vincat,
Centum opus annorum, Tyrios incocta colores
Vela, intendebant peregrino ſune rudentes.
Obvius huic, mole ingentem, formâque timendam
Flavius impellit priſtim: Crux aurea latè
Fulgurat in prorâ, & tenues diverberat auras.
Puppe ſub extremâ tutelam inſignit in auro
Argumentum ingens: ſtellatum terga draconem,
Nexantémque artus, longæque volumina caudæ,
Calce premit victor Chriſtus: nec non Cruce ſummâ
In frontem ferit, illisúmque exturbat in undas.
Ipſe autem dextrâ minitans haſtile coruſcat,
Et lævâ clypei fatalem ſuſtinet orbem.
Iam pubes armata foros complêrat, & omnes
In pugnam verſis proræ mucronibus ibant:
Eoo cùm fœda ruens à cardine Mundi
Eripuit nubes, ſubducto lumine, Solem.

Fulgura

Fulgura denſantur, cælum tonat omne fragore:
Exitium pariter, pontúsque, aërque minantur.
Continuò obvertunt proras, & litora remis
Nota petunt: ſanctæ portus dabat obvia claſſi
Brachia in amplexum, lætámque in tuta vocabat.
Non tibi ſic licitum, Caî, te ſævus ab æthrâ
Præcipitans Eurus terris procul omnibus arcet.
Incaſsùm contra luctantur, & obvia peſti
Pectora connixi tentant opponere nautæ.
Scilicet ingenti tonitru inter nubila fulmen
Principium cladi latè dedit: occidit ille
Ante alios magicâ quondam celeberimus arte
Germanus Pholoi Phegeus, ſcelerúmque miniſter.
Tartareæ neque enim vires, neque crimina cuiquam,
Circæve acies infenſo Numine proſint.
Accepêre acies omen, variúsque per omnes
Rumor iit longè populos. Námque impius ille,
Et magico cælum lituo, ſtellatáque templa
Partitus, ſtygiâ ſignabat ſub imagine, Divos
Sæpe vocans: ſeu quos cæcus Phlegetonte ſub imo
Orcus habet; ſeu quos pontus, terræque verentur:
Accumlátque preces demens, veſanáque votis
Carmina nequidquam: Aligerûm nam maximus, illos
Neuſtriacæ ſummo religârat vertice rupis.
Nec minùs ille tamen Proceres, pubémque ſuorum
Compellabat ovans. Nunc quæ ſint Numina vera,
Quis Deus æthereo regnet dominator in axe,
Fulminâque, & ventos, & ſectâ Gorgone torvam
Ægida concutiat, dabitur reſcire poteſtas:
Flaviadas hæc monſtra petunt. Dum talibus orat,
Chriſtiadæ ſacris operati ritè Miniſtri,
Maternus Vates, & cum ſeniore Marino
Rheticius, ſanctis placabant æthera votis.
Ætherei Rex ſumme poli, ſpes una tuorum
Chriſte, piis ſævos averte à puppibus ignes.
Atque hic Maternus, concepto numine major,
Flagrantésque ardens oculos: Vos, fulgura, dixit,
Vos animoſi Euri, tempeſtatésque ſonoræ,
Præcipitate gradum, ſtygiam ſubvertite claſſem:
In flammam, in cineres eat. Hæc ubi dicta, repentè

Fulgura

Fulgura fulguribus ſuper ingeminántque, ruúntque:
Omni parte tonat cælum, furit ignibus aër,
Æſtuat vnda, fretis ſpumat ſtridentibus æquor.
Bis quinquaginta puppes de claſſe ſceleſtâ,
Lectæ omnes (quid enim bello contendis inani
In Superos mortale genus?) ſub vindice Chriſto
Dant latè pœnas: ponto triſtiſſima rerum
Exoritur facies: hominum crudelia clamor
Nequidquam aſtra vocat. Letum undique, & undique letũ.
Iámque videbantur ſenſim miteſcere nimbi,
Paulatimque maris ſævi languere tumultus:
Ecce recrudeſcunt: Mundi ſub vertice, denſam
In nubem, viſu miſerabile, cogitur aër,
Et vaſto in putei faciem diſcedit hiatu.
Hinc nigrâ primùm ſeſe caligine fumus
Rumpere, mox etiam densâ criſpare favillâ:
Tum rapidam in pluviam toto deſcendere cælo
Flamma vorax, claſsémque atro populari er igne.
Caïus hic imo gemitus de pectore tollens,
Talibus orabat. Nam quo te crimine tanto,
Iupiter omnipotens; aut te, Regnator aquarum,
Appetij, Neptune pater; Communibus armis
Quem patiter pontique æſtu, cælique ruinâ,
Et paribus ſtudiis ambo delere paratis?
Defuit at veſtris non unquam maxima templis
Victima, nec noſtris caruêre altaria votis.
Talibus ille quidem vexabat inania Divos
Numina, cùm piceas viſus tranſcurrere nubes
Fervidus ore Draco; flammis micat ardua cervix,
Igneſcunt oculorum orbes, furit ignea criſta,
Per medium ignitæ ſtridunt clangoribus alæ
Æthera, ſcintillat pennis rorantibus aër.
Ah! monſtrum obſcœnâ facie, ter protinus igne
Abſumpſit denas puppes, quot fumeus ille
Sulphureo puteus vibrans ſuccenderat igne.
Centum alias, trepidæ irato quæ gurgite nabant,
Invasêre acres, & jam per mutua Cauri
Vulnera collidunt. Ruptis compagibus omnes
Diſſultant crepitu horrendo, fremit omne tumultu
Circùm æquor, torto mox illæ in vortice, fundo

Præcipitant

Præcipitant, tantùm ſpumat ſuper unda reductis
Fluctibus, obruitur pariter cum milite nauta.
Vix claſſe è tantâ fuerant cui nulla ferendæ
Non pridem maria, aſſertæ ſtridentibus undis
Bis denæ puppes, tantóque ex hoſte receptæ.
Quin etiam numero è parvo, ter quattuor ultro
Suppliciter pacem dextrâ, pacem ore petebant.
Vnica te, Licini, tanto è diſcrimine lapſum,
Et pavidum, & tanto fugientem gurgite vectat.
At Byzantinas, quæ circùm cinxerat arces
Chriſtiadûm claſſis, tutum matura recedens
In portum, muros quà Boſphorus alluit undâ;
Amoto vacuos cuſtode reliquerat. Huc, huc
Licinius, Schedio inclamat, converte carinam,
Quò fortuna vocat: melius ſperare quid ultra
Iam liceat? procul en arcent à litore fluctus.
Iámque furens animis lectâ cum pube ſuorum
Huc aderit Conſtantiades. Mandata faceſſit,
Applicuítque ratem Schedius: Caium excipit ultro
Iphicrates, rerúmque illi permittit habenas.
Ecce autem centum lectas ex agmine pinus
Flaviades, necdum tranquilla per alta, trahebat
Inſtans Licinio: ſpumat ſub remige pontus,
Implent vela noti, toto volat æquore claſſis.
Interea patriis recipit ſe rupibus Eurus,
Succedit lenis Zephyrus, qui mollibus auris
Cæca ſerenato detergens nubila cælo,
Inducit nitidos Soles, & temperat undas.
Cæruleos inter fluctus, diſcrimine nullo,
Fluctuat Eoo quidquid Nabathæus, & Indus
Litore miratur, nec non pulcherrima rerum
Sidoniæ quæcunque vehunt trans æquora puppes.
Omnigenæ hic leti facies, hîc omnia mortis
Ora horrent: pars humenti ſternuntur arenâ,
Pars in ſaxa ruunt: inhoneſto hic vulnere nares,
Auribus hic raptis populatus tempora, ſparſum
Huic capite effoſſo cerebrum diſpergitur undis,
Totáque viſceribus ruptis natat æquore turba.
Flaviades cælo vultus, rorantiáque ora
Suſtulit, effunditque preces, & talia fatur.

Scis

Scis, Genitor, non eſſe mihi crudelia cordi
Bella, nec effuſo lætantes ſánguine rixas.
Res tua, res agitur, tua ſunt hæc prælia, Chriſte.
Tartareos Tu prædones, Orcíque ſuperbum
Regnatorem, olim primâ ſub origine mundi,
Præcipitem cælo, ter circùm Acheronte coërces:
Tu quoque nunc Caium ſcelerato marte tuentem
Res ſtygias, terrâ victum, pontóque fatigas.
Ecce illum fidentem animis, vanoque tumentem
Imperio, & vaſtis frænantem claſſibus æquor
Circumagis, totóque facis ludibria ponto.
Vt volucri ſtipulam gyro, cava litora circùm
Torquet agens turbo, & ſparſam per inane volutat.
Dixerat, & curas hominum, bellíque labores
Nox exorta, ſimul ſomno mergebat, & umbris.

LIBER QVARTVS.

ARGVMENTVM.

CONSTANTINI CONSILIVM DE MVTANDA ſede Imperij, Licinij artes magicæ, & in Chriſtianos crudelitas.

ARGVMENTVM EXPLICATIVS.

Michaël, cæleſtis nuncius, Conſtantinum admonet per ſomnum, ut ſedem Imperij Romani Byzantium transferat. Eidem manè in augurium Imperij maritimi, Piſcatores, Tritonum numeroſam familiam captam offerunt. Licinius in urbem Byzantinam receptus, populo donarium facit; tum conſulit per Necyomantiam Diocletianum. Magus, quò illum in Chriſtianos acuat, nequiter optimos quoſque Romanorum excitat, & eos ornat inſigniter, qui Chriſtianos perſecuti fuiſſent. Tandem prodit Diocletianus, qui fauſta omnia pollicitus, graviter conqueritur de Beroë, & Chriſtianis, qui lateant in civitate. De expiatione Mortuorum interrogat Magum Licinius, cui Pythagoræ doctrinam eâ de re ille exponit. Beroë materno è ſinu rapitur ad ſupplicium: Archidamas Epiſcopus, qui ſub perſonâ Medici hactenus latuerat, eam proſecutus ad buſtum, quis ſit, populum edocet, & crudelitatis, ac impietatis profanos increpans, flammis cum Virgine deſtinatur. Ecce Orpheus, procus ille Beroës, oſtento divino ad fidem Chriſtianam ſummo virginis gaudio converſus, cum illâ in rogum ab Impiis injicitur. Triumpho inſigni Martyres in cœlum invehuntur.

NOTÆ.

I. Byzantium Europæ atque Aſiæ fibula dicitur. Gill. *in Conſtantinopol.*

II. Conſtantinopolim tranſlatum eſſe Imperium monitu divino teſtantur multi, ut Sozomenus, *Lib. II. C. II.*

III. Chalcedon, Vrbs cæcorum dicta; quia in delectu loci, quo civitatem ædificarent, peſſimum ſelegerunt, neglectâ opportunitate, quam Byzantini deinde occupârunt.

IV. De tritonibus, & Sirenibus, ſcripſêre plurimi: nos ſecuti ſumus hiſtoriam Societat. Ieſu, *Tom. II.*

V. Euſebius. *Lib. II. vitæ Conſtant.* docet Licinium magiæ fuiſſe deditiſſimum. *& Lib. IX.*

Hiſtoria meminit Theotechni, quem ait omnium malorum, & diſſidij inter Imperatores auctorem.

VI. Perſecutiones in Chriſtianos novem hic recenſentur. Prima à Neronе; Secunda à Domitiano; Tertia à Trajano; Quarta ab Adriano; Quinta ab Antonino Philoſopho; Sexta à Severo; Septima à Decio; Octava à Diocletiano; Nona à Licinio.

VII. Mirum videri non debet Chriſtianos unà cum Beroë Virgine in ædibus Eriſtæ patris illius virginis ipſo inſcio congregaros; cùm in ſuperiori tabulato palatij Diocletiani, ſimul cum S. Sebaſtiano, Chriſtiani etiam Synaxes celebrarent, ut refert Surius in vitâ Sancti Sebaſtiani.

QVà medias tenui terras diſcriminat undâ
Boſphorus, Europam atque Aſiam, velut aurea morſu
Fibula, committit Byzanti Regia Thracis:
Tunc belli caput, innumeris mox arcibus aucta,
Auguſtam Regina tulit ſuper æthera frontem.
Nam Conſtantiadæ quondam, dum mollia ſomnum
Strata ſuper caperet, ſummo demiſſus Olympo
Aſtitit Aligerum Princeps, & talibus infit.
Chriſtiadûm Rector, Flavi, qui tempora ponit
Vrbibus Omnipotens, & certo terminat ævo:
Vlteriùs ſedem Imperij, bellique potentem
Eſſe vetat Romam. Mentem huc adverte, docebo,
Auſpiciis ſe quanta olim nova tollet ad auras
Roma tuis, quanto veterem ſuperabit honore.
Hæc ait, atque ſimul conſpectum objecit in unum
Vrbem amplam: non qualis erat Byzantia quondam:
Sed qualem ſe deinde ipſo rectore ferebat,
Immenſam, ingentem, centúmque patentia portis
Mœnia, marmoreos circos, atque alta theatra,
Templáque, magnanimûmque aurata palatia Regum.
Aſpicis, ut triplex illam latus ambit, & æquor
Vt cuneus, cæcisque habitatam ſpectet ad urbem.
Thrax habet oppoſitum latus, & quæ maxima longo
Occiduum tractu fundit ſe Europa per orbem.
Quod geminum ſupereſt, hinc illinc æquore Nereus
Cingit, & immenſo circùm ſe gurgite fundit.
Molliter illa quidem per ſeptem ſurgere colles
Gaudet, & in morem ſcenæ, faciémque theatri
Tecta, domósque omnes ultro ſpectantibus offert.
Clauditur ad Boream portu, quo tutior uſquam
Nullus erit, totidémque capax comprendere puppes.
Nam quà ſeſe altâ veniens à Colchide rumpit
Fluctus, & ad cornu, murósque illiditur urbis,
Vnda ſinum facit, & pelago ſilet alta profundo.

Protegit

Protegit inde Syce, Galatham dixêre minores,
Hinc ſeptemgeminis tutantur collibus arces.
Proſpice nunc & opes varias, populósque frequentes:
Pontus Hyperboreo devexus ab uſque Trione
Secum infert rigidum Dacam, Moſchúmque ferocem:
Invehit & Scythiæ villos, ſpolia ampla ferarum,
Et liquidos mellis rivos, & Cerea dona,
Veliferas puppes, atque omnis robora ſilvæ,
Triticeásque adeò meſſes, pinguémque ferinam.
Æquore ab Ægæo, tenuique Propontide farra
Felicis ſubeunt Libyæ, laticésque Lyæi,
Quos Rhodus, & Graii fuderunt vertice colles.
Illa ſinu varias gentes complexa capaci
Divitibus fovet in mammis. Hic Graia propago,
Hic Perſa indomitus bello, hic Eoüs, & Indus,
Effrænésque Arabes, pharetratus & Incola Nili,
Ævum inter ſeſe nullo diſcrimine ducunt.
Tot quondam cecidêre urbes, Priameïa Troja,
Et pulchræ ſtudiis florentes pacis Athenæ,
Et centum portis Thebæ, & Lacedæmonis arces,
Afráque Carthago, geminíque ſuperba Corinthus
Imperio maris, & venerandæ Templa Sionis.
Nonne vides Romæ veteris (dum talia fatur,
Principis in ſeros animum converterat annos)
Vt miſerè jacet effœtum, atque informe cadaver.
Fatorum nihil una vices, nil Martia tela,
Armáve Vulcani metuet tua Roma, tuúmque
Nobilitans, æterna feret trans ſæcula nomen.
Sæpe dabit quamvis bello devicta ruinam,
Et ſæpe in cineres ibit ſuperante favillâ:
Æternùm ſtabit tamen, atque à funere major
Aſſurget. Rebus talem opportuna gerendis
Dat legem natura loci: ſic Arbiter orbis
Annuit, æternique locat fundamina regni.
Et dubitabis adhuc ſceleratâ excedere Româ?
Poſtquam Flaviades excuſſit pectore ſomnos,
Imperat in quartam lucem tormenta parari
Bellica, cum tectis pluteos, cúmque ariete mures,
Et terebras, quibus obſeſſam diverberet urbem.
Interea miles curvis it navibus alta

In caſtra, & lætis ſocios rumoribus implet.
Ecce autem piſcator Halys cum pube ſuorum
Se Conſtantiadæ ſiſti clamoribus inſtant.
Poſtquam in conſpectu ſteterant: Regum optime, ſalve,
Oceani cape dona libens, felicia belli
Omina. Continuò plenis turgentia filis
Retia ſubducunt: nitentes corpore toto
Implicitam maculis ingenti pondere prædam
In latos ſtatuêre foros: memorabile dictu!
Tritonum numeroſa domus, matrésque, virique,
Et pueri, & juvenes ſuſi, ratis alta tremiſcunt
Strata ſuper, vanisque optant aſſultibus undas.
Obſtupuêre animis Proceres, tantum inſtar ineſſe
Piſcibus, humanæque pares ſuccedere formæ.
Mirantur latos humeros, mirantur & ingens,
Imperióque caput dignum, barbámque virili
Majeſtate gravem, mammásque in pectore matrum.
Languebant ponto extorres, ægramque trahebant
Cælo animam, ſortem quando miſeratus iniquam
Imperat actutùm tranquilla ſub alta remitti
Flaviades. Patrio vix æquore reddita turba eſt:
Non illi fugere, aut trepido capite ire ſub undas;
Sed longos petere amplexus, & in oſcula totos
Se dare. Quin etiam Triton de murice ſaxi,
Ad numeros concham pulmonibus inflat, & altum
Venturo inſtituit Vates Pæana triumpho.
Carmine quo Zephyris vires cecidêre, marisque
Solliciti poſuit tumor omnis, & aurea Phœbe
Aëra per medium diffuſo lumine riſit.
Lætior hinc aliis animi vis incidit; ergo
Purpureum tremuli choreâ ſalière per æquor,
Nunc inter ſeſe manibus per mutua nexis
Orbibus implicuêre orbes, rursúmque ſoluti,
Et ſoli ſecum micuêre: modò impetus illos
Egit in adverſos, trepidantiáque agmina vertit.
Nunc quoque ſancitam ſtatuerunt fœdere pacem;
Mox tranquilla dato ſubierunt æquora plauſu.
Hic Conſtantiades palmas ad ſidera tollens:
Oceani, cælique Parens, ait, optime rerum,
Et ſolus Sator, accipio, & ſequor omina tanta.

At Caius muros intra, mediâque receptus
Vrbe, ſuam preſſit cladem, cædémque ſuorum
Diſſimulans, docet auxilio mox affore, totâ,
Quàm longa eſt, Aſiâ; fortique à Perſide gentes.
Quin etiam veluti ſupereſſet copia, vulgus
In pavidum, Bacchi & Cereris donaria fecit.
Lætitiâ exultant cives, feſtámque per urbem
Publica poſtremis ineunt convivia menſis.
Talibus intentum, prono cùm Phœbus Olympo
Ítet præcipitans, Pholoüs Theotechnia proles
Alloquitur (Pholoüm tellus Memphitica, Regum
Inter pyramidas, magicas ſcelerata per artes
Erudiit, talésque excivit Caius in uſus)
Romulidûm Ductor, votis expoſcere fata
Nunc licitum tandem, precibúsque ambire Deorum
Colloquia. En vocat opperiens te Regia cæli
Omnis, & à primâ deductus origine Cæſar:
Ante alios petit & Diocles, tua maxima cura.
Non ego te longâ Sacrorum ambage morabor,
Cæſarúmve extis pecudum: námque hoſtia major
Iam cecidit, fusóque inſperſit ſanguine flammas.
Solus honos thuris ſupereſt, ac vota, precésque.
Ingredere ô! Divósque inter conſueſce videri.
Aulaï in medio foculis balantibus aræ
Tres ſteterant: blando mediam Rex Iupiter ore
Inſiſtit, dextram Iuno Regina, ſiniſtram
Heroës: pendent lychni laquearibus aureis,
Et rutilâ vincunt tenebras funalia luce.
Poſtquam introgreſſi, plenis adolentur acerris
Thura, onerátque adeo votis altaria Princeps.
O Divûm pater! ô hominum, rerúmque repertor!
Túque Iovis ſoror, & conjux; vos Diïque, Deæque,
In Reges quibus imperium, vitæque poteſtas:
Non ego canitiem Pylio, viridísque ſenectæ
Invideo robur; non auri dives, & acer
Militiâ, imperiis populos frænare ſuperbis,
Aut tenero vitâ functas in flore juventæ,
In tædas revocare nurus uxorius optem.
Hæc mihi votorum ſumma, hoc caput. Impia quando
Bella ciet, veſtrósque furor Iudæus honores

Polluit

Polluit, atque amens inhoneſtæ inſignia mortis,
Informis dirum leti genus intulit aris:
Sit mihi fas tantum flammis abolere furorem.
Túque, ô Romulidûm Diocles ſanctiſſime! ſi quid
Prima mihi quondam ſub te tolerata magiſtro
Militia, & priſcâ mores pietate merentur:
Da pater augurium, & præſenti numine firma.
Hic tibi templa reus voti, hîc altaria ponam:
Hic feſtos agitare dies, hæc litora ludis
In laudes, nomenque tuum celebrare juvabit.
Barbarico interea Pholoüs ſubmurmurat ore
Iſidáque Inachiam, & camuris in cornibus Apim,
Et quæ multa Deûm veneratur monſtra Canopus.
Finierat, magico nequaquam carmine circùm
Intremere, aut cæco tellus mugire tumultu:
Obſcœnæ facies nullæ, non Scylla biformis,
Nulláque Gorgonidum, flammisve armata Chimæra,
Vt ſolitum, ſtygios trepido cùm murmure Manes
Theſſale ſollicitans invitos evocat Orco.
Nunc etenim ætherea labi mentitur ab arce,
Officióque Magus Superos certare priores.
Poſtquam igitur mollis converſo cardine portam
Impulit, atque aulam Zephyrus complevit odore;
Continuò foribus ſacros attollere vultus
Vir trabeâ incinctus: maturo crudus in ævo
Inceſſu Superûm graditur, ſceptróque ſuperbus
Se dedit ante aras manifeſtâ in luce coruſcum.
Suſpicit, & tacito gaudet ſub pectore Caius.
Cernis (ait Vates) urbis qui mœnia victor
Augurio locat, æternæ per mutua pacis
Fœdera, qui nexos populúmque, Equitésque, Patrésque
Imperium in magnum dedit. Hunc quoque reſpice, limen
Qui ſubiit, caput incanus, venerandáque menta.
Veſte nitet purâ, lituum pia dextera geſtat,
Læva Sibyllinos inſcripta volumina verſus.
Hic nempe, hic nobis ille eſt, pietatis origo
Romulæ, Divûm Interpres, Princépsque Sacrorum:
Quem cæli vocat in partem, ſortémque Deorum
Iupiter, atque ſuo ſublimem inſignit honore.
Quos habitu, cultúque pares incedere cernis

Antiquæ

Antiquæ decus ætatis, ſpeciménque futuræ,
Roma vetus coluit; veteres coluêre Latini.
Hic Italûm aſpernatus opes, auríque talenta,
Innocuam dapibus menſam cumulabat inemptis,
Et patrio gaudebat olus condire ſaligno.
A ſtivâ, quam fortè alter torquebat, in urbem
Aſcitus, dextrâ glebas quà fregerat ante,
Dura Sabinorum tundebat colla: ſuperbos
Poſtquam autem Reges celſa ad Capitolia victor
Traxerat, ipſe ſuo ſe iterum reddebat agello,
Exercens patrios victrici vomere campos.
Aſpice, vt Imperij retinens Torquatus, & auræ
Curtius æthereæ juvenis contemptor, & ultro
Pro patriâ Decij fortes occumbere leto,
Accepêre Deûm læti ſuper æthera vitas.
Hic tibi cunctator Fabius, vultúque minaci
Regulus Afrorum terror: duo fulmina belli
Scipiadæ coram ſubeunt, geminique Catones.
Iulius Imperii pater ut lætetur honore
Contemplator, aït. Summo quem gloria regni
Inclyta ſubductum fatis donavit Olympo.
Marmoreæ auctorem Romæ, patrémque ruentis
Mirator patriæ, totum qui junior armis
Edomuit terrarum orbem, ſanctisque ſubactum
Imperiis, ævo maturus fœdere junxit.
Purpureâ circùm radiatus tempora luce
Ingreditur Nero; cui multo baccata monili
Frontem circùm ambit laurus, crinémque coërcet,
Gemma gravem telis pharetram, minióque rubentem
Ex humeris, leni ſuſpendit in ilia flexu:
Arcus habet lævam, molitur dextra ſagittas,
Mollia Puniceis evinctus crura cothurnis
It Phœbo ſimilis. Cultu gradientis, & ore,
Et rutilo Caius capitur diademate frontis.
Nec minùs interea tacito ſub corde, Neronis
Magnanimum puduit. Cui Vates. Hunc licet, inquit,
Squallentem vitiis, Divûm pater, atque hominum Rex
Aſtra ſuper vocat, & primo dignatur honore,
Prima quòd in Chriſtum pro magnis moverit arma
Numinibus. Qui lucis apex in vertice ſummo

Et

Et radiis micat in rutilis ſacra tempora circùm,
Æterni laus eſt longè pulcherrima cæli.
Felicis decus hoc ævi, vitæque beatæ
Munus habet paucos: ſoli meruêre Deorum
Vltores, qui Chriſtiadas, gentémque profanam
Turpibus exiliis, & ſævâ morte necârunt.
Haud aliam nempe ob cauſam, de gente feroci
Hic ſubit indutus magnæ Tritonidis arma,
Haſtámque, clypeúmque atris ſerpentibus aptum,
Caſſidáque & tremulas nutanti vertice criſtas.
En tibi Trajanus, cui nec pietate, nec armis
Prætulerim Heroûm quemquam: barbâque verendus
Ælius immiſsâ: hic arces, faſtúmque Sionis
Contudit, & proprio victam de nomine dixit.
Antoninus adeſt, quo non prudentior alter:
Imperij ſalve, magnum decus, optimus armis,
Et major pietate: Tibi ceſsêre Lycea,
Cecropiíque horti, & clamoſo porticus æſtu.
Altior ingreditur, noménque, animúmque Severus:
Excipit hunc Decius: Decium qui deinde ſecutus
Suppliciis Chriſtum meritis exercuit: omnes
Dilecti Superis, cælique in templa recepti.
Dum loquor, en Diocles; viden' ut de vertice lumen
Fundit, & Heroas longè ſupereminet omnes.
Protinus in roſeâ gemmarum luce coruſcus
Ille ſubit limen; quali ſe veſte ferebat,
Cùm mortalis adhuc Divûm affectaret honores.
Caïus extemplò genibus dare brachia circùm
Ibat, & Heroëm precibus ſuperare ſuperbum.
Ille procul. Parce, ah! propiùs contingere; mole
Corporis exutum luteâ, cœlóque receptum
Attrectare nefas. Aderit mox tempus, & iſtinc
Chriſtiadûm victor, ſpoliísque decorus opimis
Divûm inter cætus, cœli ſupera alta tenebis.
Verùm age! quid noſtris pendes altaribus, & me
Huc revocas? Scis ipſe: Deos nil fallimus (inquit)
Ipſe vides quanto latè turbante tumultu
Relligio Divûm miſcetur; ut omnia peſſum
Det ſcelus, & retro pietas ſublapſa feratur.
Ah! quantùm eſt olim curæ, quantúmque laboris

Exhauſtum

Exhauſtum tibi nequicquam: cùm perdere gentem
Sacrilegam pius incumbis: me cura remordet
Nunc eadem fruſtra; fuſo nam ſanguine peſtis
Illa capit vires, & per ſua funera creſcit.
His ſuper ille Helenæ furtivo ſanguine cretus
Inſtantes acuit, ſtimulisque in prælia cogit,
Et victâ Superûm ſpondet de gente trophæa.
Quod te per Superos oro, per amabile cæli
Lumen, & à ſummo lapſantem culmine Romam:
Res Italas, fuerit Superis ſi certa voluntas,
Vſque adeo obterere, & ſceleri concedere faſces:
Quid moror in terris? quid votis ſurda laceſſo
Fata? quid ingratus mavortia provoco bella?
Sin verò, ut fama eſt, fuerit Rex Iupiter idem
Omnibus, haud nobis languent præſentia bello
Pectora, ſunt animi, validæque in prælia vires.
Arriſit Diocles dicenti, & talibus infit.
Hi Superis animi placuêre; & grandior ille
Spiritus, æternum meritis affectat Olympum.
Macte eſto: reliquis facies quæ plurima bellis
Pérque Aſiam, pérque Europam, tibi cum magnis Diis
Omnis in arma ruet ſummo gens addita cælo.
Verùm age, túne Deos ultra patiaris inultos?
Et vivat Beroë? & Chriſti gens impia regnet?
Dixit, & ex oculis abiit ceu fumus in auras.
Licinio tacitam pertentant plurima mentem.
Ecce tuis faciles votis, ſanctiſſime Regum,
Accedunt Superi, Vates adjecit, & exin
Narrat uti Beroë Virgo defecit. At ille:
Lumine cùm primo Titan afflaverit orbem,
Sacrilegam flammis Beroën abolere memento.
Verùm age, non etenim iſta tuus te celat Oſiris.
Æthereus ſi tam paucos excepit Olympus
Terrarum indigetes; quò tam numeroſa receſſit
Turba Ducum? quibus aut Mundi verſatur in oris?
Novi equidem, retulit Pholoüs, nec fata, Deúsve
Enarrare vetant. Quondam hæc dictavit Apollo
Pythagoræ; hic ſocios; ſocij docuêre Sophiſtas
Vſque tyanneium. Phœbo gratiſſimus iſte
Erudiit per magna meos myſteria patres.

Vividus ille animi, qui noſtra in pectora labens
Corpus agit vigor, & tot ſe in miracula rerum
Explicat, æthereâ nobis demittitur arce.
Nam paribus ſtellæ ſpatiis, quæ ſe æthere in alto,
Et picturatâ cæli teſtudine librant,
Diffiliunt in ſcintillas, fluxúque beato
Vitales ſpatia effundunt per inania flammas.
Quas fandi artifices, animas dixêre vocando.
Ergo anima è cælo ſeptem dum lapſa planetas
Tranat, ab his varios trahit arida corpore ſuccos,
Triſtitiámque, odiúmque, & vanæ gaudia mentis,
Qualiter affuſos omni bibit ore liquores
Spongia, rorantique tumet circùm ebria fonte.
Poſtquam autem genitali arvo natura receptum
Semen in humanæ digeſſit munia vitæ:
Ecce anima inſinuat ſeſe, penitúsque recepta
Materiam ſubigit, propriosque informat in uſus.
Vt membris tandem robur venit, ilicet hauſtus
Ille vagas inter ſtellas micat impetus, omnis
Impatiensque moræ, trepidantem huc verſat & illuc:
Hinc metus, inde ſibi nimiùm ſpes credula, amórque,
Atque odium, atque dolor, mentique inimica voluptas.
Illam autem, tantos mollis frænare furores
Si negat, & duris rabidos inhibere lupatis:
Nequitiæ in pœnam, patrio ſuccedere cælo
Iuſta negat Nemeſis, ſtimulisque exercet acerbis:
Dum labis purus, cæleſtisque integer ævi
Spiritus, æthereas notus redit hoſpes ad arces.
Quòd ſi forte velis, quibus hæc contagia pœnis,
Suppliciisque luant miſeri, cognoſcere, dicam.
Incertos animi, morum queis non tenor unus,
Nec ratio vitæ conſtat, Supera alta tenentes
In tranſverſa rapit Lunæ globus, inque tenebris
Implicitos cœcis, altâque voragine verſat.
Nam quas in Lunâ maculas dixêre, receſſus
Sunt vacui rerum, tortisque anfractibus antra:
Quo ſontes animæ pendunt in carcere pœnas.
At quibus eſt furtum cordi, fraudésque clienti
Nectere, mentitæque inhoneſta injuria linguæ;
Mercurius dirè vexat. Quos atra volentes

Corripuit

Corripuit, venisque hærens populata libido est:
Torquet agens Venus, & flammis vitium excoquit omne;
Queis iræ tristes, & ovantes sanguine rixæ,
Insidiæque placent, aut inclementia ferri,
Crudeles sævo malè habet Mars improbus astro.
Majestate reus læsâ, popularis & auræ
Captator, Iove torquentur sub vindice: vitæ
Nulla tamen miseros urget vis dirior atrâ
Saturni bile, & stillantis acoribus astri.
Difficili longùm mœrent hic tabe peresi:
Æterni pariter contemptor Numinis, & qui
Artifici pietate Deûm furatur honores.
Hic Phœbo Phlegyam, hîc irato Penthea Baccho
Novimus, hîcque Iovi dantem Salmonea pœnas.
Christiadæ ante alios, plagis vix crimina ponunt.
Sævitiæ quantùm est, irarum quidquid in astro,
Quidquid atrox, dirúmque illis incumbit, & usque
Percit agens intrò, miserósque sacro igne perurit.
E tot Romulidis, voluit quos sceptra tenere
Iupiter, ut cernis, paucos convexa polorum
Excepêre. Obstant priscæ vestigia fraudis,
Necdum animus, quidquid vitij mortalibus afflat
Hoc ævi, tardóque hebetes in corpore sensus,
Excessit miseris, & adhuc vestigia restant.
Macte esto virtute tamen; nam tramite recto
Certa via est, Reges quæ per compendia ducat.
Nec dixisse semel satis est, iterúmque monebo,
Atque iterum, ferro Christi contunde furorem.
Cùm tenebras cœlo, primâ jam luce fugaret
Orta dies: Christo unigenæ, Patríque supremo
Christiadæ simul unanimes, tectóque sub uno
(Tanta fuit priscæ pietas ætatis, & almæ
Relligionis amor) precibus cœlum omne ciebant:
Capta oculis Beroë virgo, summíque Sacerdos
Numinis Archidamas, qui solâ Hipocratis arte
Per populos notus, pulchrâ nunc fraude latebat,
Præterea Sanctorum aderat castissima turba.
Tectum intra Beroës, atque in penetralibus ipsis
(Prisca fides facto, & sancti meminêre Parentes)
Talia Cælicolûm Rectori vota canebant.

Chriſte, ſalus hominum, mentes, incautáque Veri
Pectora, & indignos cælo miſerare labores.
Ecce illos ſtygiâ deceptos arte, furentis
Rex Erebi miſerè illudit, pérque omnia verſans
Crimina, præcipites ſub triſtia Tartara mittit:
Quos tamen eduro pendens in ſtipite, ſummum
Aſſeris in cælum. Nempe hæc pro ſanguine tanto
Dat Pater! Ecquid erat, cur tu morereris; & iſto
Supplicio? Si nunc pro te Cinyræus Adonis,
Próque tuâ regnet meretrix Cytheræa parente.
Tu longè procul à terris ſublimis in altum
Iampridem evectus; quidni rapis omnia tecum?
Promiſſis quid ſtare vetat? Poſt prælia victor,
Poſt domitam Styga, nunc totum dominare per orbem.
Talibus orabant, magnâ comitante catervâ,
Cùm ſubit Iphicrates, multo cuſtode coronans
Hinc atque inde domum: Sacris jam ritè ſolutis
Chriſtiadæ, foribus cæcis in tuta recedunt,
Et pulchro inviti ſubducunt corpora leto.
Archidamas ſancti paſtor gregis, ædibus unus
Reſtitit, & ſtibio Beroës tingebat ocellos.
Protinus ad pœnas virgo depoſcitur, intus
Fit gemitus, gemitum longè atria ſumma volutant.
Nil Beroës genitor contra, ſeu terruit illum
Impia relligio Divûm, ſeu Principis ira.
Non ita Pauſilipe licèt annis obſita mater,
Sed venit in medios, & tali voce ſecuta eſt.
Téne ego tam longos, per tot faſtidia, menſes
Nata tuli, atque hæc reptanti circùm ubera, mammas
Admovi genitrix; crudelibus ut mea flammis
Viſcera, ſpirantésque artus abſumeret ignis!
Hoc potui mater ſperare? Hoc nata reponis?
Nil ne mei Beroë miſerere, tuíve parentis?
Et nunc ille quidem ſenio, victúsque dolore
Lucem odit, vitæque fugit miſerabilis auras.
Nempe patrem, matrémque necas, tantóque ſuperbis
In ſcelere, & magnâ pietate utrumque trucidas.
Aſpicis ut canis ſparſit rugoſa ſenectus
Tempora, & hæc ſenio moles evicta fatiſcat.
Lapſantem quid ſponte ſuâ, per séque ruentem

Hanc animam malè præcipitas? At nec tuus ille,
Crudelis licèt, ac morum quem rere magiſtrum,
Hoc Chriſtus velit, ille patrum nil jura reſolvit:
Quin etiam ut vereare jubet, ſectâre monentem.
Expecta; dum mors peregat. Te, nata, fruendæ
Non ſpatium vitæ, ſed morti poſcimus: exin
Vtere ſorte tuâ. Luctu dum talia mater
Proſequitur, circùm turba omnis mœret, & ipſa
Gens fera, lictores lacrymas, queſtúsque dedêre.
Tot gemitus inter manet imperterrita virgo,
Nec timet, exitio cujus tam multa timentur.
Subjicit hæc demum, & magno ſic pectore fatur,
O cordi genitrix noſtro chariſſima! quid te,
Méque iſto incendis gemitu? Si pectus amore
Tentatur tibi, cur non & pietate movetur?
Quid matrem obtrudis toties? Quid nomine vano
Oppugnas natam? Eſt vobis matrúmque, patrúmque
Turba ingens; longa eſt ſeries: Eſt omnia nobis
Chriſtus, & in Chriſto cenſetur tota propago.
Iampridem Beroë non eſt tua; me ſibi Chriſtus
Aſſeruit, totóque ſuum me Numine fecit.
Numinis eſt precium Beroë: nec ſidera tanti,
Nec cælum, nec terra fuit. Quòd denique mortem
Objicis, agnoſco matrem, per funera Chriſto
Naſcimur. Intentas ignes? vehar alite flammâ
In cælum, in patriam. Quæ cauſa moratur euntem?
Talia flammato promentem pectore verba
Non tulit ulteriùs ſtygio gens dedita Regi.
Continuò rapitur virgo, magnóque tumultu
Matres atque viri, puerique, & grandior ætas,
Heu! pietas, heu! ſancta fides, invadere certant,
Inſontémque trahunt, retrahúntque: ut ab ubere matris
Hinnuleum rapuêre canes, lacerántque, ferántque.
Linquitur hîc animo genitrix, membrisque ſolutis
Labitur; excipiunt famulæ, ſtratisque reponunt.
Orpheus at poſtquam, Thracum pulcherrimus ille
Orpheus, audierat Beroën ad ſæva repoſci
Supplicia; arma amens capit, atque incenſus amore
Se medium armatos inter, ſanctámque puellam
Objicit; & Sthenelo dextram, quâ fortè prehenſam

Ante

Ante alios ſævus Beroën rapit, enſe recidit:
Archilocho fodit pectus, totámque cohortem
Excitat imprudens, tali quem voce ſecutus
Increpat Iphicrates. Quæ te dementia ſanis
Senſibus evertit, juvenis? quis te furor, Orpheu?
Reſpice téque, tuósque: Cruci, Chriſtóque juventam
Atque Deos amens patrios, ſanctósque parentes
Poſthabuiſſe potes? Cui paucis Orpheus addit.
Vota, Deúsque mihi Beroë: me dedere leto
Iphicrates potis eſt, Beroën ſubducere nemo.
Iam Ducis imperio, juvenem circùm undique miles
Funditur, & vitæ parcunt, & vulnera figunt.
Spes erat Iphicrati, Beroës per triſtia fata
Mollire, inque ſuas juvenem deducere partes.
Ecce autem Archidamas illos comitatur, & artem
Diſſimulans, triſti cùm jam maleſana theatro
Turba propinquaret, rapidísque incendia flammis
Vibraret propiùs, tam magnum dedecus ultra
Non tulit. Heu! quò vos? nam quò furor iſte, decori
Immemores rapit? In pueros, tenerásque puellas
Nil ſævire pudet? Quid veſtra in viſcera, veſtros
In natos ruitis? Natarum in ſanguine dextras
Tingere jam ſanctum eſt, & munus amabile Divis.
Si patris Vnigenam æterni, cœlique potentem,
Et dominum Mundi Chriſtum, Regémque fateri
Eſt ſcelus, & crimen tam ſævâ morte piandum;
Me, me, adſum, leto date. Nil hæc virgo, vel auſa,
Vel ſine me potuit: Chriſti, rerúmque ſacrarum
Interpres, Veneris ritus odiſſe profanos
Auctor ego. Forti promentem talia voce,
Ardentémque animis plebs indignata tuetur.
Actutùm circo in medio, demittitur altè
In terram geminus ſtipes, circùm arida ligna,
Et pinus pingues, & odoriferas cypariſſos
Admovêre: exin ſanctum cum virgine caſtâ
Pontificem, immites per ferrea vincla ligârunt.
Ille prior Chriſto grates, laudésque ferebat.
Chriſte Dei Soboles, Patriſque æterna propago;
De nihilo tenues tu me ſub luminis auras
Eductum, & ſancto informans pietatis amore,

Paſtorem

Paſtorem gregis eſſe tui, populique magiſtrum
Per varios belli caſus, pacisque dediſti.
Quanquam pacis habet nihil, & lacrymabile bellum eſt,
Hoc vitæ quodcunque agimus. Tot prælia nobis,
Quot fluxêre dies; pugnando curritur ætas.
Vincere morte datum eſt, nulli victoria vivo
Ceſſit adhuc. Sic Chriſte vocas ad præmia fortes.
Talia dicentem fumus, flammæque tulerunt.
Hæc oculis Orpheus dum ſingula proſpicit: ecce
Purpureo viſum eſt illi diſcedere cælum
Limite: tergemini mox luce, alisque coruſci
Aligeri accelerant media inter nubila greſſum,
Tergeminásque ferunt ſtudio properante coronas.
At juvenis tantâ perculſus imagine rerum
Et ſtupet, & donis pariter, puerisque movetur.
Hæc tacitus ſecum. Nam quò tria præmia? Nempe
Hic duo ſunt pugiles: ſolus cum virgine ſolâ
Archidamas. Vbi tertius? Hæc dum corde volutat,
Spiritus ille Deus, Patris, Natique voluptas,
Et communis amor, juveni pia viſcera motu
Interior tentat, magnóque inflammat amore.
Ergo illi ſpecies animi vertuntur, & ultro
Se rerum facies aliis inopina figuris
Objicit: actutùm Beroës advolvitur imos
Ante pedes, lacrymisque effuſus talibus orat.
Si quis adhuc veniæ locus! ô ſanctiſſima virgo;
Si qua pij miſeros erga clementia Chriſti
Eſt ſuper, & precibus ſi quando flectitur, illum
Supplicibus ſupera votis, & vince precando.
Magna mihi (fateor) commiſſa piacula, amanti
Ignoſcenda tamen: leviùs peccatur amore.
Nunc quoniam afflavit melior me lumine ſancto
Chriſtus, & obſcuræ deterſit nubila mentis,
Sacrilegos ejuro Deos, ritúsque profanos
Abdico. Tu, quoniam potes, ah! miſerere precantis.
Magna quidem poſcis, retulit ſanctiſſima virgo:
Si ſcelerum tamen, atque ævi te pœnitet acti:
Te Deus excipiet facilis, blandúsque fovebit,
Et quæcunque olim veſtigia crimen inuſſit,
Diluet, ac cæli ſuprema ſede locabit.

Aude

Aude animis, atque hoc quodcunque eſt lucis & auræ
Mortalis, contemne: manet te pura doloris,
Et leti ſummota procul formidine vitâ.
Nonne vides, magnâ ut Chriſtus ſtipante catervâ
Obvius it nobis, ſummóque invitat Olympo?
At populi circùm fuſi veſanâ fremebant:
Sacrilegi pereant, pereat quæ carmine mentes
Senſibus exturbat ſanis, ritúsque Deorum
Polluit, & totam funeſtat cantibus urbem.
Saxa alij, torrésque alij, flammásque ferebant:
Virginis ille caput ſaxo petit, ille præuſto
Stipite tranſadigit coſtas, hic Orphea ſævus
Enſe ferit, revolutum in flammas corpus utrúmque
Ille agit, & tanto cuncti pro crimine gaudent.
O! vanas hominum mentes, & inania Veri
Pectora, & in terras curvatos pondere ſenſus.
Ecce aderat cælo, radiis & luce coruſcans
Æthereâ Chriſtus: medium quem mille ſecuti
Cælicolæ, clarâ circùm cinxére coronâ.
Ille citis ſummo ſubvectus ab axe quadrigis
Orpheáque, & Beroën mundi ſuper ardua tollit.
Ordinibus longis ibant, hinc cælibe vitâ
Florentes, illinc generoſo funere Chriſtum
Teſtati quondam eſſe Deum, cælíque ſuperbum
Regnatorem: illos candenti flore coronant
Lilia, præcingunt iſtis ſacra tempora lauri.
Victrices manibus, bellorum inſignia, palmas
Inclyta utrique ferunt. Etenim par robur utrisque:
Nec virtus minor: hi rabidos fregêre tyrannos,
Illecebras illi Veneris, blandúmque furorem.
Pompa novem diſtincta choris, hoc ordine prodit:
Primi læva tenent, ſacro qui flumine loti
Mortem obiêre priùs, molli quàm pectore flammas
Conciperent: quibus Aligerûm chorus ultimus ultro
It comes, & lætum pueris gratatur honorem.
Dextra tenent puri, quos impius abſtulit enſis,
Infantes, Stygiúsque furor mactavit ad aras:
Illos Aligerûm chorus alter & ambit, & ultro
Geſtit ovans, tantíque optat pars ire trium phi.
Læva tenent iterum, qui non rationis egentes,

Virgineos

Virgineos toto coluerunt tempore mores:
Sortiti Aligeros comites, qui nomine gaudent
Virtutum cælo in ſummo. E regione feruntur
Simplice mercati cæleſtem funere vitam:
Clara Poteſtatum ſeſe turma implicat illis.
Invictis juvenes animis ivêre ſiniſtri,
Quos formâ inſignes fruſtra meretricius olim
Sollicitavit amor: ſociis lætantur ovantes
Principibus, patrio Superi ſic nomine dicunt.
Ad dextram incedunt, duro qui prælia marte
Relligione ſuper Chriſti, mortémque tulêre:
Aligeros nacti ſocios, quos ſumma poteſtas
Eſſe iubet rerum dominos, Dominosque vocari.
Exinde à lævâ veniunt, qui ritè jugati
Virginibus quondam, cunctis memorabile ſæclis,
Haud unquam commune tamen tetigêre cubile.
Turma (Thronos olim Graii dixiſſe feruntur)
Æterno dilecta Patri ſeſe addidit illis.
Oppoſito fortes veniunt ex ordine, qui ſe
Et cum conjugibus natos, totámque furenti
Objecêre domum leto: clariſſimus ille
Euſtachius, fortésque invicto pectore matres.
Illos Cælicolæ, Hebræâ quos voce Cherubos
Novimus, immiſti ſocios ambire videntur.
Poſtremi nec læva tenent, nec dextra: ſed ipſis
Agminibus medij, pulchrè gradiuntur utrâque
Conſpicui laude. Hic incedis, amabilis Agnes,
Luciáque, & triplici gaudens Catharina triumpho.
Hos Seraphim, tali fertur Iudæa vocaſſe
Nomine, complexi medios deducere certant.
Ecce trahebantur manibus poſt terga revinctis,
Torvâ olim facie, nunc triſti fronte, Tyranni
Tandem humiles, gravibus curvati colla catenis
Regia: victorum currus anteîre jubentur.
Præque aliis Nero, tum Domiti furor impius, atque
Cum Deciis Diocles, Romanáque nomina mille:
Suppliciis olim duris, dum vita manebat,
Chriſtiadûm fruſtra conati evertere gentem.
Hic etiam victæ ſimulachrum Mortis inerme
Cernere erat, malè nitentis veſtigia: nec non

Pallentes morbos, Somnúmque, Famémque, Sitúmque.
Triſte ſequebatur lacerís lacrymabile pennis
Tempus, & accenſæ flammis diſcordibus Iræ.
Prædones exin Stygij, fratrum impia turba:
Magnanimi ille Iovis, truculenti hic nomine Martis,
Hic alio ſummos quondam furatus honores
Numinis, illuſit variâ formidine gentes.
Ibas continuò bigis ſublimis in albis
Archidama, triſti modò te gens impia leto
Per flammas dederat; nunc auro, oſtróque decorus
Palmatáque nitens ſcandis capitolia cæli.
Felices volitant animæ circúmque, ſupráque,
A ſtygio quondam quas ille receperat hoſte
Multa docens: illæ memores gratantur, & omni
Officio certant, ſacrum pæana canentes.
Mox rutilâ Chriſtus radiatus tempora luce
Quadrijugo invehitur curru; cui dexter eodem
Orpheus inſedit ſolio, Beroéque ſiniſtrâ:
Liſia queis roſeam, & lauri per mutua junctæ
Cæſariem incingunt, & læto flore coronant.
Portantur manibus palmæ, lux aurea circùm
Funditur, & tenues latè diverberat auras.
Innumeræ Aligerûm turmæ poſtrema coërcent.
Ecce autem aſtriferi patuerunt atria cæli,
Admſique omnes: Letum cum tempore terras,
Et Labor, & Morbi, atque Fames circùm ire jubentur,
Tartareíque etiam fratres, & Crimina mille
Quæ rapidis acuant mortalia pectora curis.

LIBER QVINTVS.

ARGVMENTVM.

BYZANTIVM MORE PRISCO VERBERATVR.

ARGVMENTVM EXPLICATIVS.

Byzantium more priſco verberatur. Variæ irruptiones & eruptiones deſcribuntur. Licinius, dum tumultus eſt in caſtris, lembo trajicit in Aſiam. Conſtantinus ſtatum urbis edocetur. Per cuniculos tentatur civitas. Magus Iphicratis nepotem ludit infelici eventu. Priſcus, qui libro ſecundo graviter à Licinio vulneratus fuerat, baptizatur, & moritur quàm piiſſimè. Grandi miraculo ejus corpus non redigitur in cineres. Cœmeteria & Collegia de curandis mortuorum corporibus inſtituit Conſtantinus, ex Novellâ Iuſtinianâ XLIX.

NOTÆ.

I. Qui Labarum in bello contra Licinium tulit, nuſquam vulneratus eſt, etſi innumeris telis ab adverſariis ex condicto peteretur. Euſeb. *in vita Conſt. Lib. II. & Lib. X. hiſt. cap. ultimo.*

II. Spiridionis factum referunt Niceph. *Lib. VIII. cap. XV. Metaph. die X. Decemb.* Glycas *in Annalib.* & alij.

III. De Tollenone, ſive Sambucâ agit Hieron. *cap. XXV.* & Plutarch. *in vitâ Marcel.*

IV. Timoleon machinam uſtoriam Archimedis imitatur. De ſpeculis uſtoriis Archimedis mentio eſt in iis operibus, quæ illi attribuuntur, & dicuntur externa.

V. Quæ hîc de Ichtio Vrinatore habentur, fidem non ſuperant. Conſule Alexandr. ab Alex. *Lib. II. cap. XXI.* ubi plura habentur exempla, tum ex antiquis monumentis, tum ex novis erutis. Ichtium cùm appellavimus Vrinatorem, alluſimus ad eum, qui majoribus noſtris celeberrimus fuit, dictus *le poiſſon Colas*.

VI. De formatis literis, quæ ab Epiſcopis ſolerent ſcribi, mentio eſt frequens apud Eccleſiaſticos Auctores. Edictum de formulâ illarum à Nicæno Conſilio factum pluribus docet Baronius, *ad ann. Chriſti CCCXXV. n. CLXII.*

VII. Quæ per cylindrum magia deſcribitur, noſtri temporis inventum eſt. Iam totam Europam pervaſit illud Catoptrices miraculum, inventum in hoc Flexienſi Collegio ante XL. annos.

VIII. Stratagema fratrum Moguntì & Iornandis, uſurpatum eſt ab Aragonenſibus, cùm Neapolim Campaniæ ceperunt.

IX. Priſcus hîc ſanctè moritur, qui libro II. vulneratus fuerat à Licinio. Hic eſt Criſpus (Priſcum etiam quidam hiſtorici appellavêre) cujus vitæ integritas tanta fuit, ut non modò Chriſtianus, ſed etiam in Sanctorum numero habitus ſit. Porro ejus, & Fauſtæ hiſtoria, à nobis non nihil immutata eſt, quod Poëtæ magis licitum eſt, quam Hiſtorico: Euſebio, qui in vitâ Conſtantini illius non meminit, ne probrum Conſtantino videretur objicere.

X. Dicitur hîc Priſcus baptizatus paulò ante mortem, quia multis id in more fuit antiquitùs. Euſeb. *Lib. IV. vitæ*, id de ipſo Conſtantino aſſerit, & ſanctus Hyeronymus *in Chron.*

XI. Quòd corpus Priſci non arſerit, non eſt ſupra fidem: Nam Germanici cor minimè arſit, *ex Tacito, & aliis.*

XII. Memini me legere à Conſtantino Collegia pro mortuis ſepeliendis inſtituta. Iuſtinian. *in novella Conſtit. XLIX.* Cujus verba incipiunt. Princeps Conſtantinus rectè excogitatum diſpoſuit, &c. Idem Iuſtinianus rurſus hoc aſſerit *in novella, Conſtitutione de officiis, quæ ſignata eſt numero XLIII. decimæ collationis.*

IAM nitidis invectus equis ſol aureus orbem
Lampade luſtrabat; primo cùm lumine pubẽ
Flaviades jubet armari: cava buccina martẽ
Incendit, totis erumpunt agmina caſtris.
Parte aliâ muro applicuit, propiórque coronans
Claſſis agit turres, urbíque minatur ab alto.
Vndique ſeu terrâ, ſeu quà ſe Boſphorus undâ
Tortus agit, ſtudiis miles certantibus inſtat.
Talibus Auſonios in prælia Varus agebat.
Nunc animis opus, ô ſocij! nunc vertere fundo
Hanc bellorum arcem: hîc victoria vertitur. Atque
Hæc ubi dicta dedit, ſubitâ teſtudine ſummum
Arduus invadens murum, faſtigia prenſat.
Saxa, trabésque ruunt hoſtes, & grandia volvunt
Pondera; quin etiam genus inſuperabile teli,
Et pice torrentes fluvios, & ſulphura viva,
Et liquidos vibrant ignes, flammásque ſequentes.
Igneus it muris rapido cum flumine vortex,
Corripiens latos clypeos, & taurea terga.
Per cæcos aditus, inter thoracas ahenos
Elapſus, tandem ad vivum perſedit inhærens.
Cratibus extemplò fluxit teſtudo ſolutis,
Plurimus hîc miles ſub iniquo funere vitam
Aut dabat, aut ægram miſerè per longa trahebat
Supplicia, heu! ſeros olim malè firmus in annos.
Occidis, Auſonidum fortiſſime: Te tua Vare
Labentem excepit pietas, & ad æthera vexit:
Quondam illi monitu Superûm, ſcelerata tot inter
Prælia, & inſani per tanta pericula martis,
Credita cura fuit Labari. Tu Gallia, vósque
Allobrogum Alpinæ gentes, atque inclyta teſtis
Roma mihi, veſtros olim bellator in agros,
Cùm Labarum inferret, caderent cùm funere crebro,
Multáque miſſilibus circùm confoſſa jacerent
Corpora: ut exultans animis & corpore, mortis
Tot facies inter, vitæ ſecurus ovaret.

Ecce

Ecce alibi fruſtra lapſu convecta rotarum
Vineáque, & plutei; ductúsque ligonibus agger:
Inſtabant Brito Tameſes, Siculúsque Melander:
Brito fodit fruſtra, Siculus fruſtra ariete crebro
Verberat: inſiſtunt ſaxo fundata vetuſto
Mœnia, nec vim ullam accipiunt, nec vulnera dorſo.
In partes abeunt vaſto tormenta fragore,
Diſſiliunt æra, & ferri compago fatiſcit.
Inſuper è muro Thraſeas, cui prima juventus
Veſtibat teneras molli lanugine malas,
Iphicratisque ex fratre nepos. Vos martia nempe
Vulnera, aït, vos fata juvant mavortia, pulchrum eſt
Threïciâ fortes tellure jacere ſepultos.
Talia vociferans, telum contorſit; ab alto
Haſta venit Tameſi, jugulóque infixa pependit.
Ille trahit ferrum, cum ferro vita receſſit:
Iámque aliud Thraſeas nervo ſtridente vibrabat
Telum immane, auræ circùm fremuêre: Melandrum
Occupat, & medium pectus perrupit arundo.
Parte aliâ dum Laodamas reſcindere vallum
Apparat, & terrâ foſſas æquare reductâ:
Deſuper è turri contorta phalarica venit,
Et Iuvenis cerebrum ſociis aſperſit in ora.
Vno illum partu cum Spiridione crearat
Fluminis ad ripam Cretæi Pothnia mater,
Fecerat & geminâ Polemonem prole beatum.
Spiridion hic eſt, cui nec fraus callida fari,
Nec laqueis captare animos, uſúsve maligne
Ex aliis alios verborum implectere nexus:
At pia mens illi puri non indiga Veri.
Concilio in magno, totius partibus orbis
Quod pax excierat, parvæque incluſerat urbi,
Nicæam dixêre olim, fuit ore protervo
Rex logici Tereus ludi; quique arte ſuperbus
Patribus auderet ſanctis illudere: nec jam
Grajugenæ Proceres contra, Procerésque Latini
Sufficiunt; jámque ille amens Pæana canebat.
Cui ſenior Crucis impreſſit mirabile ſignum,
Increpuítque ultro. Si nunc garrire poteſtas,
Experiare licet. Mox illum deficit omnis

Spiritus

Spiritus, & cecidit ventoſæ gloria linguæ.
Triſtior at martis facies, duriſſima belli
Vis ponto incubuit; florem, robúrque juventæ
Flavius hic animis ſævum accendebat in hoſtem.
Ponte ſuperjecto geminæ latera ardua puppis
Componens, illas duro commiſerat ære.
Tollitur ad proram ſublimi machina collo,
Telorum unde ruit genus omne, phalarica, flammæ,
Malleoli, & magno miſſi ſtridore molares.
In muros aries, terebræque vibratur acumen.
Diverſis non una locis, nec diſpare forma
Deſuper incumbens minitatur machina, totis
Viribus hi contra nituntur, & obvia certant
Pectora pectoribus, fraudémque opponere fraudi
Nequidquam: Námque improviſa ruebat ab alto
Machina, & excuſſo de pinnis milite, turmas
Hoſtiles veluti dextrâ mittebat in urbem.
Obſtupuit civis ſummo deſcendere cælo
Armatas acies, timuítque inſtare Deorum
Prælia. Poſtquam autem cecidêre Podarchus & Iphis,
Ante alios primi magnâ qui voce fremebant:
Tum redeunt vires, redit in præcordia virtus.
Huic quoque præſidium peſti, tantæque levamen
Timoleon cladi, Siculâ bonus arte ferebat.
Æthereos nempe ille ignes, Titaniáque aſtra,
Et tortos Solis radios armabat in hoſtes.
Non aliam reus ob culpam, furtúmque Prometheus
Caucaseâ Superis pœnas in rupe pependit.
Timoleon ſummâ in turri, tumulóve, micanti
Objiciens Soli ſpeculum, radiósque flagrantes
Excipit, exceptósque repercutit: inde feruntur
In naves olli, & ſcelerata incendia jactant.
Námque licèt chalybis diversâ in parte recepti
Inſideant, neque divulſis igneſcere fas ſit:
Cùm tamen à ſpeculo ſecum coïêre reflexi,
Attollunt animos, rapiúntque in fomite flammam.
Artibus his malè ſecuram, & nil tale timentem
Timoleon claſſem ſpeculâ ſublimis ab altâ
Occupat. Obſcurum primò dant carbaſa fumum,
Mox etiam ſonitum flammâ crepitante dedêre.

Continuò

Continuò piceas rapidi vapor ignis adhærens
Corripuítque trabes, & toto corpore regnans
In cineres tepido tabulata ſub æquore vertit.
Ergo omnis longè tantis exterrita monſtris
It trepidans claſſis, séque in maria alta receptat.
Ecce autem qui Cæſareos ambibat honores
Ænochares, Chriſtúmque animis infenſus iniquis
Oderat, inſanus turri jactabat ab altâ.
Non pudet accingi telis, non arma minari
Chriſtiadas, quos Furca juvat, quibus in cruce turpi
Pendentem placet eſſe Deum? Vos iſta monebant
Quid deceat, quæ vos maneant exempla; ſonori
Plagarum ſtrepitus, virgæ, ludibria, mortes.
Tractent arma viri, quibus id Rex Iupiter alto
Annuerit cælo, aut belli Tritonia Præſes,
Armorúmve potens Mavors. Inſana frementem
Haud tulit ulteriùs, ſed juſtâ percitus irâ
Flaviades, propiùs quoniam certare poteſtas
Nulla datur, rapuítque arcum, celeresque ſagittas.
Inſonuêre auræ nervo vibrante: furentis
In jugulum veniens veſanæ incluſit arundo
Vocis iter: tremuêre acies utræque, merentem
Expendiſſe Deo exclamant ſub vindice pœnas.
Præcipitat nox interea, coït omnis in unum
Et rerum color, atque coloribus addita forma.
Chriſtiadæ in lucem ſtudium omne, animósque parabant:
Excubias hoſtes, ſortiti nomina, portis
Conſtituunt, & quà tolluntur in aëra turres.
Nec minùs interea Caium, quem mœnibus urbis
Septum caſtra tenent, acuit triſtiſſima cura,
Et rigidos alto ſtimulos ſub pectore vertit.
Antiochi propter muros latiſſima quondam
Regna, illi juvenum legio terdena merebat.
Quos, maris infidi metuens, & ſortis iniquæ
Ante memor, caſus olim ſervabat im omnes:
Si qua viam dederit fortuna, Deúsve ſecundet,
Huc faciles aditus, & mollia tempora captat.
Ergo ubi nox curru medium pulſavit Olympum,
Erumpunt portis Eryphas, Drymiúsque, Dymásque:
Thracum Eryphas Ductor, juvenes quem mille ſecuti

Cultu

Cultu, animísque pares paritérque in bella fremebant.
E Phrygiâ Drymium ſocij comitantur in armis
Quingenti; totidémque Dymam, quos Sarmata miſit.
Amphilocho parent omnes, durísque ſuperbum
Officiis juvenem comitantur in omnia: at illum
Exultantem animo, ſurgentis gloria regni
Incendit, laudúmque immenſo attollit amore.
Pro caſtris, vigilum primi Chorinæus & Vmber,
Quique ſequebantur, ſubito cecidêre tumultu.
Fortè illam longo ducebat carmine noctem
Chriſtiadûm pro more ſacram: Chriſtúmque Sicanor,
Cœlicolásque alios votis, precibúsque vocabat.
Protinus, armorum ſonitus, clangórque tubarum
Quà vocat, emicuit: ſocij comitantur euntem
Omnes Chriſtiadæ, ſacróque in flumine loti.
Inſignem criſtis Erypham, ſagulóque coruſcum
Purpureo, ut dubio noctis ſub lumine legit;
Obvius occurrens, inſano & vana tumenti,
Fulmineam totis intorſit viribus haſtam.
Haſta volans lævæ ſuffigitur acta papillæ,
Et coſtas inter dilapſa in corde tepeſcit.
Hinc Drepanum gladio, jaculo Didymaona cædit;
Inſignem facie Drepanum, Didymaona cultu.
Inſtaurant Proceres bellum Drymiúsque, Dymâsque;
Heliomanta Dymas, Drymius Phaëtonta trucidat:
Implicuêre acies, ſtrictis mucronibus inſtant:
Nunc hos, nunc illos anceps Bellona fatigans
Omnibus exitium truculentâ cæde creabat.
Sanguine rorantem, rapidóque Sicanora marte
Occupat accenſum Amphilochus: Quàm Sole ſub ipſo
Hæc anima occideret meliùs! Tantúmque locutus,
Arduus adducto criſpans haſtile lacerto
Spargit, in obliquum cecidit violentia teli
Vmbonem, vacuísque inſons diſpergitur auris.
Ille refert paucis. Nunc experiare viciſſim,
Quæ ferri momenta mei, quæ pondera dextræ.
Dixit, & in ſtrictum conſurgit fervidus enſem,
Ac ferit: excuſſis ſummâ de caſſide criſtis
In galeam penetrat ferrum, largéque cruorem
Elicit. Ipſi animis obnixi, & viribus uſque

Luctati

Luctari, magnam properant per vulnera mortem.
Diversâ de parte poli, cùm lapsa sagitta
Ignotâ contorta manu, medium aëra tranans,
In femur horrendis Italo stridoribus hæsit.
Succedunt lapso socij, plagámque ferentem
Amphilochum longè clypeis, telísque repellunt.
Interea plenis castrorum excita juventus
It portis, coëunt Gallúsque, acérque Britannus,
Rectorésque Italûm: paulatim cedere campo
Hostis, & in tutum fessas revocare phalanges.
Quingentos nox illa dedit de gente profanâ
Sub Stygâ, quos stimulis in Christum acuebat acerbis
Vana superstitio, primósque in bella movebat.
Bis centum de stirpe piâ transmisit Olympo
Hæc eadem, sacrâ præcinctos tempora lauro.
Sollicitis ea dum studiis per castra geruntur,
Quà silet à bello litus, pontúsque quiescit;
Furtivum molitur iter tranquilla per alta
Licinius. Tales illi quæsitus in usus
Ichtius, arte viam mediis quærebat in undis.
Hic longas æquor subter durare per horas
Assuetus, priùs os summum, narésque supremas
Molliter attrectans, pingui tingebat olivo:
Seu circumfusos latices pinguedo moretur,
Seu magè cognati vertatur in ætheris auram,
Vnde animam tractim pulmo traducat anhelus.
Ergo iter instituit, fundóque receptus in imo
Nunc summâ gradiens vestigia ponit arenâ:
Nunc medios agilis fluctus, atque æquora tranans
Longa carinarum bis sex retinacula cædit.
Leniter, & nullo suplapsæ remige puppes
Paulatim abscedunt, & ponti claustra relaxant.
Quà patuit, tacito per amica silentia lembo
Cæsus erumpens, Phrygiæ penetravit ad urbes.
At Constantiaden major sub corde remordet
Cura, nec in totam patitur requiescere noctem:
Non plagam accipiunt, non per tormenta labascunt
Mœnia, non pelago propiùs consistere fas est:
Ergo animum huc illuc rapit, atque per omnia versat.
Ecce autem Christo fortis qui nomen Aphænus

Iampridem dederat, turri ſe mittit ab altâ,
Cui de nocte vigil fuerat datus: Ille ubi Regem
Coram adiit ſupplex, tales dedit ore loquelas.
Et quis, & unde genus, quâ relligione, quibúsve
In Chriſtum ſtudiis adſim, hæc Regum optime, ſignant.
Talibus orabat dictis; dextrâque ferebat
Nomina Pontificum inſcriptam de more papyrum,
(Formatas olim priſci dixiſſe feruntur)
Dic age, Flaviades inquit, quâ ſpe furit, urbe,
Atque meis ſeptus latè circùm undique telis
Licinius? quæ tanta tenet fiducia rerum?
Ille autem contra. Nequaquam, ut rêre, tenetur
Licinius, tua nec formidat fulmina civis.
Nam tua per noctem vanus dum caſtra laceſſit
Amphilochus, fremitúque armorum territat umbras:
Caïus interea pontum, incautásque biremes
Trajicit erumpens, Aſiæque ad litora tendit.
At nunc quàm tenuis potiundæ viribus urbis
Spes ſupereſt, lux iſta docet, vanique labores,
Queis pelago, terrâve incaſsùm mœnia tentas.
Septimij meminiſſe potes, quem tertia totis
Viribus Imperij ſuffultum, & dira frementem
Nequidquam, longè retrorſum diſtulit æſtas.
Flavius hic rurſum: Cereris quæ copia civi?
Quæ Bacchi? quæ cura penus? quid denique veſcum?
Hoc belli caput eſt, hic cardo vertitur (ille
Rettulit) obſeſſos ea ſola, ac magna fatigat
Cura animi, & variis populum rumoribus implet.
Si qua fides ſit Chriſtiadis, quos magna tuarum
Spes rerum attollit, menſem non ampliùs unum
Creditur in cives Cereris ſatis eſſe, vel undæ.
Addidit & durum Beroës certamen, & Orphei;
Et quas Archidamâ palmas rectore tuliſſent.
Flaviadæ, partes animum dum verſat in omnes
Sollicitus, ſtetit hæc ſententia: Cenchrea mittit
Caſtoriden, qui Cecropiis properaret Athenis,
Celtarum è populis, peditúmque, equitúmque catervas,
Bis denâ numero turmas legione frementes.
Vrbem præterea, rapidus quà deficit undâ
Boſphorus, aggreditur ducto circumdare muro.

Principiò

Principiò foſſam cubitos demittit in octo,
Et totidem latam, vallis atque aggere cingit.
Mœnia tum longo ſtatuens firmiſſima ductu,
Mœnibus & turres velut internodia ponens,
Foſsâ iterum & vallo, muróque opera omnia claudit.
Nec minùs interea totas cuſtodia noctes,
Atque dies, ſortita vices ſtat mœnia circùm.
Francigenas inter juvenes, à litore Rheni
Quos belli comites magno Germania quondam
Miſerat Herrico, præſtanti robore fratres,
Iornandes jaculo bonus, & bonus enſe Moguntus
Fulmineo, paribus ſtudiis in prælia fervent.
Nunc quoque pro caſtris vigiles, de nocte ſilenti
Foſſam ultra, murorum imâ ſub parte, nitere
Exiguum obſervant flammis radiantibus ignem.
Adrepunt tacito fratres pede: jámque propinqui
Applicuêre avidas aures: Cuſtodia noctem
Intus agens, illam vario ſermone trahebat:
Atque aliquis multa exorſus, ſic denique fatur.
Haud procul à turri, curvum quæ proxima pontum
Obſidet, ad denos paſſus, ſi ritè recordor,
Ductus aquæ fuit, Euripis refluentibus, unda
Ad ludos quà ſe inferre, atque referre ſolebat,
Os ſummum hinc illinc tectum eſt: Loca concava ſubter
Dant faciles aditus: ſocij ſermone reponunt
Plurima, ſed rapidi diſcerpunt omnia venti.
Continuò Hectoridæ fratres audita reportant;
Hic Conſtantiadæ: cæcos qui nocte ſequenti
Explorare jubens aditus, aurora priuſquam
Luſtraret terras, fortem cum fratre Moguntum
Advocat. O! Iuvenes, inquit, vos gloria gentis
Franciadûm, quos magnanimo ſub pectore, pulchram
In laudem virtus rapit, ite, & quà Deus altum
Sub terras oſtendit iter, ſuccedite muris.
Tu verò oppoſitas, Cepheu, teſtudine turres
Aggredere (hic Gobriæ non pridem marte peremptо
Succedens Rhodios fortes in bella vocabat)
Hiſpanâ cum gente Creon ſimul ariete muros
Impacto quatiat, Siculus pertentet acutâ
Pygmalion terebrâ, vires his vocibus addit,

Et rapidos primus jaculatur Flavius ignes.
Ecce autem cæcis auſi ſe inferre latebris
Franciadæ, deni tantum ſubiêre ſub antrum.
Námque agger vaſto recidens molimine (longo
Sive ævo ſidit tellus exeſa, caduco
Sive illi, quoniam vadunt per cæca viarum,
Concuſsêre loco lapides, terrámque ſequentem)
Excluſit reliquos aditu, oppreſsitve ruinâ.
Ceptum alij ſectantur iter, quos ſciſſa fefellit
Longiùs abductos via. Dum terrâ ire ſub altâ,
Et caligantes pergunt penetrare receſſus
Obnixi: Pheream interea juvenilibus annis
Florentem, magicâ ludebat fraude Theriſtus.
Mygdonides nondum Phereas ſecurus amorum,
Atque anceps animi, tres uno tempore amabat,
Hypſipylen flavam, & nigrâ cum Doride Rheam,
Italiden Rheam. Iuvenem ergo Theriſtus in altum
Idaliæ Templum, mediâ quod ſtabat in urbe,
Intulit, & magnâ fallebat imagine rerum.
Dira fremens ignota canit, Phlegethonta, Chaósque,
Sphyngásque, Harpyiásque, & barbara nomina mille.
At poſtquam Pherææ ſenſit tremefacta pavere
Pectora, tum chalybe è duro, multóque nitentem
Attritu, teretémque dedit ſpectare cylindrum.
Hæc nullis quæ pura nitet columella figuris,
Hæc, inquit, quales animo, formâque puellas
Diligis, aſpectare dabit. Tum deinde colorum
Confuſam horrendo errore, & nullo ordine telam
Explicat, & certâ ſupra ratione cylindrum
Ritè locans: ecquid Pherea nunc cernis? At ille,
Hypſipylen video, exclamat. Notat ora, oculósque
Atque habitus: diris undat furiata colubris
Cæſaries, formoſa fremunt per colla ceraſtæ.
Horreſcit Phereas. Atqui tua moribus iſtis
Eſt illa Hypſipyle, Vates aït. Eia age Rheam
Aſpice, turriculámque movet. Mox virgo videtur
Cætera qualis erat, ſed turpis nare ſuilla.
En apage, ah! monſtrum, Phereas exclamat. Vt ille
Machinulam movit, lætum formoſa per umbras
Extulit os Doris: comptos de more capillos

Implicuit

Implicuit myrtus, frontémque attonſa coronat:
Siderei flagrant oculi, vultúsque decorâ
Majeſtate nitent. Qualis nocturna per umbras
Luna micans radiis alios ſupereminet ignes.
Protinus exarſit Phereas. Hæc, inquit, amore
Perditus, hæc noſtro Doris debetur amori.
Nondum finierant, quando tellure ſub imâ
Qui rimantur iter Franci, cæcásque pererrant
Ambages, Templum ſubter veſtigia ponunt,
Et tandem Veneris ſacras reperêre per aras
Tectum iter: irrumpunt magno clamore, parati
Quidquid erat flammis, aut duro vincere ferro.
Ergo animis ſtupidi Phereas, ſcelerísque repertor,
Vberibus pacem lacrymis, pacem ore petebant.
Atque adeò Vates, fraudis quem conſcia mordet
Relligio: vos ô! Superi, ſi Numina veſtra,
Si Templa, atque aras vanâ temeravimus arte,
Parcite: cui paucis ſtricto mucrone, furénsque
Iornandes: Qui vos tandem? Cadit ille ſine ictu,
Languida pallenti reſolutus membra timore.
At Pheream agnovit fato meliore Moguntus.
Námque illum Iphicratem juxta, ſuprema tuentem
Mœnia, purpureum galeâ, criſtísque comantem
Viderat: ergo illum vinclis, nodisque revinctum
In varios belli caſus, ſortésque reſervat.
Subjiciunt Templo flammas, adytísque recedunt.
Ilicet ignis edax aras, & ſigna Deorum
Corripuit, mox alta ſuper tabulata volutus,
Attollénsque atro torrentes turbine flammas,
Ingenti ſonitu glomerata incendia cælo
Torquet agens: pavidus trepidat cum milite civis.
At Franci, ſic Flaviadæ mandata ferebant,
Continuò tædas vicina in Templa, domósque
Inferre, atque urbem flammis miſcere parabant.
Vltimus ille dies urbis, bellique fuiſſet,
Ni priùs Iphicrates tantæ in diſcrimina ſortis
Ritè memor, magnâ caviſſes providus arte.
Bis centum tu nempe equites, peditúmque catervam
Turritis quoties inſtaret mœnibus hoſtis
Ire, redire vias, rursúmque iterare jubebas.

Franciadis illi occurrunt, & nota ſecuti
Compita, funduntur rapidi divortia circùm.
Iornandes nihil hìc cunctatus, miſſile librat
In caput Herodis, pedites qui ductor agebat:
In mediam miſero jaculi vis incita frontem
Incidit, & tepido maduit ſuffixa cerebro.
Sic peditum compreſſi animi, primúsque ruentum
Reſtinctus furor; & quoniam ſors ultima Francos
Provocat, irrumpunt pariter, paritérque laceſſunt.
Iámque decem, tot gæſa volant emiſſa ſub auras,
Horrendo ſtrepitu ſtraverunt corpora leto.
Non impunè tamen; Doryli nam ſanguine cretus,
Iphicrati ante alios longè chariſſimus omnes
Eurytius, totas peditúmque, equitúmque catervas
Promqvet in Francos; oritur triſtiſſima cædes
Atque hinc atque illinc; Thraces cecidêre ter octo.
Franciadûm ſuper unus erat cum fratre Moguntus,
Quin etiam frater letali ſaucius ictu
Ægrè animam trahit. Ergo animis & viribus ille
Integer, Eurytium truculentâ cæde furentem
Talibus aggreditur. Ni me, fratrémque remittis,
Hàc animâ (dextrâ ferróque notabat in ictum
Ore minax Phream) Manes placabo meorum.
Subſtitit hìc ſubitò Eurytius, ſociósque repreſſit.
Ferrum inhibe, juvenum confidentiſſime, dixit:
Ne dubita, dabitur primâ ſub nocte, quod optas.
At Conſtantiades oculis incendia poſtquam
Hauſerat, agnovit Francos penetraſſe ſub urbem.
Macte (inquit) miles, tandem, ſuccenſa tenetur
Arxque, capútque urbis, populantur viſcera flammæ:
Quod ſuper eſt, dextrâque, & duro ſternite ferro.
His dictis arrecti animi, totæque phalanges
Vndique conveniunt, & totis viribus inſtant.
Verùm aliter viſum Superis; Nam fortè repentè
Tempeſtas rapidis ſubtexens nubibus æthram
Exoritur, tonitru ingeminat, micat ignibus aër,
Fulmina denſantur, tetro loca ſulphure fumant.
Præcipitant nimbi, campíque, & compita latè
Ipſa natant: ergo torpent incendia Templi,
Languet fumus iners, & craſſo corpore ſerpit.

Ipſe fatiſcentes ſub iniquo ſidere cœli
Flaviades turmas ſecura in caſtra recepit.
Magnanimum, poſtquam nox umbram induxerat orbi;
Cum fratre Iphicrates dimiſit ab urbe Moguntum.
Interea ſenſit ſua recrudeſcere Priſcus
Vulnera, quæ nuper navali plurima bello
Accepit, Caium contra congreſſus in armis.
Ergo ubi conceſſi metas pervenit ad ævi,
Vltro Pontifices ſanctos, qui Sacra miniſtrent,
Evocat: Olli aderant candenti in veſte decori,
Rheticius Pater, & Belgas ſanctiſſimus inter
Maternus, longóque incanus crine Marinus.
At Priſcus ſancto tales dedit ore loquelas.
O Pater Omnipotens! qui me genitricis in alvo,
Iuſſiſti tenerâ primùm coaleſcere mole;
Humanæque dein formans in munia vitæ
Vitalem inſpiras animam, nec laude carentem
Omnigenâ. Quanquam fuerint hæc magna, ſupérque
Vota mihi, illa tamen majoribus obruis, & me
Áh! nimium immemorem, meritis cœleſtibus imples.
Sacrilegos, primi ſubeuntem luminis oras
Das ritus neſciſſe Pater, turbámque Deorum,
Et tantæ exortem labis vixiſſe beatum.
Quid referam, cùm me monſtro, quo triſtius ullum
Non fuit, aut ſeris olim naſcetur in annis,
Das defenſum ultro: memini, & meminiſſe neceſſe eſt,
Ne quis tum ſtygiâ veteor me afflaverit aurâ
Spiritus, aut maculam ſceleratus inuſſerit ardor.
Innocuum vitæ quanquam, me judice, pectus
Relligio nulla inceſſit: ſi quid tamen hæſit,
Et ſi culpa hebetes ſenſus illeverit ulla:
Tu corde, ô! Genitor, facili miſerere, tuique
Vnigenæ memor in fraudis contagia noſtræ,
Ne Pater inquire, & ſonti te te ipſe remitte.
Tum vos, Pontifices, quibus eſt permiſſa poteſtas,
Iúsque Dei, triſtis ſontes abſolvere noxæ:
Divini properate ſacrâ me aſpergine roris
Abluere, ingenitæque abolere piacula culpæ.
Cœleſtes epulas exin, vitæque potentes
Delicias, dulcique piam reſtinguere rivo

Opto

Opto ſitim, totóque amplecti pectore Chriſtum.
Atque ea dum memorat, Procerum ſtipante catervâ
Flaviades, thalamo propior ſeſe intulit Heros.
(Olli Priſcus erat magno dilectus amore
Et Chriſti pietate ſuper, pugnatáque propter
Prælia, & agnato deductum ſanguine nomen)
Spem vultu ingrediens ſimulat, tum talibus infit.
At non Priſce tibi vitæ ſpes excidit omnis :
Non artem ſuper eſt morbus, quem vincere nulli
Iam liceat : tamen ùt fuerit, Deus arbiter ævi
Cùm jubet, abſcedunt omni de corpore peſtes.
Aut ſi fata jubent, cœli ſuper evocat aſtra :
Chriſtiadis hæc Priſce fides, hæc anchora rerum.
Flavius hæc paucis, contra ſic rettulit ille.
Ah! ſatis eſt, Princeps, imâ tellure repoſtum
Hoc vitæ quodcunque datum eſt, vixiſſe, ſupérque
Eſt Priſco : Nunc me patrij dulcedine cæli
Raptat amor, lætúmque rapit ſuper æthera Chriſtus.
Nunc ſine me ſacro perfuſum flumine, Chriſto
Adſcribi famulum, & felicis gaudia vitæ
Spe capere : Hoc voti caput eſt, neque tendimus ultra.
Incubuêre omnes genibus, Patríſque ſupremi
Progeniem lacrymis, fletúque in vota petebant.
Hic reliquis prono demiſſis corpore, ſurgit
Rheticius, ſacróque omnes circumtulit amne.
At Priſcum ter rore levi genitabilis undæ
Abluit, & vitæ fatus pollentia verba,
Ter Cruce ſignavit, Triadíſque in nomine, Sacrum
Vendicat, & ſtygio aſſertum defendit ab hoſte.
Mox tulit auratâ Chriſti vegetabile Corpus
Pixide, felicem ſcelerum omnigenûm Panacæam.
Quâ dape participat lætantem pectore Priſcum,
Exultantem animis, & ſecum multa precantem.
Iani lux præcipitans deceſſerat aurea nocti,
Defluxêre olli, ſua ſe in tentoria quiſque
Effuſo recipit fletu : quos deinde ſecutus
Multi ſuper Priſco lacrymatur Flavius Heros.
Pontifices uni ſolâ ſub nocte jacentem
Circumſtant, intérque ſerunt pia verba precando.
Ecce ſub auroram, loca circùm viſa repentè

Intremere

Intremere, & largo perfundi lumine tectum:
Mox & odoratus tenui perlabitur aurâ
Infuſus Zephyrus, ſtratúmque cubile vaporat.
Acceſſum agnovit Chriſti, comitúmque catervam
Cælicolûm Priſcus, vultus demiſit, & ora
Suppliciter; versóque in Chriſtum lumine, dixit.
Téne etiam, mi Chriſte, polo deſcendere, nec te
Tot ſcelerum ſontis pudet? Ah! ſanctiſſime rerum:
Ah! rerum quantum eſt pulcherrime. Talia fatus
Deficit, atque impar Chriſto congreſſus amanti,
Exanimis ſacro jacuit reſolutus amore.
Aligeræ veluti gentis Rex obſitus ævo,
Atque ſatur vitæ phœnix, ſuper ardua longè
Rupis inacceſſæ, vel odoro in vertice cedri
Impoſuit tumulum: huc panchææ copia meſſis
Congeritur, nardi bene olentis ſpica, lacérque,
Balſamáque, & cæſo flagrantia cinnama ligno.
Ille autem Soli obverſus, dum fervidus orbi
Imminet, ardentes radios plaudentibus alis
Excipit, accensóque ſuper conſumitur igne.
Vt primis invectus equis pulſavit Olympum,
Et rutilo Titan aſperſit lumine terras:
Continuò rapuêre faces, atque ordine longo
Chriſtiadæ incedunt; flammis caſtra omnia luſtrant.
Ora quidem mœſti, magno ſed pectore virtus
Quæ reſidet, micat in vultu, & ſpe præcipit aſtra.
Pontifices ritu veteri, quæ plurima Vates
Ieſſæus quondam cecinit, pia carmina dicunt.
Interea Priſci corpus, quo pulchrius ullum
Non fuit Europæ in populis, exangue jacebat.
Qualis Sequanici Tulippus gloria ruris,
Virgatis flos in foliis, candore nivali,
Et circùm roſeo diſtinctus margine lucet:
Verùm illi, cùm virgineo defloruit ungue,
Omnis hebet color, & pallorem abit omnis in unum.
Arte laboratam Phrygiâ, lentóque micantem
Veſtem auro induitur Iuvenis, quam fecerat Antheus,
Chriſtiadûm Sacris Antheus, lenique Minervâ
Clarus, & inſigni diſtinxerat argumento.
Scilicet exciſam in rupem diſceſſerat antrum,

Obſtruit os illi, montis pars maxima, ſaxum
Nexum ære, & multo commiſtum robore ferri:
Sed neque ſaxa valent Chriſtum, neque clauſtra tenere:
Diſpulit objectas moles, ferratáque clauſtra
Arduus, & purâ nitidus ſub luce refulſit.
Intremuit circùm tellus, cuſtodia paſſim
Huc illuc disjecta ruit, ceu turbine gluma
Spargitur, & volucri differtur concita gyro.
Mors ſtupet ipſa, retróque fugit, ſimilisque cadenti
Prona cavos oculorum orbes in terga reflectit.
Nec procul hinc ſtygij ſævus regnator Averni
Et ruit, & reſpectat, & infremit ore cruento.
Effertur pro more, pyræque imponitur; ire
In lacrymas juvat, & vero ſuſpiria fletu.
Admovêre faces averſi, protinus ignis
Dat ſonitum, flammísque undat tabulata per alta:
Labitur in cineres cælo ſublata cupreſſus,
Et cedrus, & Tyrio medicati murice panni.
Nulla tamen, quamvis data ſint circùm undique, ſanctæ
Innocuum vitæ violant incendia corpus:
Purius emicuit, traxítque in membra nitorem.
Non aliter ſpumam candenti in fomite ponit
Gleba nitens auri, mediísque ex ignibus exit
Lætior, atque novo rutilans ſub lumine fulget.
Didita continuò caſtris ea fama vagatur,
Numinis in laudem voces, aque ora reſolvunt:
It magnus clamor cælo, tum denique ſanctos
Ritè Sacerdotes compellat Flavius Heros.
Vos ô! Sacrorum juſſit quos eſſe magiſtros
Omnipotens, propiúsque arcanis addere mentem;
Dicite, quid petimur, quídve hæc portenta loquuntur?
Talia Maternus divino rettulit ore.
Chriſtiadûm, quos pulchra tulit ſuper æthera virtus,
Relliquias abolere nefas: monimenta piorum
Eſſe ſuper jubet Omnipotens, ævóque ſequenti
Virtutis formam, ſpeciménque imitabile morum.
Tu flammas prohibe, ſerva chariſſima Chriſto
Pignora, ſuffoſſæ mandentur corpora terræ.
Publica plebæis ſunto in commune ſepulchra;
Marmorei Proceres thalami, Sacraria Sanctos

Caſta

Caſta decent ; hoc monſtra petunt ; hoc poſceris. Omnes
Aſſensêre viro, totum exhinc lege per orbem
Flavius edixit, juſsitque inoleſcere morem:
Qui procul huc ad nos volvendo ſæcula venit.
Addidit hæc etiam inſignis pietate Marinus.
Qui miles, bellorum atrâ ſub nube tenetur;
Ille quidem bello claros cæleſtibus æquat,
Virtutis malè conſultus: Sed lumine Chriſtus
Quos afflat melior; ſensúque informat honeſti;
Momentis virtutem aliis expendere norunt.
Eſt Priſco, eſt virtus melior, quæ ſopiat ignes;
Quæ ſuperet flammas, leti quæ tela retundat.
Hâc Priſcus mortale genus, mortalia corda,
Et luteo vicit ſecretas corpore mentes.
Ille quidem facinus per cæca ſilentia preſſit
Eximium, fugitans auræ popularis: Ariſtæ
Non tamen erubuit tantam concredere laudem.
Námque unà puer à primis adoleverat annis,
Cúmque illo curas partiri, animúmque ſolebat.
Ille quidem incipiet, ni vos audire pigebit.
Flavius hîc: immò hoc quodcunque eſt ordine pandat:
An potius quidquam fuerit, quàm munera Chriſti,
Et laude egregiâ Priſcum ſpectare decorum.

LIBER SEXTVS.

ARGVMENTVM.

AMOR VICTVS.

ARGVMENTVM EXPLICATIVS.

Priſci, quem Legatum in exercitu Conſtantiniano mortuum fuiſſe Liber quintus cecinit, victoriam de Amore impuro hic Liber repræſentat. Iuſſu quippe Imperatoris, nobiliſſimâ in coronâ, vir primarius Ariſtes eximiam Chriſtiani adoleſcentis pudicitiam refert, quâ fœminæ Principis illecebras, & artes magicas vicerit. Continetur itaque hic Liber tribus partibus. Prima Templum Amoris, altera ejuſdem hortos deſcribit, tertia Mauſoleum Priſcis excitat.

NOTÆ.

I. Hujus libri cum ſuperiori commiſſura hæc eſt. Corpus Phædri, ut cecinit Liber quintus, rogo impoſitum, flammas non ſenſerat. Marinus Pontifex Chriſtianus id miraculi ad præclaram Phædri pudicitiam referebat: cujus eximium facinus Ariſtes, Phædri commilito, & ſummè amicus, juſſu Conſtantini narrat.

II. Magicæ hujus artis exemplum habes *in Martyrol. Rom. XXVI. Sept. in SS. Cypriano & Iuſtina Martyribus.*

III. Fauſtæ, Conſtantini uxoris ſecundæ, mulieris impuriſſimæ amorem, quo Criſpum privignum deperibat, aliis nominibus adumbravimus. Nam Priſcus noſter Criſpus ille eſt, & Paula Fauſtam repræſentat. Hiſtoriam non ſumus ſecuti, ne tantum dedecus noſtro Heroï videremur inurere; & quidem Poëtæ id licere putavimus, cùm Hiſtoricus Euſebius tantâ de re tacuerit. Non tamen id omnino prætermittere voluimus, non tantùm ne id nos neſciiſſe putaremur; verùm multò magis, & quidem imprimis, quia Poëma mancum putamus, in quo locus non eſt Amori, cùm is in conſuetudine humanâ partem, eámque magnam ſuſtineat; & ſit Poëma totius vitæ ſimulachrum emendatiſſimum. Nolui verò Conſtantinum Amatorem inducere, quia Imperatorem, & quidem id ætatis natum, non videbatur amor decere. Id ſolerter, & cautè meo quidem judicio ante me Torquatus facitavit, qui Reginaldum & Tancredum amori, non Gotthofredum Imperatorem ſubdiderit.

IV. Amoris affectus præcipui hi dicuntur: I. ſuſpiria, II. querelæ, III. lacrymæ, IV. ſanguis; cætera quæ hîc deſcribuntur, neminem, qui Poëtas legerit, poſſunt fugere.

ATQVE ubi facta quies, intentis omnibus unus
Tot Proceres inter, ſic ora reſolvit Ariſtes.
Paula fuit, mulier Graiâ de gente, pudica,
Or e, habitúque pio, necnon & ſanguine jũcta
Maternos per avos Priſco; quam multa domabat
Interior

Interior Venus, & cæco ſuccenderat igne.
Dulcibus illa quidem illecebris, formæque decore
Nititur in juvenis ſanctos obrepere mores:
Incaſsùm cecidit labor omnis, & omnis amorum
Nequitia, atque malis teneri cum fraudibus ignes.
Ergo dolens ignominiam, tantæque repulſæ
Impatiens, magicas demens accingitur artes.
Tum quoque Proclus erat ſenior, quem vana Deorum
Impietas, primo naſcentem in limine vitæ
Excepit quondam: is poſtquam robuſtior ætas
Accrevit, ſe Chriſtiadis adjunxit, & inde
Iudæis; tandem nullis addictus, & exlex,
Nil homiles, nil ille Deos, nil Numina curat.
Se triplicis dominum Mundi, rerúmque potentem
In populos jactat; Manes excire ſepulchris,
Aut rapidam medio Lunam deducere curſu,
Fulminâque, & ventos, tempeſtatésque ciere,
Sortilegas audere nurus, gentémque minorem.
Sanctius eſſe ſibi regnum, ſuppárque Deorum
Imperio canit: humanas inflectere mentes
Arbitrio, in quaſcunque velit deducere partes:
Et tumidas premere, & reſides attollere, nexas
Solvere, ſollicitis alias innectere curis.
Hic Paulæ venit auxilio, hic Phlegetonta laceſſit
Dira canens. Ibant imis de ſedibus Orci
Tartarei fratres, ſtrepitúque immane fremebant,
Ante alios, quibus eſt ſtudium mortalia corda
Frangere blanditiis, & molli vincere flammâ.
Incumbunt operi fruſtra, vanóque labore
Sollicitant: nam ſtellanti demiſſus ab æthrâ
Cuſtos illi aderat. Procerûm ſanctiſſimus unus,
Quos Pater æternus miſeris mortalibus ultro
Curarum eſſe dedit comites, ſociósque laborum,
Fortè viâ, & multo venatu feſſus opacum
Sederat ad fontem, tenui qui murmure labens
Paulatim inſinuat blandum per membra ſóporem.
Hic Proclus incautum, quoniam eſt oblata facultas,
Aggreditur juvenem, totóque Acheronte fatigat.
Námque illi, primùm poſtquam ſopor oſſa reliquit,
Sacra videbatur ſublimi vertice, cælo

Surgere

Surgere, blandiríque ultro venientibus ædes:
Non operis moles inſana, ſed arte magiſtrâ
Perfectùm nitet, ac juſto comprenditur orbe.
Hinc atque hinc circùm latera omnia fornice curvo
In medium ſenſim coëunt; cryſtallina ſummo
It cælo ſpecula, & tecto ſupereminet ardua.
Ære rigent poſtes, æternáque limina, & ære
Commiſſæ ſtridunt ærato cardine portæ.
Tum radio Priſcus (dextrâ quem fortè gerebat)
Impulit adverſos repetito verbere poſtes;
Ingemuêre adyta, & ſacri ſonuêre receſſus.
Extemplò faciles converſo cardine valvæ
Sponte dedêre viam, limen ſimul inſtitit Heros.
Ecce introgreſſum, facies pulcherrima rerum
Occupat: artifici lucens emblema figurâ
Inſcriptos flavo muros pingebat in auro.
Nempe triumphabat Superos, gentique Deorum
Iura dabat victor, legésque Cupido ferebat.
Námque aditu in primo, vitreis evolvitur undis,
Et torto Sagaris fluvio per culta niteſcit.
Vmbrâ in purpureâ, mollíſque in margine ripæ
Alcides formæ ſtudet, ac muliebribus armis
Induitur, ſpeculo, armillis, tenuíque flabello.
Nodoſos circùm digitos it plurimus orbis,
Auriculis pendent gemmæ, coma lege tenetur.
Femineâ corpus pallâ frontémque mitellâ
Incaſsùm tegit, horrendum nam pectus hiantem
Veſtem ultra turget, renuítque calantica crines.
Haud tamen ille minùs, rigido ſub pollice, & udis
Inclinans labris, properantia ſtamina ducit.
Nec minùs Omphalee ſtudio geſtibat inani,
Pelle leoninâ tenerum circumdare corpus
Imprudens: villos inter formoſa micabant
Pectora. Vt auroræ nigris lux aurea nimbis
Rumpitur, & nubem radiorum purpura pingit.
Illa autem manibus geminis, & corpore toto
Pondera nequidquam clavæ, molitur ab altâ
Tollere humo, intentis luctantur brachia nervis.
Pictus nube ſedet celsâ, pharetrâque decorus,
Aureáque arma gerens ridebat utrumque Cupido.

Haud

Haud procul effuſam in curſum crinitus Apollo
Inſequitur Daphnen : flavos diſperſa capillos,
Et teneros nudata pedes, ac mollia crura;
Per vepres, per ſaxa, per indiſcreta locorum
Nympha fugit; plantæ turgent, & ſanguine manant.
Pœnituiſſe Deum poterat, poterátque puellam:
Sed major Deus inſtigat, ſubigitque Cupido.
Nam ſtupidâ plumbi fugientem cuſpide Nympham
Perculit, auratâque incendit arundine Phœbum.
Hîc molli tepidum ſomno, gremióque receptum
Endymiona fovet Superis Diana repulſis.
Quid Martis, Veneriſque dolos, quid cæca mariti
Retia commemorem? Probrum Saturnius illic
Aut Semele, aut Lædæ blandum mentitus olorem
Obtulit, aut Danaë in gremium pretioſus adulter
Sedibus æthereis, pluviâ deſcendit in aureâ.
Idem alibi mugit cornutâ fronte juvencus,
Mollibus aut virides in pratis ruminat herbas,
Aut dorſo impoſitam longè trans æquora portat
Europen: manibúsque, oculisque ad litora virgo
Tendit, & inclamat ſocias, ac cornibus hæret.
Ergo capiſtratum Divûmque, hominúmque parentem
Puſio ductabat tranquilla per alta Cupido.
Ecce pavimentum variis aſarota figuris
Inſcribunt Æthnæa Proſerpina, Plutóque gentis
Tartareæ Rector. Námque inter brachia Divam
Hic mediam amplexus; prædâque, animisque ſuperbos
Increpat alipedes in curſum: turbinis inſtar
Præcipitant illi, ſub pondere terra dehiſcit.
Perſephonen Manes, furiarúmque agmina, & ipſe
Æacus, atque humili veneratur poplite Minos.
Templum init interea Zephyrus, flatúque vaporans,
Mollis odorato latè circùm omnia mulcet.
Ibat ponè ſequens exercitus omnis Amorum;
Par formæ nitor, atque infans par omnibus ætas,
Et faciem nitidi lætam, ſuccóque micantes
Ambroſio venas, & lacte nitentia membra.
Aligeris arcus, pharetræque, atque ignea longè
Tela ſonant humeris, labuntur remige pennâ.
Ceu cùm vere novo pulchros Sol æthere vultus

Exerit

Exerit, & facili ridet natura ſub aſtro:
Quàm multæ glomerantur apes, & tecta reviſunt
Depaſtæ flores, cælóque recentia mella.
Lætæ omnes redeunt opibus, turgentia crura
Illa rubet pomo gravis, hæc incanuit albo
Flore pyri, flavet citrium hæc populata decorem.
Haud aliam in faciem, Templum ſubit agmen Amorum.
Nullus iners tanto in numero, lætantur opimâ
Prædâ omnes: tepidos inter ſuſpiria luctus
Quæ miſeri tacito fuderunt pectore amantes,
Legêre; ac nebulæ in morem collecta, frequentes
Nunc vitreis portant pateris, ſacrisque reſervant.
A ctutùm ſubiit tot fratrum maximus ædem
Pulcher, ovans, arcúmqne tenens ac tela Cupido.
Quem Riſus circùm ludit, Charitésque decenti
Implicitæ Choreâ: medius Cythereius ipſe
Ingreditur, Riſus dexter, mollisque Thalia,
Læva eſt Euphroſyne, & nitidis formoſa capillis
Paſithee: ſoliis illi ſedêre ſuperbis.
Ecce autem aligeræ gentis pars illa, minorum
Turba Deûm, fratrem ſupplex venerata, calentíque
Incumbens aræ, pateris ſuſpiria plenis
Libat: ut illa ſacros ignes tetigêre, repentè
Exiguam in nubem converſa feruntur in altum.
At nebulâ in mediâ gemitus, humilésque querelæ
Audiri, tenuique ædem replere ſuſurro.
Riſit Amor (tacito quæ vulnera fecerat arcu,
Scilicet agnoſcit ſonitu) ſociósque docebat.
Hic noſtras, inquit, gemitus, qui proximus aures
Impulit: Antiphilæ, Nymphæ Gangetidi, furtim
Excidit incautæ nimiùm, timidámque fefellit.
Illa quidem, heu miſeram! Polemonen deperit Indum
Clam matrem, neque enim vetulæ ſineret dolor. Ergo
Sola ſuper ſtrato lacrymis traducere noctes
Et ſolita eſt, & amat. Tenebris aurora fugatis
Vt lucem infudit, vultum illa & lumina fingit
Nequidquam; ſed enim falſa inter gaudia ſæpè
Erumpit dolor, & genitricis vulnerat aures.
Hic, alium digito ſignabat, languidus ægrè
Qui venit, immenſum teſtatur corde dolorem.

Hoc

Qui venit, immenſum teſtatur corde dolorem.
Hoc ego ſingultu, non mollia verba Meliſſæ
Caſtigo, longâ quæ ſpe crudelis amantem
Diſtulit, & lentâ Meliboeum morte peredit.
Iam prope quæ calidis halant ſuſpiria flammis;
Qui luctus tepet, huc brumali venit ab Arcto.
Virgo Caledoniæ ſic luget Orynthia ſilvæ,
Et tacitis ſecum ſingultibus ilia pulſat.
Sequanicus noſtrâ perculſus arundine paſtor
Tityrus, audiri metuens, hos litora circùm,
Et ſilvas inter, tacito dat pectore luctus.
Ecce alium, quem corde dolor vix extudit ingens;
Grajugenæ gemitum Paulæ: juvenem illa ſuperbum
Ardet amans, ſed ſi juvenis non flectitur, eheu!
Paula quidem duro mœrens tabeſcet amore,
Non impunè tamen, dabis & tu perfide pœnas.
Pluribus orabat, curásque docebat amantum,
Queis vulgare nefas, tacitúmque aperire dolorem,
Aut prohibet metus, aut vetat inclementia patrum.
Finierant, ſubitò Templum Chorus alter Amorum
Ingreditur, cultúque, habitúque prioribus illis
Et formâ ſimilis, clauſo ſed portat electro
Compoſitos pariter queſtus, immiſtáque queſtus
Verba inter, rixásque leves, & jurgia grata.
Nempe illa incautis caderent cùm verba, minores
Collegêre Dei, magno donaria fratri.
Vt durata gelu, rigida inter nubila grando
Cogitur, & teretem immitis concreſcit in orbem.
Sic voces, Divûm nutu coïêre: tepentes
Vt foculos tetigêre, ſtatim ſolvuntur, & altè
Dant ſonitum, claris ædes ſonuêre querelis.
Et ſic prima quidem tenui reſoluta calore.
Scilicet hæc jurata fides? Crudelis Orontem
Parthenope ludis. Retulit vox altera. Graiis
Præ nuribus tibi ſordemus, crudelis Alexi,
I nunc. Parte aliâ: Hunc formæ marceſcere florem,
Atque annis patiêre teri, pulcherrima Daphne?
Atque hinc. Nam quis te, confidentiſſime? Et inde.
Ah! quæ lux oculis, teneræ quæ gratia fronti,
Quis membris decor affuſus? Non hinc procul. Oris

Martius ille rigor, pulchróque in corpore ſurgens
Forma placet. Tum hîc. Et Superos, atque impia fata,
Téque, Ægle, teſtor. Dein vox exilis, ut ægro
Corde ſolet. Cui me moribundam Priſce relinquis?
Tertia pars fratrum templo ſe infundit aperto,
Inque Gagatæis lacrymarum flumina gemmis
Portat ovans, quas fuderunt puerique, puellæque,
Et duros quicunque olim eſt expertus amores.
Nam neque vel lacte, aut vino libatur Amori,
Sed lacrymis. Iámque exundans natat ara, fluúntque
Ac refluunt circùm plenis altaria rivis.
Tum varios videas vultus, mirabile viſu,
Effulgere vadis; oculos quibus humidus imber
Excidit, ipſe refert, & fontem flumina monſtrant.
Thracius in liquidâ Damon mœſtiſſimus arâ
Exerit os, largo manant cui lumina fletu,
Et tenui circùm turgent ſuffuſa rubore.
Multa dolens illic virgo Ligerina decoram
Explicuit faciem, rutilis ros gemmeus addit,
Quale roſis decus, & ferrugineis hyacynthis.
Paula etiam triſti, ſed pulchro Graïa vultu
Prodit, & in liquido lacrymans apparuit amne:
Fulgor ineſt undæ, lacrymásque inter micat ignis.
Eoo qualis cùm ſurgit ab æquore Titan,
Purpurei tremulo ſplendent ſub lumine fluctus.
Hìc Phrygius Pterelas, illic lacrymatur Iberus
Alphonſi Totilas, illic Iudæus Abibon,
Francicus hic Clodio, nec non & Perſa Sapores.
Sed neque Dacus atrox, lacrymis neque temperat Indus,
Oceano nec ſi quem tellus ultima longè
Summovet: impubis puer, atque innupta puella,
Matres, atque viri blando indulgere furori
Et nolint, & amant. Miſeros tam dira libido
Vt ſemel implicuit ſeſe, malè vexat amantes.
Quin etiam rugas inter, ſulcósque ſeniles
Guttatim it lacryma, & curvo velut imbrice currit.
Incanos risêre ſenes, Charitésque decoræ,
Et facilis Riſus, Risúmque Cupido ſecutus.
Vltimus at reliquos fratres labor advocat: Ecce
Templum ineunt, geſtant undantes ſanguine teſtas,

Dives

Dives ab Eoo quas India litore mittit.
Incumbunt aris proni, versisque fluenta
Purpurea effundunt pateris: Altaria circùm
It cruor, & roseus rivis manantibus amnis;
Scintillisque micans altè crepitantibus, atram
Post mortem, post fata suum testatur amorem.
Hîc lacrymas pulchræ Charites fudêre decoras:
Ipse etiam ingemuit Risus, cui flere potestas
Nulla fuit, tristes solatur voce Cupido.
Omnibus ætherex quos vesci munere lucis
Contigit, est vitæ quondam data meta, nec ultrà
Tendere fas homini: genio sed ducere molli,
Et dulci jus est illam concludere fine.
Dulciùs at nemo moritur, nec vivit amante.
Mars gladio perimit, pharetratus Apollo sagittâ;
Roboreâ Alcides clavâ, Saturnius atro
Fulmine, deliciis ego. Risus in ora decorem
Hîc revocat, lacrymásque Deæ presserê fluentes.
Sacrorum jam finis erat, cùm tristior irâ
Palluit, & nebulâ subitò suffudit honorem
Frontis Amor, tales abrumpens ore querelas.
Méne igitur puero victum, turpémque repulsâ
Cedere, cui Superûm Rector, cui Regia cæli
Paret, & ad nutus servit natura superbos.
Quin etiam nostris Ponti gens frigida tædis
Arserit, ipsæ etiam Tigres per inhospita saxa,
Et volucrum omne genus. Tristes immania Gryphi
Corpora, Rhipheis affixi rupibus, ipsa
Monstra horrenda faces avidis rapuêre medullis,
Quæque diem fugitant, & formam nocte recondunt.
Quid memorem crudâ truculentos mente tyrannos?
Tristior haud illis pestis, mitescere nostris
Imperiis tamen insuescunt, ipsæque novercæ
Privignos ardent, furor omnis cessit Amori.
Audeat & temerè nostris illudere regnis
Hâc ætate puer? molles cui sanguine venæ
Fervere, cui nostris ignescere viscera flammis
Vsus erat, magnámque mei partem ire triumphi.
Hæc aït, ardentémque auro, flammàque sagittam
Exemit pharetrà, nervóque aptavit in ictum.

Quæ tibi mens? Ecquis tanto in diſcrimine ſenſus,
Priſce, fuit? Chriſti magno ſine numine victum
Crediderim; nam nec vultus tibi, nec color unus.
Nunc acres micuêre oculi, nunc lumine caſſi
Extincto languent: roſei pulcherrimus oris
Flos olim, nunc in pallorem decolor ivit,
Mox redit accenſus, dubio nunc fluctuat æſtu.
Ah miſerum! quanto ſaliunt tibi pectora motu?
Protinus ergo illi tanta inter prælia ſeſe
Obtulit in multo manifeſtum lumine Chriſtus.
Mentem inter vigilem, ſummâ quæ verticis arce
Excubat, atque humili tardos in corpore ſenſus,
Vis animæ ſedet in mediis, quæ dædala rerum,
Et liquidas oris voces, motúsque, colorésque,
Omniáque artifici curâ ſimulachra figurat:
Phantaſiam Graii dixêre. Hic unica Priſco
Viſa ſalus, medióque ſuper certamine præſens
Se dedit in multo manifeſtum lumine Chriſtus.
Heu! mihi qualis erat, quàm non pulcherrimus ille
Regnator Superûm, Patrisque æterna voluptas!
Immiti lacerum pendebat ab arbore funus,
Pérque pedes ferro trajectus, pérque cruentas,
Et laceras toto membrorum pondere palmas.
Silva caput ſpinis umbrabat, ſanguine crines
Rorabant, fluido pallebant livida tabo
Labra, oculos nox atra extinxerat, ibat apertum
Per latus in guttas extremi ſanguinis unda:
Plurima nempe aderat Chriſti morientis imago.
Non tulit hanc ſpeciem Priſcus, ſed poplite flexo
Actutùm. Túne illa Dei pulcherrima proles,
Quam Solis, Lunæque vias, & luminis ante
Natales, Genitor felix enixus ab alvo
Suſtulit auctorem vitæ, Mundique potentem?
In crudam quæ tanta necem te cauſa ſubegit?
Id ſceleris cadit in quemquam? Proh! criminis hujus
Sum reus. Infelix ego te mi Chriſte peremi!
Hos ego pérque manus trajeci, pérque foratos
Ire pedes juſſi clavos. Hoc vulnere ſanctum
Perfodi pectus. Spinâ cinxiſſe verendum
Nil puduit caput, & totum perducere corpus

Vulnere

Vulnere perpetuo. Sceleris proh! diſpudet. Vltrã
Méne tibi domino ſervum pugnare rebellem?
Hæc aït, atque imas ſupremò à vertice plantas,
Atque utrosque humeros antiquo more, ſalubri
Signavit Cruce; continuò purgantur in auras
Deliciæque omnes, templúmque, aræque Deorum.
Quid referam quoties ſanctum per carmina pectus
Invaſit mulier, quoties pubentibus herbis
Miſcuit & lacrymas, & triſtia murmure verba?
Illa Vlulæ ſecuit, ſecuit Strygis illa frementis
Viſcera, & abrupit vivis ſpirantia corda.
Addidit Hippomanes, tum quidquid Theſſala triſte
Quærit anus, primos Phœbe dum colligit ignes.
Illa etiam citriâ in mensâ, ſub nocte ſilenti,
Sola, tremens, & ſparſa comam, tornatile buxum
Inſcriptúmque notis Arabum circùm egit habenâ,
Et dum circùm ageret, molliſſima carmina dixit.
Illa etiam Priſcum carpentem pectore ſomnos
Aggreditur, neque enim vigilantem invadere rurſus
Audeat, aut tanto jam ſperet ab hoſte triumphum.
Ipſe videbatur ſibi (ſic inſomnia ſenſus
Ludunt, & vacuâ ſimulant in imagine motus)
Ignotam ire viam, mox & per cæca locorum
Pergere, & in verſum dilatas ordine cedros.
Inde per ambages luci, ſilvæque receſſus,
Errabunda ferens dubio veſtigia calle
Exiit, inque novæ venit ſpectacula lucis.
Hic auræ ſpirant molles, hic largior æther
Veſtit odorato florentes lumine campos:
Veris honos hic perpetuus, lucésque ſerenæ;
Et molles Zephyrorum animæ; tenerâque ſub umbrâ
Motantis ſilvæ, ſecti per gramina rivi
Deliciis manant, & largo flumine currunt.
Hortus erat terræ ingenio, cultúque beatus,
Blanditiis rerum felix, & munere Floræ
Dignus amore locus: tanto Phæacia cultu,
Alcinoi nec ſe jactent pomaria, tanto
Nec Veneri dilecta ſuæ Cinyreïa regna.
Non altæ medium foſſæ, non mœnia circùm
Ivêre, aut ſepes hamatis ſentibus apta.

Nulla

Nulla domus, nullæ pendenti tegmine ſedes.
Nam neque decuſſum metuit de nubibus imbrem,
Aut rapidos ſoles, hyemémve Aquilonibus actam.
At facies cultu interior, luxúque beatam
Vim facit illecebris, ſenſus graſſata per omnes.
Limitibus ſed enim variis dimenſa viarum
Prætexit ſuccis arbor, quæ manat odoris:
Balſama Iudæis ſudantia, thura Sabæis,
Aſſyriis nardus, Panchææ cinnama genti,
Et caſia, atque omnis Nabathæi copia ruris.
Quattuor imprimis ſpatio divortia juſto
Ingentes fecuêre vias, totidémque dedêre
Fronte ſub adversâ, & pulchro diſcrimine partes.
Pars prior ad lævam Zephyro ſuppoſta tepenti,
Pumila buxus erat, ramos quæ tonſa comantes,
Serpebat vario in labyrinthum Dædala flexu.
Mille trahit, retrahítque ſinus, mille orbibus orbes
Implicat, atque vias totidem: non pervius illis
Ad capita eſt callis, portis panduntur utrimque
Ad latus: introrsùm invitat quæ ſemita, longè
Abducit, veterémque novâ ſpe fallit, & intrò
Admiſſis ſemel, & cæcum in penetrale receptis,
Egreſſum miſeris negat irremeabilis error.
In medio nigrâ ex ebeno, & candenti elephanto
Areola exacto circùm comprenditur orbe:
Natus Acidaliâ hîc pario de marmore lævis,
Natus uterque aderant, & qui de nomine Graio
Olim dictus Eros, priſcis formæ dator, & qui
Æmulus adverſo lætatur nomine frater.
Par utrique ætas, par oris gratia, párque
Flos tener ætatis, paria arma, habitúsque, minæque,
Risúsque atque joci, atque leves ſine crimine rixæ.
Cum pharetris teretes arcus in terga repulſi,
Ante pedes jacuêre faces, ſparſæque retectis
Luminibus vittæ, circùm ipſi brachia nexas
Implicuêre manus, & toto corpore proni,
Alternique ſibi arrident, atque oſcula figunt.
Dum videt hæc, oculósque intendit Priſcus; uterque
Luctabatur Amor, ſimul & creſcebat uterque,
Pulchrior & toto ſurgebat corpore forma.

Tum

Tum vox exilis Priſco delapſa per auras
Blanditur. Nihil æterno ſine creſcit Amore,
Non mens, non animus, non læto robore corpus,
Non forma aut ſpecies; nec Priſcus amabit amantem?
Altera pars horti felici ridet ab Euro,
Quam tenui introrſum partitur limite centum
Trames in areolas, ſtant quarum in vertice centum
Pulvilli, & circùm adductâ tellure quadrantur.
Hic totas oſtentat opes, gazæque ſuperbæ
Delicias, totúmque ſinu Dea Flora decorem
Vltro aperit: violæ hic ſublucet purpura, & albà
Hic facie candet viola altera, & altera flavet:
Atque ſui Narciſſus amans, miſsúsque ſub auras
Candentem croceis pingit cratera capillis.
Nec non & teneris Hyacynthus nomina Regum
Inſcriptus foliis, multâ ferrugine lucet.
Quid leti referam & ſenij exſortes Amaranthos,
Aut te, qui vitæ retinens formæque perennis,
Flos immortalis, vivacem Neſtora vincis?
Lilia quid memorem, toto quæ vertice gentem
Supra humilem florum vertuntur, lactea quorum
Tempora, ridenti radiant evincta corona?
Altera nec deſunt humili convalle petita
Lilia virginibus Celtis, argentea crines,
Crinibus & nexas nitidis argentea baccas.
Florali de gente nihil, non Flammea triplex,
Purpureas virgata comas, non Iris odora,
Nec teneri deſunt Anemone, Veris honores.
Tonsâ inter flores cythiſi Topiarius herbâ
Scripſerat hæc: Læto flores naſcuntur Amore.
Tertia pars latè gaudebat culta ſativis
Arboribus; nullam ramis impunè vagari
Natura, ingeniúmve ſinit: ſi quæ tamen auſit,
Protinus ars illam ſpatio caſtigat in arcto.
Nec minùs interea proventu læta beato
Luxuriat ſilva, & grato ſub faſce laborat.
Námque idem (quid enim non poſſunt carmina) ramus
Induitur primum in florem, folióque comanti
Idem vmbras captat, fœtúque ſuperbit opimo.
Quin etiam quo ſe fructus de cortice trudens

In

In gemmam tumet, ecce alter pubeſcit eodem,
Atque alius pleno maturat corpore ſuccos.
Ambroſiâ turgent ficus, nudántque retecto
Vbera plena ſinu, ſaturantur nectare mala
Punica, & inciſo riſêre putamine grana.
Quid referam ſævo Heſperidum vigilata draconi
Poma, auro circùm radiata; & Perſide, peſtem
Languenti ſtomacho, longè à tellure petita?
Huc variâ quidquid ſparſit regione locorum,
Hortorum Pomona potens, frugíſque repertrix
Arboreæ, pleno congeſſit prodiga luxu.
Hic floret pyrus, hic & cerea copia pruni,
Hic ceraſi dulces, & olivæ Tibure dignæ,
Atque nuces, & cunctatrix ſapientia mori.
At ſpatio in quarto latè genus omne roſarum
Felici ſpirat ſilvâ, ſeu purpureus quas
Incendit fulgor, multóque illuſtrat in auro:
Sive nivem quæ nativo candore laceſſunt
Intactam, puróque recens à ſidere lapſam.
Quin nemore ex alto, & pendenti tramite pulcher
Præcipitat rivus: nitidis argentea bullis
Vnda fluens, fœcunda inter pomaria ſerpit.
Marmoreis exhinc, longíſque canalibus acta,
Et rivos ſecta in tenues, circumflua plenis
Areolas ripis & odoriferos pulvinos
Irrigat; æternos tereti cervice reflexâ,
Purpureis potant labris violaria fontes.
Innumeræ ramis volucres vocalibus errant,
Et liquido tenerum demulcent aëra cantu
Tractari faciles, & pictæ tergora plumis.
Ecce etiam (heu! quæ non ægris mortalibus, atrâ
Nocte ſuper, feſſis animo, ſomnóque ſepultis
Objicit obtrudens ſtygius ludibria prædo:
O! juvenes, ſi quid caſtæ vos gloria mentis,
Si quis tangit amor, Chriſto concredite ſomnos,
Auxilióque illum in noctes ac tecta vocate)
Tot volucres inter volitat pulcherrimus unus
Seu Zephyrus fuit ille, fuit ſeu fortè Cupido.
Ille chori veluti Præſes, Muſæque repertor
Cantat: eo cantante ſilet gens cætera, & auræ,

Et

Et volucres, & currentes per gramina rivi.
Atque hæc argutâ modulatur carmina voce.
Dum licet, invitátque ætas genialis, amate.
Frigida mox aderit, ſpargat quæ tempora canis;
Quæque juventutem cupiat revocare ſenectus.
Heu! fruſtra. Formæ fugit irreparabilis aura.
Qui ſerò cecidit Veſper, formoſior idem
Phoſphorus exoritur: quæ marcet purpura veris,
Illa iterum floret: ſilvis decuſſa corona,
Et quæ defluxêre comæ, reparantur in annos:
Vos ubi deſeruit pulchra, ac fugitiva juventus,
Illa redit nuſquam. Quid nunc torpetis? amate.
Vt tacuit, cantum repetit gens cætera, & auræ,
Et volucres, & currentes per gramina rivi.
Dum licet, invitátque ætas genialis, amate.
Hortorum ſpatio in medio, quò lata viarum
In ſeſe incurrunt; pario de marmore, fontis
Vix plano erigitur labrum, veſtitur odoro
Ripa Chamæmelo, cum Sampſucho & Calamynthâ.
Intus aquæ dulces, & lymphæ ſimplicis unda
Lumine ſub tremulo, puróque ſub aëre ridet.
Concha capax undam ſubigit, ſpumámque ſuperſtat:
Inſiſtit conchæ Venus, Oceanitide qualis
Extulit os lymphâ, vitæ dum venit in auras:
Aurea cæſaries Zephyris data, lacte nitentes
Circùm humeros infunditur. In membra omnia longè
Textilis it ventus, nebulâve intextus amictus.
Suſtinet hunc lævâ fluctum ne libet, & ore,
Ac dextrâ, ſimilis leges & jura ferenti,
In vocem pendet, meditatáque verba minatur.
Nereidum chorus, atque omnis gens humida ponti
Officiis circùm certant. Speculum illa ſubinde
Admoviſſe oculis geſtit dominæ, iſta flagrantem
Vmbellâ prohibet ſolem: pigmenta, colorésque
Hæc gerit, hæc Graii ceſtum miracula mundi.
Quem Malace Nymphas inter doctiſſima nendi,
Divinum tenui per fuſum pollice duxit,
Et filis fila intendens per mutua, donum
Eſſe dedit quondam Veneri, propriúmque dicavit.
Stamina non auro texta, aut quæ plurima Seres

Vellera divitibus pectunt pendentia ramis,
Nobilibus digitis in telam intexit habendo.
Tres indignati radios intexit amantis
Tres animi, totidémque ſpei, totidémque timoris.
Huc lenes animi rixas, risúsque querelis
Compoſitos, placidè huc verbis pugnantia verba,
Et teneræ quantùm formæ, tantùm illa rigoris
Addidit, ac telam lacrymarum temperat imbre.
His atque his inter ſe quæ contraria pugnant
Frontibus adverſis, ullâ haud imitabilis arte
Longinquis exegit opus mirabile ſæclis.
Vim facit ille animis, Divósque, hominésque, ferásque,
Arboreósque etiam fœtus ſubmittit amori.
Atque hic Cymodoce ſoror, & ſoror altera Doris,
Atque oculis Hyale glaucis, & lactea Clio,
Spióque, & Xantho pulcherrima Neptunine
In tremulis nituêre vadis, quarum omnibus extant
Et caput, & nitidi crines, & eburnea colla.
Haud Phorcus, Phorcique chorus, Glaucique ſenecta
Hinc aberant, Nereúsque pater, Protheúsque futuri
Præſcius. Exultat tremulis Inoüs in undis
Grandævos inter puer, & Delphina fatigans,
Mollia, quà libitum eſt, juncis attemperat ora.
Ecce autem fontis formoſo in margine, toto
Quattuor inflabant Tritones pectore conchas,
Et totidem largis rivos pulmonibus efflant.
Vnda micat, quam ſtare putes, enodis ad inſtar
Oblongæque haſtæ; jugis ſic agmen aquarum
Integrat, atque alium ex alio fons ſufficit amnem.
Qui ſummi recidunt latices ludentibus auris,
In teneros fluctus ſparguntur, vapulat illis
Vnda recepta lacu, queſtúque immurmurat æquor.
Tritonum de gente unus poſtrema coërcens
Agmina, odoratæ magnam jaculatur aquæ vim:
Illa ſub ore Dei, patulóque à turbine conchæ
Altiùs aſſurgens, molli ſe fornice ſenſim
Curvat agens, omnémque adeò, mirabile viſu,
Involvit vitreâ circùm teſtudine pompam:
Aëra per liquidum latè loca odoribus halant.
Pergula ſupremos lato concluſerat hortos

Limite

Limite, quam nexis ambit per mutua ramis
Tonderi patiens, & ligno ductilis arbor.
Ante alias Iasme priscis Apiaria sæclis
Nativo lentore sequax, tum lætus honore
Lentiscus triplici, & Paphiæ gratissima Myrtus.
Huc operum artifices, hortensi & in arte magistræ
Accessêre manus, nimiam quæ forfice durâ
Luxuriem hinc illinc cædant, ramósque sequentes
Instituant varios animantum inducere vultus.
Ecce inter tonsas frondes, crura omnia solvit
Cervus anhelanti similis; per dorsa, per armos,
A capite in duplices funduntur ramea lumbos
Cornua, in excelso riget auris vertice, & omnes
Excubat in strepitus, omnésque inquirit in auras.
Inde canum manus erumpit, latratibus ille
Totus hiat, tritos alter vestigat odorâ
Nare humilis calles, hic pectora lata, pedésque
Arduus in primos, vestigia cæca videtur
Elapsi sensisse feri, labor omnibus unus
Affectare viam: facies non una, nec unus
Impetus: instat eques curvo venator in ære,
Incenditque canes, illum non fossa moratur,
Non saltus: pedites circùm fremuêre, manúque,
Vocéque dant animos, & proni corpore currunt.
Talia cernenti vox hæc obrepit ad aures.
Cervum turba canum, Priscum venantur Amores:
At non ille canes, non hic vitabit Amores.
Continuò Paulæ coram successit imago,
Pulchrior & solito, tales dedit ore querelas.
Ecquam Prisce fugis? Cur virgo denique sordet
Paula tibi, quam tot votis Romana juventus,
Tot lacrymis ambit? Túne aspernaris amantem?
An tibi sub rigido concrevit pectore saxum?
Armeniæque tibi presserunt ubera Tygres?
Respice te circùm, tibi quicquid cernitur, ultro
Ardet amans, solus placido pugnabis amori?
At Iuvenis memor & Christi, sanctique pudoris,
Reppulit audacem, tanto conamine somnus
Solvitur, obscœnique unà diffluntur amores.
Tartareas exin fraudes, & Numina demens

Vellera divitibus pectunt pendentia ramis,
Nobilibus digitis in telam intexit habendo.
Tres indignati radios intexit amantis
Tres animi, totidemque spei, totidemque timoris.
Huc lenes animi rixas, risusque querelis
Compositos, placidè huc verbis pugnantia verba,
Et teneræ quantùm formæ, tantùm illa rigoris
Addidit, ac telam lacrymarum temperat imbre.
His atque his inter se quæ contraria pugnant
Frontibus adversis, ullâ haud imitabilis arte
Longinquis exegit opus mirabile sæclis.
Vim facit ille animis, Divósque, hominésque, ferásque,
Arboreósque etiam fœtus submittit amori.
Atque hic Cymodoce soror, & soror altera Doris,
Atque oculis Hyale glaucis, & lactea Clio,
Spióque, & Xantho pulcherrima Neptunine
In tremulis nituêre vadis, quarum omnibus extant
Et caput, & nitidi crines, & eburnea colla.
Haud Phorcus, Phorcique chorus, Glaucique senecta
Hinc aberant, Nereúsque pater, Protheúsque futuri
Præscius. Exultat tremulis Inoüs in undis
Grandævos inter puer, & Delphina fatigans,
Mollia, quà libitum est, juncis attemperat ora.
Ecce autem fontis formoso in margine, toto
Quatuor inflabant Tritones pectore conchas,
Et totidem largis rivos pulmonibus efflant.
Vnda micat, quam stare putes, enodis ad instar
Oblongæque hastæ; jugis sic agmen aquarum
Integrat, atque alium ex alio fons sufficit amnem.
Qui summi recidunt latices ludentibus auris,
In teneros fluctus sparguntur, vapulat illis
Vnda recepta lacu, questúque immurmurat æquor.
Tritonum de gente unus postrema coërcens
Agmina, odoratæ magnam jaculatur aquæ vim:
Illa sub ore Dei, patulóque à turbine conchæ
Altiùs assurgens, mollí se fornice sensim
Curvat agens, omnémque adeò, mirabile visu,
Involvit vitreâ circùm testudine pompam:
Aëra per liquidum latè loca odoribus halant.
Pergula supremos lato concluserat hortos

Limite

Limite, quam nexis ambit per mutua ramis
Tonderi patiens, & ligno ductilis arbor.
Ante alias Iasme priscis Apiaria sæclis
Nativo lentore sequax, tum lætus honore
Lentiscus triplici, & Paphiæ gratissima Myrtus.
Huc operum artifices, hortensi & in arte magistræ
Accessêre manus, nimiam quæ forfice durâ
Luxuriem hinc illinc cædant, ramósque sequentes
Instituant varios animantum inducere vultus.
Ecce inter tonsas frondes, crura omnia solvit
Cervus anhelanti similis; per dorsa, per armos,
A capite in duplices funduntur ramea lumbos
Cornua, in excelso riget auris vertice, & omnes
Excubat in strepitus, omnésque inquirit in auras.
Inde canum manus erumpit, latratibus ille
Totus hiat, tritos alter vestigat odorâ
Nare humilis calles, hic pectora lata, pedésque
Arduus in primos, vestigia cæca videtur
Elapsi sensisse feri, labor omnibus unus
Affectare viam: facies non una, nec unus
Impetus: instat eques curvo venator in ære,
Incenditque canes, illum non fossa moratur,
Non saltus: pedites circùm fremuêre, manúque,
Vocéque dant animos, & proni corpore currunt.
Talia cernenti vox hæc obrepit ad aures.
Cervum turba canum, Priscum venantur Amores:
At non ille canes, non hic vitabit Amores.
Continuò Paulæ coram successit imago,
Pulchrior & solito, tales dedit ore querelas.
Ecquam Prisce fugis? Cur virgo denique sordet
Paula tibi, quam tot votis Romana juventus,
Tot lacrymis ambit? Túne aspernêris amantem?
An tibi sub rigido concrevit pectore saxum?
Armeniæque tibi præsserunt ubera Tygres?
Respice te circùm, tibi quicquid cernitur, ultro
Ardet amans, solus placido pugnabis amori?
At Iuvenis memor & Christi, sanctique pudoris,
Reppulit audacem, tanto conamine somnus
Solvitur, obscœnique unà diffluntur amores.
Tartareas exin fraudes, & Numina demens

Explicuit fruſtra mulier, tela omnia Priſcus
Oppoſitâ victor fregit Cruce, luſtráque quinque
Martia tela inter, ſævósque Cupidinis ignes,
Corporis atque animi purus ſine labe peregit.
Talibus ille quidem Paulæ, ſtygiæque docebat
Nequitiæ fraudes, & Chriſti nomen amicum
Virginibus, Priſcíque infando ex hoſte trophæa.
Continuò addebat Chriſti, rerùmque Marinus
Sacrarum Antiſtes. Quid habet tam grande Deorum
Vana ſuperſtitio? Præeunt in crimina Divi,
Et Venus, & Veneris genitor, Veneríſque propago,
Et Mavors, & Apollo: illis jam ganea cælum eſt.
Noſtra vel in ſomnis vigilat ſub pectore virtus,
Belláque ſancta movet, ſtygióque ex hoſte triumphat.
Flaviades tantæ captus virtutis amore,
Chriſtiadûm jubet attolli de more ſepulchrum.
In foribus tumuli, Ionam nil fata paventem
Aſpera, crudeles mergebant æquore nautæ.
Circùm undæ ſpumant latè, tolluntur in altum
Hîc fluctus, illic ſub triſtia tartara ſidunt
Præcipites: longè ſciſsâ ſub nube coruſcant
Fulgura, ab irato minitantur fulmina cælo.
Ecce gubernator tanto in diſcrimine ſortes
Et movet, & Phœbum ſcelerato carmine poſcit!
Inſontes pariter nautæ, ſontésque tremiſcunt
Solliciti, quem fata vocent, quem damnet Apollo.
Fluctibus aſſurgens immani corpore cetus
Os horrendum aperit. Quali diſcedit hiatu
Tænarus in terras, aut vaſtis faucibus Orcus.
Excipit excelsâ Ionam de puppe cadentem
Bellua, & exceptum peregrino in litore ponit.
Parte aliâ Laſarum Chriſtus, quem quarta ſepulchro
Jam nox atra tenet, ſanie, tabóque fluentem
Evocat. Ille caput lino velatus, & omnes
Implicitus membrorum artus, procedit, & altum
Oſtentans caput, & terras ſtupefecit, & aſtra.
Iſacidum Proceres retro fugêre, vel ipſo
Pallentes hæsêre loco: Chriſtum ille tuetur
Luminibus tacitis, Laſarum ille, hic conſcia cæli

Sidera

Sidera teſtatur, trepidis vox omnibus hæret.
Tu Domini Madalena pedes complexa tenebas
Multa tremens; oculisque immota ſtupentibus: hauſit
Tanta animum ſensúsque omnes reuerentia Chriſti!
Non ſic Martha ſoror, quamvis perculſa tremore,
Nec dum firma ſatis nitens veſtigia ponas:
Is tamen, & nodos ac lenta volumina ſolvis.
Marmoreos ſupra poſtes in vertice ſummo
Attoniti repetunt Manes ſua corpora; námque
Cælicolæ Aligeri longè procul ære canoro
Increpuêre animas reſides. A quattuor orbis
Partibus illæ aderant properæ, deſertáque quondam
Hoſpitia, antiquásque domos ac tecta reviſunt.
At nebulâ in rutilâ Chriſtus, multâque verendus
Majeſtate ſedet, quem circùm plurimus ambit
Cælicolûm chorus affuſus, mediúmque coronat.
Tu propior terris, & multâ luce coruſcans
Exultas; Michaël, fratrum comitante catervâ
Dividis in partes populos: hinc crimine puri
Stant dextri, fontes illinc tenuêre ſiniſtram.
Vix ibi conſtiterant, tum facta ſilentia Mundo:
Omnia terror habet, venti poſuêre, reſidunt
Æquora, nec rabidi reſonant ad litora fluctus.
Sol medio ſtetit in curſu, bigásque repreſſit
Luna, ſub immoto ſtupuerunt ſidera cælo.
Increpuêre iterum litui, mox ultima Chriſtus
Arbitria exercens, pœnis Acheronte ſub imo;
Crimine lætatos, olim dum vita maneret,
Subjicit æternis: pulchrâ virtute decoros,
Perpetui partem in regni, vitæque vocavit.
Continuò Furiæ ſub Tartara nigra ſceleſtos
Præcipitant: partem rapiunt ſub torrida vivo
Sulphure, & ignito liquentia flumina plumbo:
Partem aliam luxu quondam, Veneriſque nefandæ
Ignibus ardentem, mergunt glacialibus undis.
Interea vitâ innocui ſuper æthera Chriſtum,
Aligeros inter cœtus comitantur, & altum
Cælum introgreſſi, vitâ felice beantur.
Hoc mediâ carmen deſcriptum in fronte nitebat.

Nec

Nec ſtygio vivus, noſtro nec mortuus igne
Vritur: ardebat Priſcus meliore favillâ.
Interea feſtam, revolutis menſibus, annus
Adventare monet lucem; quam ſemper habebat
Flavius eximiam, ſummóque colebat honore:
Ex quo Chriſtiadûm media inter nubila ſignum
Spem dubio dedit, atque altas immiſit in Alpes.

LIBER SEPTIMVS.

ARGVMENTVM.

RELIGIO.

ARGVMENTVM EXPLICATIVS.

Conſtantinus ſolemnem agit diem feſtum, quo illi Crux in cælo apparuerat. Quare caſtris ad Sacellum proceditur. Crux in Labaro tunc primò geſtatur, qui mos ad nos uſque pervenit. Sacrificatur Chriſtiano ritu. Sacra concio habetur, in quâ Chriſti de Dæmonibus victoria narratur, & ad reliquias belli ſancti excitatur miles. Erumpit de civitate hoſtis, ac refutatur. Conſtantino copias ex universâ Galliâ ducit Memmius, idem narrat cur Diocletianus Conſtãtinum odiſſet, & Hiſtoriam illius temporis evolvit. Ab Antonio Magno literæ dantur Conſtantino, quarum meminit Athanaſius in vitâ Antonij. Epulis Epiſcopos & Proceres accipit Conſtantinus. Super menſam canitur Chriſti Aſcenſio.

NOTÆ.

I. Cùm Religioni hic Liber dicatus ſit, plurima pietatis Chriſtianæ myſteria in eo contineri mirum videri non debet, immò turpe eſſet atque vitioſum, ſi debellata Idololatriâ, veram pietatem non induceremus. Eâ de re oſtento illo, quod Euſebius narrat, finis Poëmatis continetur. Mihi enim viſum eſt magis eſſe ex arte finem ante vertere, quàm ſuo loco, ut Hiſtoriæ leges volunt, illum conſtituere. Quod etiam placuit Virgilio, qui Æneidos Lib. I. Herois ſui apotheoſin, & ſub medium libri duodecimi rerum atque regnorum converſionem narravit. Quare Maphæi me miſeret, qui ſupplere id voluerit. Finis porro noſtri Poëmatis eſt Religio de Idololatriâ triumphans. Quæ res hic luculenter præſtatur his verſibus, *Illa Babel cecidit*: Atque rem eam & verba ab Apocal. B. Ioann. accepta eſſe nemo non videt.

II. Iphicrates in vindicandâ majeſtate Imperij imitatur ſeveritatem Torquati, ut ea eſt in Livio, & hominis Hiſpani fortitudinem in morte filij contemnendâ, quam apud Marianam licet legere.

III. Hiſtoriam Conſtantinianæ ætatis per magiam Memmius memorat; de qua varij omnium gentium ſcriptores meminêre.

IV. Commercium literarum magnum inter Antonium, & magnum Conſtantinum fuiſſe refert magnus item Athanaſius in vitâ Antonij.

EXPECTATA dies feſtas tentoria circùm
Principis excierat gentes, longâque decori
Veſte Sacerdotes aderãti hoc ordine pompa
Prodit, & officij retinẽs caſtra omnia luſtrat.
Haſtili in longo Labarũ præit, unde ſequẽtes
Mos venit in populos; ut cùm per templa, canentum

It

It chorus, effuſæque urbes ad limina Chriſti
Nunc properant: Crux præ turmis eat ardua; & illinc;
Atque hinc, incenſis gemini funalibus ignes.
Caſta Sacerdotum duplici collegia verſu
Continuò ſubeunt tenui candentia lino;
Tonſa coronati ſolenni tempora ritu.
Alternis illi cecinêre, alterna viciſſim
Reſponſant longè colles, vallésque ſupinæ.
Huc ades, ô! cæli & terræ, Mundique repertor,
Æternæ ſobolis Pater: Et tu æquæva Parenti
Progenies: Túque, ô! communis Spiritus, unus
O Deus, atque Trias, facilis miſerêre tuorum.
Túque, ô Diva Parens & Virgo, his annue votis
Oratrix, Natique iras averte precando.
Et vos ætherei Iuvenes, gens neſcia fati,
Ferte pedem: túque illorum fortiſſime ductor;
Tu qui præcipitem quondam ſub nigra dediſti
Tartara prædonem cæli, qui dura potenti
Prælia Chriſtiadûm victor ſub Numine torques:
Tu quoque biſſeni Princeps, ô! Petre, Senatûs.
Pérque alios inde atque alios ivêre, beato
Illuſtres ſua quos virtus donavit Olympo:
Seu quicunque olim ſub iniquo judice, pulchras
Pro Chriſto fudêre animas, vitásque dedêre:
Seu quicunque Deum teſtati voce per orbem
Pontifices, Sacrisque operati caſta Miniſtri
Per Templa, & Chriſtum populos docuêre canendo.
Seu ſolos quicunque Deum coluêre per agros,
Pérque antra, & denſis inter nemora avia ſilvis.
Nec non & ſexu in fragili, quæ ſanguine fuſo
Tartareas fregêre acies: de cælibe lecto
Et quas Virginitas ſummum ſuper æthera vexit.
Iſta Sacerdotes divinâ voce canebant,
Alternántque vices, tacito dum Flavius ore
Ponè ſubit, ſumptísque exercitus omnis in armis:
Voce humiles, animo ſublimi ſidera pulſant.
Quò chorus iſte, ſibi quid pompa, tuentur ab altis
Mirantúrque hoſtes muris, atque omnia ſignant.
Mollis erat tumulus pro caſtris, vertice ſummo
Purpureis ſtabant altaria conopœis,

Subter

Subter & in ſacros uſus quæſita ſupellex.
Quò poſtquam ventum eſt, æterno maxima Patri
Ritè Sacerdotum manibus cadit hoſtia Chriſtus.
Continuò fandi doctiſſimus, ore Marinus
Dividit in populos vitæ pollentia verba.
Æſtivo veluti tellus à ſole peruſta
Cùm ſitit, & toto pluvium bibit ore liquorem.
Denſi humeris populi, divinæ ad flumina linguæ
Ore inhiant, avidóque ardentes pectore ducunt.
Fatur enim, Crucis impactâ quì cuſpide Chriſtus
Tænarios rupit poſtes, ſpoliisque ſuperbum
Regnatorem Erebi, ferro, flammisque revinxit,
Principiò ut Limbos (quæſitum id nominis illis
Sedibus, extremo poſitæ quòd margine terræ
Sub Styga non penetrent) tenebris loca cæca ſubivit.
Narrat ut æterni poſtquam patuêre receſſus,
Vmbræ irent annis victæ, fractæque veterno:
Humani generis pater, atque exinde Noachus
Vitiſator, tum gentis Abramus origo fidelis,
Et Moſes, priſcique deïn magno agmine Reges,
Et patres, & avi, proavíque, & nomina mille.
Orator velut à reliquis, quæ plurima turba eſt,
Fatidicâ Chriſtum Ieſſides voce ſalutat.
Hoſtili gentes ut quid fremuêre tumultu
Inſanæ? Studiis populi quid inanibus ardent?
Terrarum latè domini, martisque ſcientes
Pacto inter ſe eadem venêre in fœdera bello
In Patrem, Natúmque, ſacro quem tinxit olivo.
Téne Cruce in rigidâ diſtentum? Téne cruentis
Perfoſſum ſpinis caput? Ah! Gens impia falſo
Duceris: ille tuos tulit æquâ mente furores,
At non uſque feret: crudeli à morte receptus
In vitam, juſtis populos, Regésque ſubactos
Imperiis, duro contundet verbere ſceptri.
Salve, magna Dei ſoboles, Deus ipſe: perennis
Tu vitæ, mortísque potens: Te Regia cæli,
Te tellus ſubmiſſa colit: pars tertia rerum
Hæc quoque vincatur: ruptis hæc vincula clauſtris
Diſcute, nósque ſequi ardentes rape in omnia tecum.
Dixerat, aſſenſêre omnes, fremitúque ſequuntur,

Qualem vere novo, placidis leniſſimus alis
Dat Zephyrus, ſilvasque interſtrepit aura Favoni.
Tum corde in miſeros facili, ſpésque unica Chriſtus
Hunc dextrâ petit, hunc lævâ, hunc miſeratus utrâque,
Omnibus inſpirans robur, totósque per artus
Infundens lucem: cum luce ſupervenit ingens
Et vis, & decor, & celeri pernicior Euro
Mobilitas, plagarum & duri funeris expers.
Addidit Antiſtes, Patrum ut ſtipante catervâ
Altiùs in terras Chriſtus penetravit, acerbis
Defunctos expurgat ubi vis flammea Manes
Suppliciis, atque ipſa levis veſtigia culpæ,
Ignibus ad purum lentis coquit uſque nitorem
Sordibus innatis. Veluti concreta refoſſi
Gleba nitens auri vitium fornacibus omne
Exuit, & labis ſincero corpore floret.
Poſtquam (ait) ætherea miſeri ſub luce micantem
Bis genitum vidêre Deum; tum attollere mentem,
Spéque novâ lætas cæli præſumere ſedes:
Nec fruſtra, quoniam bonus indulgere, diéque
In tanto melior, tenebras atque omnia Chriſtus
Vincula diſrupit. Mox ſub Styga, & ultima rerum
Pergebat ſacer Antiſtes deducere pompam.
Obſcœnæ facies (inquit) turpésque videri
Sontum infelices animæ, ſceleratáque monſtra,
Prædones ſtygij, juſto ſub Numine, ſævis
Impia fulminibus quondam ſub tartara miſſi
Æterno dant æternas in carcere pœnas.
Huc igitur poſtquam ventum eſt; Cruce limina Chriſtus
Impulit, horrendùm ingentes ſonuêre receſſus.
Ipſe adeò verbis. Avulſo cardine portas
Tollite Rectores Stygis: & vos ite ſoluta
Poſtibus æratis, longéque abſiſtite clauſtra.
Rex ſubit æternæ laudis dator. Intus at illi
Hæc fremere. Hic Regum nulli, laudisve datori
Imperium. Duros repetito verbere Chriſtus
Increpuit poſtes: repetitâ voce refutant
Nocte ſati fratres, & inania jurgia rident.
Viribus adductis at poſtquam totus in ictum
Incubuit Chriſtus, portis tum clauſtra revulſis
Admisêre

Admisêre diem, nullis ætate priori
Viſam illic, nullis æuo veniente videndam.
Actutùm olli inter flammas, fluviósque flagranti
Sulphure torrentes, & cæco turbine fumum
Vndantem, tenebras captare. Hîc Lucifer ille,
Æthereos inter juvenes fortiſſimus, acri
Seditione potens; primi fax una tumultûs:
Quem populi votis, poſitis quem altaribus ipſi
Ambivêre duces: turpis pædore, ſitúque
Perditus, & centum vinclis, nodísque revinctus
Dira fremens, medio revolutus in igne jacebat.
Vt Chriſto coram ſtetit, atque ut luce ſub ipsâ
Qualis erat, vero tandem ſe prodidit ore.
De ſoliis ivêre ſuis, qui ſceptra potenti
Moliti quondam dextrâ: quique ultima rerum
Bactráque, & oppoſito ſummotam in litore Thulen,
Quique ſuis totum frænarunt legibus orbem.
Poſtquam autem flammas inter vidêre rudentem,
Attonitis fruſtrata hæſit vox gutture, tandem
His indignati rupêre ſilentia verbis.
Quî tandem ætherea cecidiſti Lucifer arce?
Tu matutinâ ſolitus qui luce nitorem
Irrorare polo, & pulchro decus addere Soli.
Ergóne te ſeptem quondam ſuper ire Triones
Victorem ſpondes; nec cæli auctore minorem
Et ſapere, & rebus certas imponere leges?
Tu rerum ſapiens, ævi tu conſcius acti,
Venturique ſciens: tu vitæ ſpésque, ſalúsque!
Nunc age, nunc tandem circùm te reſpice. Quonam
Lucifer illi animi? quò vana ſuperbia? nempe
Tu noſtri ſimilis; nec plebi diſcolor ulla
Parte tui. Téne hæc tandem ſervilia paſſum
Ludibria, æternúmque Acherontæ jacere ſub îmo?
Os illi interea rabidum, fera corda tumultu
Et diri abſiſtunt oculis ardentibus ignes.
Mugitum ciet horrendum, quo Tartara longè
Pulſa ſonant, ſtygiíque lacus, atque intima leti
Tartarei domus. Hoc gemitu, mirabile viſu,
Extemplò converſæ Vmbræ, Manésque profundi.
Impietas iterum in præcordia nota recurrens

Vſque furit. Chriſtum & comites fulgore coruſcos
Purpureo, torvi flammato lumine figunt.
Nempe hi ſunt, quorum vitâ de ſimplice, & omnis
Flagitij purâ, riſus captare profanos
Haud pudor ullus erat quondam, quos mentis iniquæ,
Conſilij vacuos, & pulchro fine carentes
Credidimus miſeri: nunc illos nomine dixit
Et cenſu natos Deus. Atque hæc ore cruento
Dum memorant, illos Chriſtus ſic increpat. Alta
Styx illo dicente ſilet, pavidóque cohortes
Tartareæ, & gelido Manes horrore tremiſcunt.
Sta contra, & compone gradum. Quò lumina vertis?
Nunc te bella vocant: Quò te fuga Lucifer? At non
Divinæ veniunt faſtu conſortia vitæ,
Aut ſolium regni, ſummique potentia cæli.
Vicimus informi ligno, durâque triumphum
Mercati Cruce, felici regnamus Olympo.
Hâc Regum faſtus, hâc gaudia mentis avaræ
Fregimus, hâc venerem reſtinximus, hæc mihi de te,
Déque tuis, poſthac erit immortale trophæum.
Dixit, & averſos concuſſit ter Cruce poſtes.
Olli intus trepidare animis, rutilúmque pavere
Ad Crucis oſtentum, ceu quondam Gorgone visâ
Attonitas acies referunt lapideſcere Graii.
Quare agite, addebat divinâ voce Marinus
Altiùs increpitans: eliſis viribus hoſtis
Vix caput attollit. Tortus velut anguis, acerbo
Quem medium ſaxo paſtor, vel concita ſtrinxit
Orbita, nequidquam ſævit, rupto impetus omnis
Frangitur in nodo, ſpiræ ſolvuntur inanes.
Et nunc ille trahit tenues, plagísque cruentas,
Per varios Aſiæ populos ductore cohortes
Licinio. Vos macti eſtote, & laudis opimæ
Quod ſupereſt, prenſate animis, & vincite dextrâ.
Talibus ille quidem orabat, populósque per omnes
Atque Crucem domitricem Orci, Chriſtúmque docebat:
Aſſurgunt ollis animi, juvat ire cruenta
Bella per, & duro juvat indulgere labori.
Continuò repetunt pompam, diverſa viarum
Per ſpatia, accenſis obeunt caſtra omnia ceris,

Et

Et ſacra deducunt magnum per carmina Regem.
Ordinibus plenis poſtquam ad Prætoria ventum eſt,
Talthybius populos tumulo Tyrrhenus ab alto
Admonuitque tubâ, atque his facta ſilentia ſolvit.
Hæc Superis ſacra lux eſto, quæ craſtina ſurget,
Regia committet feſtos per præmia ludos.
Hæc ubi dicta dedit, tentoria quiſque receſſit
In ſua, ſpéque capit venturæ gaudia lucis.
Interea Byzantinos Cerealia dona
Deficiunt: acri Pheream, cui ſanguine venæ
Ardebántque animi, belli tædebat inertis.
Ergo adiit patruum Iphicratem. Fortiſſima tandem
Corda quid ignavo ſuades tabeſcere fato,
Imbellique fame? Non eſt miſerabile mortis
Nomen, at obſcuro miſerum eſt torpere veterno
Poſt tot bella duces. Gladios circùm ilia nobis,
Dum reſides morimur, ſcabrâ rubigine tingi
Eſt pudor: in noſtris virtus hebet ignea venis.
Bis morimur, qui ſic morimur. Nos fortia quando
Bella vocant, quænam fortes occumbere pulchrè,
Invidia eſt? Tamen haud omnes moriemur inulti,
Si quid fortè ſinis: noſtro de vulnere ſæpe
Mors ſequitur: juvat & noſtrâ traxiſſe ruinâ
Chriſtiadas, illâque ſuper procumbere cæde.
Nunc age, quid Caius, quid priſcis æmula rebus
Dicet poſteritas? Tam forti pectore pubem
Nil puduit periiſſe, tremens cùm caſtra foveret
Hoſtis, & ad muros contra ſpectare timeret.
Ah! tantum prohibe ſcelus. Olli talia paucis
Iphicrates. Tua te præceps, & neſcia rerum,
O! Pherea, rapit incautum, tollitque juventa.
Obſeſſos quæ res deceat, quæ gloria, neſcis:
Mœnia tutari viciſſe eſt. Prælia forti
Aut miſcere manu, rapidósve irrumpere caſtra
Non decus hoc noſtrum: curet qui talia, victor
Mox aderit Caius, cùm vallum invaſerit ille,
Tum magnis fortes animis exire, manúmque
Conſerere, & trepidis alacres inſtare licebit.
Ante nefas eſto. Iuvenili mente pudebat
Imperij Pheream. Vix ergo lutea rebus

Lucem

Lucem inducebat tenebris aurora fugatis,
Cùm portis erumpit: eum ter mille ſequuntur
Criſtati juvenes, pubis lectiſſima virtus.
Vt medio ſtetit in campo, vox vnde per alta
Murorum longè potuit faſtigia ferri:
En olli, qui ſe totum ſub viribus orbem
Mittere jactabant: En quorum fama per omnes
Terrarúmque marisque oras jam ſparſa, reſedit,
Scilicet illiſa ad ſcopulum. Sors omnia vertit,
Obſeſſi quondam nunc verſis partibus hoſtem
Cingimus, & clauſum vallo caſtrisque tenemus.
At non hæc Chriſto quondam promiſſa, nec iſto
Fœdere, ſed ſacros ritus, aràsque Deorum
Vertere, Iudæásque Cruces imponere Templis.
Illo fortè die, celſis pro turribus acres
Hiſpani ſteterant, quos poſtquam in prælia ductor
Fervere conſpexit, caſtris emittit, & illis
Præficit Antimachum, primâ lanugine malas
Florentem Antimachum, Pherez non impare formâ.
Cunctantur nihil hîc juvenes, haſtilia dextris
Eminus intorquent: magnis ſtridoribus actum
Oppoſito ferrum Phereas umbone repellit.
Antimacho latâ perruptum eſt cuſpide pectus:
Corruit, & campum conſtravit corpore: totas
Implicuêre acies ſocij: cadit Ornytus enſe,
Haſtili Torylas, Catienus arundine, ſaxo
Phocius, atque aliis alij fata aſpera telis
Inveniunt miſeri. Sævi duriſſima martis
Flaviadas vis urgebat ductore perempto,
Et tot Principibus: tandem ergo in caſtra fugaces
Præcipitant: inſtat victor, portisque ſub ipſis
Fervidus ingentem magnæ dat ſtragis acervum.
Ecce duo fuerant juvenes, Popienus & Vfens:
Bæticus hic, ille Armoricis de gentibus, illos
Æmula jampridem ſtimulis acuebat acerbis
Gloria, & ardentes in aperta pericula miſſos
Sæpiùs inſigni decoratos laude ferebat.
Nunc etiam aggreditur Popienum talibus Vfens.
Quid dubitas, Popiene? Timor nunc omnis abeſto:
Hîc Mavors pater, hîc victoria. Talia fatus

Continuò Thracas magno clamore frementes
Excipiens, Dorylo trajecit pectus, & Oenum
Ductorem cunei fatali perculit enſe.
At circumfuſæ mediùm tenuêre catervæ
Implicitum. Non hîc lætus livore maligno
Æmulus, ignavo tentatur pectora motu:
Nec tulit Vfentem coram procumbere, totas
Námque animis ardens vires collegit, & unà
Denſatos rapitur ſtricto mucrone per hoſtes.
Hunc gladio necat, hunc clypeo propellit, & uſquè
Fulmineus, vertitque acies, recipitque ſodalem,
Et ſine more furens medios penetravit in hoſtes.
Converſis ergo ordinibus circùm undique ſeptus
Vix animis, ferróque inſtantia fata retardat.
Lætitiâ exultans Vfens, ſortisque beatus
Oblatæ, in clypeum aſſurgens, gladióque coruſcans
Agmina proturbat, pulchrâque acerrimus irâ
Limitem agit vaſtum, & Popienum vindicat armis.
Bellum inière pares, bello rediêre viciſſim
Vſque pares, feſtâ redimiti tempora quercu.
Eïa agite, ô! animæ viles, quos nomen inane
In præceps rapit. O! Franci, quos vana cruentas
Mens agit in cædes, alternáque funera: Fortes
Diſcite quod deceat decus, & quæ gloria belli.
At neque Chriſtiadæ, neque Chriſti ſanguine poto
Illi jurarant inter ſe fœdera pacis.
Ecce Creon portâ denis cum millibus exit
Flore juventutis: longos qui ritè maniplos
Explicat, & Phearam contra ſimul agmina cogit.
Paulatim ille retro recipit ſub mœnia turmas
Inſcius, heu! fati, nam dum hinc pugnatur & illinc,
Vi capitur puer Eurymedon. Hic unica proles
Iphicratis, nondum bis ſex ſuperaverat annos,
Atque inmaturo belli ſuccenſus amore,
Clam medias inter turmas obrepſerat. Illum
Ad muros ergo rapit hoſtis, & inde parentem
Voce vocat magnâ inclamans, & talia fatur.
Eurymedonta pater poſtremùm reſpice. Nati
Si qua movet pietas, victori mœnia pande.
Atque ea vociferans, gladium mucrone coruſco

In

In jugulum puero intentat. Quæ Rector ab altis
Mœnibus Iphicrates cernens, haud lumina retro
Magnanimus vertit: patrium ſuperabat amorem
Pacta fides Regi, & famæ venientis imago.
Agnoſco natum genitor, nec barbara duram
Impietas, inquit, dedit iſto in pectore rupem:
Duravit virtus animum: ſi vivere tanti
Eſſe putat natus, pulchróque occumbere fato
Forte reformidat, jam tum virtute paternâ
Excidit. O! utinam patriæ, Regique litare
Hac animâ liceat. Ne veſtris auſibus ulla
Nectant fata moras, ex hoc ſpes diſcite veſtras,
Iphicrates gladios genitor dabit. Atque ita fatus
Vaginâ educit, miſitque à turribus enſem:
Mentéque compoſtus placidâ, ſua tecta reviſit,
Et potuit pro more epulis accumbere, magno
Seſe attollentes placans ſub pectore motus.
Hæc ubi Flaviades famâ referente docetur,
Increpitum durâ damnat feritate Creontem,
Continuóque ſuas puerum complexus in ulnas,
Eurymedonta patri multâ cum laude remiſit.
Addit equum, clypeúmque, enſémque, & caſſida,& aureis
Loricam conſertam hamis, haſtámque vibrantem.
Creſce, inquit, puer, & cùm te firmaverit ætas,
His, acies inter medias, & prælia Martis
Vtere, te noſtro donatum munere proſit.
At Pheream Iphicrates juvenili laude tumentem
(Tanta fuit, noſtris, heu! pridem incognita ſæclis,
Majeſtas quondam Imperij) pubíſque, ducúmque
Concilio in magno, totâ ſpectante coronâ
Faſcibus increpitum ſubjecit, & inſuper addit.
Non ego te, non Eurymedon hoc funere mactat,
O! Pherea. Te ſpreta necat reverentia legum.
Obſtupuêre acies, longásque ſiletur in horas.
Memmiadum interea priſco de ſanguine cretus
Antevolans tardum longè præceſſerat agmen
Quinctius, illius pronepos qui ex Vrbe profectus
Primus Aquitanis olim conſederat arvis:
A quo per tot avos venit gens Memmia, quæ nunc
Pariſiis primos meritis ſortitur honores.

Ille

Ille unà cum Flaviade à puerilibus annis
Et tacitas Muſarum artes, Martisque laborem
Edoctus, ſimul & Diocleâ adoleverat aulâ.
Nunc autem auxilio Gallos Legatus agebat.
Hinc ſextâ poſt luce (inquit) ſanctiſſime Regum;
Celtæ aderunt, omnis lectâ de gente juventus,
Et veteres forti ſupplebunt milite turmas.
Atque hic Memmiaden, ipſos poſtquam ordine longo
Ductores, & diverſas per nomina gentes
Narraſſet memorans, medium complexus in ulnas
Flavius egregiâ decoratum laude ferebat.
Talibus illum etiam compellat: Dic age, Quincti,
Nunc quoniam nobis primùm eſt oblata facultas,
Et fas & vacuum eſt, teque unum hæc ſcire loquuntur,
Ex quo in amicitiam Diocli, arcanósque venire
Suetus eras olim ſenſus, ediſſere tandem
Cur tantis in nos odiis exarſerit. Ille
Subjicit. Et memini, & certè meminiſſe neceſſe eſt.
Quòd ſi tantus amor Regum cognoſcere fata,
Et juvat eventus rerum tentare latentes,
Accipe; quæ noſtri ſtupeant audiſſe Nepotes.
Cæſareas intra locus eſt ſanctiſſimus ædes,
Quò populis penetrare nefas, turbæve clientum:
Huc Diocli quondam ſolitum ſecedere: ibique
Imperii momenta animo verſare: cruentum
Seu placuit bellum, aut pulchram componere pacem.
Hic curvâ Conopœi teſtudine ſubter
Surgebat tres in cubitos altare: flagrabant
Accenſi circùm foculis halantibus ignes:
Stant impoſta ſuper diriſſima ſigna Deorum;
Aureus atque viro major Dis arbiter Orci;
Torváque Perſephone, Furiarúmque horrida circùm
Agmina, & humano gaudentes ſanguine Parcæ.
Poſtquam intrò Diocles ierat, libavit acerrâ
Impius: Ipſe ſequor ſcelerato thure vaporans
Nomen inane (mihi nondum tua Numina, Chriſte,
Cognita) tum mugire ſolum, tunc cuncta moveri
Viſa mihi, & latè rutilam comprendere flammam.
Ter ſceptro horrendùm emicuit, ter vertice Pluto
Annuit, & toties dextram Dea ſæva tetendit:

Tartareis oculi Furiis arsêre coruſci.
Palluit hîc verò Diocles, licèt artibus illis
Sæpiùs à ſtygio Manes Acheronte vocaſſet.
At mihi ſupremo riguerunt vertice crines
Arrecti: coïit circùm præcordia ſanguis.
Huc illuc volvens oculos reſpecto, nec uſquam
Autolycus, tantæ fraudis, ſceleriſque repertor.
Mirabar, cùm ſe tabulato ſola ſupremo
Tibia, pésque hominis ſenſim demittit, & aras
Exultans circùm graditur, mox altera prodit
Oppoſitâ de parte: manus conjuncta lacerto
Erumpens aliunde ſalit: tum cætera ſeſe
Attollunt membra, & vacuâ ſpatiantur in aulâ:
Mox coïêre: caput tabulis deſcendit ab altis,
Divulsósque artus, corpus compegit in unum.
Iam mihi vera hominis facies, jam apparuit ipſe
Autolycus, radiúmque ferens, viridémque galerum,
Omnia Mercurio ſimilis, quando æthere ab alto
Imperiis Superûm, Manes deſcendit ad imos.
Vix ibi conſtiterat, cùm verba incondita miſcens,
Barbaricósque fremens Divos immurmurat ore.
Protinus adverſo pendens in pariete tela
Sponte ſuâ varios ultro diſtincta colores
Induit: apparet centum ſublime columnis
Templum ingens: Dioclis clarâ ſe in luce figura
Objicit in medio, cultúque, oríſque colore
Non impar Diocli: tantúmque habet illius inſtar;
Vt mihi cernenti coram, propiúsque tuenti
Haud fuerit licitum falſo ſecernere verum.
Illa ergo terram ſceptro, quod fortè gerebat,
Bis decies ferit, inſonuit ſub verbere tellus,
Et totidem Imperij volvendos deſtinat annos.
Continuò Templum vaneſcit: floribus horti
Succedunt variis; atque hîc exultat imago
Lauro cincta caput, tandémque receſſit ad aſtra.
I cælo, Princeps (exclamat nomine Regem
Compellans Vates) terrásque tuêre jacentes.
Atque ea res Dioclem per viſum oblata fefellit.
Bis denos vitæ fruſtra ſperaverat annos
Imprudens, æſtas quem tertia ſuſtulit: illi

Præterea

Præterea Autolycus fallebat pectora laude.
Nunc reliquos mecum Flavi cognoſce. Feroci
Actutùm Herculius ſeſe ſuper intulit ore
Multa fremens, nec pacis amans, ſortisve quietæ.
Bis novies terram tum verberat; ilicet hortos
Ipſe quoque ingreſſus poſito diademate triſtis
Exercet, facti mox illum tædet, & ecce
Imperium fruſtrà repetentem fata tulêre
Informi leto; fracto nam gutture, turpis
Et mediâ tandem jacuit revolutus arenâ.
Quò te fata vocant? Iovium ſectare, nec ultra
Herculio licitum. Vates addebat. Et ecce
Continuò præſtans animis & corpore pulcher
Ille tuus ſubiit genitor: vix annuit alto
Ter radio: indolui actutùm, nec voce peperci
Indignans: quin & viſus ſuſpiria primùm
Ducere tum Diocles, lacrymis perfuſus obortis.
Tanta inerat Chloro ſpecies, & tanta nitebat
Majeſtas: mox ille tamen trans æquora longè
Transque orbem evectus noſtrum, mea vota fefellit.
Pone humili ſubiit de gente Galerius, atrox
Ingenio, vultúque minax: hic pondere ſceptri
Septem annos numerat, quam triſti funere vitam
Clauſerit, ingenti dabat argumenta dolore.
Viſceribus ruptis tabo vitiata fluebant
Exta, & adhuc vivo rodebant pectora vermes;
Heu! dura, at Chriſti læſo pro Numine juſta
Supplicia. Ecce ingens & triſti mente Severus
Oſtendit ſeſe tantùm, greſſúmque repreſſit.
Illius extemplò prodit comes, atque furenti
Ore minax, decies repetito verbere terram
Perculit, & vacuâ indignans ſeceſſit ab aulâ.
Herculij ſequitur proles Maxentius, ille
Non hominum, non ille Deûm, non juris amicus,
Ter vibrat ſceptrum minitans, mox raptus aquarum
Vorticibus, regnique urbisque reliquit habenas.
Quid memorem Caii vultúmque, animúmque ferocem?
Qui ſemel & decies tactâ tellure, ſuperbum
Inſeruit collum teſti. Si rite recordor,
Et certè memini, mecumque remetior, illi

Vltimus hic vitæ & regni decurritur annus.
At tu, Flaviade, ſcenam poſtremus inibas
Ore habitúque Deo ſimilis, tibi laurus obibat
Tempora, & Eoo quæſitæ gurgite baccæ.
Purpureo veluti cùm ſurgit ab æquore Titan,
Nocturnæ roſeo pallent ſub lumine flammæ.
Haud aliter te turba ducum veniente relanguet.
Obſtupuit viſu in tanto, retróque retrorſit
Lumina, & irato Diocles expalluit ore.
Tum magis ægreſcit, ſceptri cùm verbere terram
Vltra ter decies quatis, atque profana Deorum
Numina, Agrippino circùm radiantia templo
Dejicis, ínque locum Chriſtúmque, Crucémque reponis.
Continuò furiis amens: Proh! Iupiter, inquit
Exclamans, etiam Superis illuſerit? Atque his
Vocibus intremuit Vates, ſceleratáque ſolvit
Carmina, & abſcedens tenues ceu fumus in auras
Vanuit, & vacuâ attonitos dimiſit in aulâ:
Hinc Diocles furere, hinc tantæ primordia labis.
Finierat, quando (ſic digerit omnia Chriſtus,
Et Conſtantiadæ pro relligione reponit)
Iam longum permenſus iter, ſub Principis ora
Euſebius veniens, coram ſic ora reſolvit.
Huc adſum, Conſtantiade, tua juſſa ſecutus,
Africa quàm magna eſt, telluris quidquid ab uſque
Atlantis radice jacet, Carthaginis altæ
Mœnia, & arentes Libyæ ſitientis arenas,
Ægyptúmque adij, ſeptenáque flumina Nili.
Inde timor belli nullus: námque omnis in arma
Surgere quæ potuit pubes, ea miſſa per æquor
Licinio, atque tuo cecidit per prælia marte.
Inde Arabas, Syriámque, & magni mœnia vidi
Antiochi; hic cæco belli fremitu omnia fervent.
E Syriâ jam nunc legio bis quina coïvit,
Sufficiunt Arabes totidem, Nabathæáque regna,
Et totidem Parthi jam nunc legiſſe feruntur.
Hactenus armorum memini, nunc aſpice ſacra,
Præmiáque armorum. Æthiopas contermina tangit
Thebaïs, hic agitat ſanctos Antonius annos.
Illum ergo (quoniam tua ſic mandata ferebant)

Antra per inquiro, defertaque luſtra ferarum.
Iam ſenior nemore in ſolo, procul urbibus æyum
Tranſigit, & Superûm deliquus ac numine gaudet.
Ille ubi me ſilvâ gradientem vidit in alta,
Continuò ſanctis medium complectitur ulnis.
Tum retulit memorans rerum monimenta tuarum,
Præliáque, haud aliter quàm ſi pars magna fuiſſet.
Interea dum multa canit ventura ſub auras,
Nox medio ſtellata nitens ſurgebat Olympo:
Abditur in tenebras, ſilvæque involvitur umbris.
Pone ſequor, tacitusque ſenis veſtigia ſervo.
Horrendam ille ſuper cautem, ſublimis in altum
Suſpiciens, lacrymis manantia ſuſtulit ora:
Tum ſtetit in longas hærens immobilis auras.
Atmihi, cui dubio nabant jam lumina ſomno,
Occurrunt ſimulachra modis variantia miris.
Pulcher ab Eoo nobis quà litore ſurgit
Phoſphorus, affuſa ſenſim nubecula luce
Criſpa tumet, ſummo propior quò tollitur axi,
Grandeſcit magis, & motu portenta minatur.
In varios, ſtetit ut ſummo ſub vertice cæli,
Induitur vultus: hic longo tramite ſuſa
Ducitur in muros; illic diſcrimine juſto
Tollitur in turres, pinnisque minacibus arces
Criſtatas cælo attollit, pontesque reductos
Obicit, & ferro portarum horrentia clauſtra.
Denſior in foſſas ſubſidit, & æquore circùm
Torrentes refluo, poſitaque crepidine vallum.
Mœnia quinetiam, dictu mirabile, ſignis
Martia ſublatis pubes cinxêre corona,
Romanas illic aquilas, Caiúmque furentem,
Eoáſque acies vidi, portentaque Divûm
Agmina. Nodoſo ſævibat robore clavæ
Horridus Alcides, arcu phareträtus Apollo,
Vibranti Liber thyrſo, Mars impius haſtâ,
Arbiter & belli nequidquam Jupiter, atque
Cornuti ſub fronte ferox Ægyptius Apis.
Heſperio contra ſurgebat cardine nubes
Altera, & ardenti tendebat ad æthera niſu.
Protinus ingenti ſecum trepidare tumultu,

In

In variásque trahi partes: mille induit ora,
Mille habitus, & mille Euro motante figuras.
Fingitur hæc in equos, in currum ducitur illa,
Aurigam dedit hæc, bellantem desuper ista.
Plurimus hîc miles florentes ære catervas
Explicuit. Latè minióque, auróque decori
In mediis volitant Reges: Exercitus ingens
Obsessam rapidis urbem circumsonat armis.
Hic italûm primi, cum nigris flavus Iberis
Hic Gallus, Britóque ferox bellatur, & omnis
Europa; hic rutilo medias distinguit in auro
Directas acies Labarum. Tu, maxime Princeps,
Tot populis animos addebas. Agmina circùm
Densa fremunt, Christique vocant in prælia Numen.
Mœnibus ut sanctæ propior Crucis aura refulsit,
Attoniti pallêre Ioves, exanguis hebere
Turba Deûm, & totis actutûm languida castris
Defluere. Assurgunt præsenti Numine vires
Christiadis, quatiunt muros, incendia jactant,
Sulphúreas tædas, toto furit aëre turbo
Flammeus, & summis affigit turribus ignem.
Pro muris stabant olli, próque arcibus ardui
Omnia tentabant, hostes detrudere contis,
Spargere tela manu, vastas provolvere moles,
Omniáque horrendo sonitu super agmina late
In præceps dare, & armorum dissolvere nodos,
Et nexus pluteûm, & crates testudinis arctas.
Militis has inter cædes, urbisque ruinas
Elisâ quatitur fulgur de nube: fragore
Intonuit cælum, & vox longè audita per auras.
Illa Babel cecidit, molli quæ perdita luxu
Errorem populis ridente propinat in auro.
Continuò versis urbs eruta fundamentis
Ingenti secum Divósque, hominésque ruinâ
Traxit, & ima petens extremo Acheronte refusa est.
At pia Christiadûm victrici tempora lauro
Gens evincta, polo felix succedit aperto.
Iámque senem radiis aurora lacessit, & ille
In rigidâ sedit paulatim caute receptus,
Méque his aggressus compellat vocibus ultro.

Vade

Vade, ait, & Conſtantiadæ, quæ plurima Chriſtus
Noſſe tibi dedit, hæc eadem narrare memento:
Hæc quoque præterea. Regum fortiſſime, noſtri
Ecquid te meminiſſe juvat, quos crimina longè
Vrbibus indignos prohibent? Si quid tua contra
Aut ſuaſit pietas, rumorisve attulit aura,
Hæc nemorum cultor Regi monimenta remittit.
Imperium in populos faciet tibi, ſummaque Chriſtus
Arbitria, & Mundi latè dabit eſſe potentem:
Qui fluxas male res hominum, vitioque priorum
Sublapſas, referas morum ſub Principe Chriſto
In melius. Viden' ut nutanti cardine Mundus
Præcipitat, ſuppone humeros, onerique ſubito.
Plurimus hoc moneo, moneóque iterum: Impia Mundo
Gens aderit, longum nec tempus, & ardua dirum
Efferet os cælo, natum quæ Patre minorem
Aſſerat, æternæque velit Deitatis egentem.
Tu cape tela manu, gladiúmque, haſtámque vibrantem:
Deiice ſeſe attollentem, dum prælia tentat
Prima, nec in vires crevit robuſtior ætas.
Et jam præcipitans Phœbus decedit Olympo:
Accingunt ergo ſe epulis, diſcumbitur oſtro,
Multa ſuper menſam cecinit crinitus Hydaſpes
Nunc aſſa, nunc ad citharam; qui linquere terras
Chriſtus, & humanos artus ſuper ardua cæli
Invehere inſtituit, Mundique capeſcere regna.
Primùm oleà veſtit montem, cui nomen ab ipsâ
Arbore quæſitum: ſummo tùm vertice matrem,
Et ſocios cantu aſſtantes, turbámque piorum:
Evehitur ſenſim Chriſtus, terrásque relinquit.
Aſcendentem illi manibúsque, oculísque ſequuntur,
Ora tenet tantùm ſtupor, & fruſtratur hiantes.
Ecce aderant duo cæleſti de gente, tuentes
Increpitant. Quò vos tandem decet uſque teneri?
Sic quondam veniet, vos ite, & quà patet annus,
Terrarúmque orbis, gentes, populosque docete.
Nec minùs interea cæli ſupera alta tenentem
Cælicolæ juvenes mirati; talibus ultro
Compellant. Quis hic eſt palmoſâ victor Idume
Qui venit, intinctus de Boſra veſtibus? Iſte

Purpureo

Purpureo longè in ſagulo formoſus, & ore
Pulchrior, in cælum victor qui nititur, auſus
Inſuetum per iter noſtris ſuccedere regnis?
Nempe ego juſtitiæ vindex, auctórque ſalutis.
Nam tua cur chlamis illa rubet? cur ſanguine rorat,
Purpuream veluti pedibus qui preſſeris uvam?
Scilicet & gentes, & quiſquis ubique locorum
Hoſtis erat, pede calcavi, fregique ſuperſtans:
Hinc cruor in veſtes reſperſus, & ora notavit
Purpureus rubor, atque oculis vis acrior ardet.
Trans primos ierat vigiles, útque intima cæli
Aſcenſu tenuit, flexo tum poplite Patri
Accidit in genua. Ecce illum complexus in ulnas
Attollit Genitor, ſoliique in parte locavit.
Huc, ô! Nate, inquit, tantis exercite curis
Huc ades, & dextræ tandem conſide paternæ.
Donec ego, quanquam quid ego? Tu maxima, Nate,
Vis Patris, tamen ipſe tuis hoſtilia vindex
Subjiciam pedibus capita: at tu calce ſuperbos
Obterere eſto memor, neque poſthac parcere victis.
Te trabe quem longâ, diróque in ſtipite fixum,
Et ferro, & duro pupugerunt verbere linguæ,
Aſpiciant, pronique colant, & Numen adorent.
Sic placitum. Attonito tum facta ſilentia Mundo.
Continuò indigetes cæli, puróque ſub axe
Gens exorta, & quos tellus ſuper æthera miſit.
Dignus es, ô! caſti fuſo qui ſanguinis amne
Per rigidos, agnus veluti, cadis hoſtia cultros:
Dignus es, & rerum qui Rex potiâre; Deique,
Mortalis licèt, in conſortia magna voceris.

LIBER OCTAVVS.

ARGVMENTVM.

CRVCIS TROPHAEVM.

ARGVMENTVM EXPLICATIVS.

Narrat Conſtantinus in Epiſcoporũ & Procerum coronâ, uti Crux illi in Galliis apparuiſſet : tum varias contra Galerij Legatos ope Crucis reportatas victorias refert, atque adeo ut ipſum Galerium vicerit ; poſtremò ut in urbem ingreſſus, Chriſto & Cruci trophæum erexerit. Conſtantino morem fuiſſe quotannis eo die quo Crux illi viſa eſſet in cælo, Epiſcopos & Principes viros convivio excipere, & poſt convivium eam Hiſtoriam narrare, refert Euſebius Libro. 2. vitæ, *additque ſe Conſtantinum id narrantem audiviſſe.*

NOTÆ.

I. Crucem cum his verbis, ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ, Conſtantino apparuiſſe notum eſt, auctore Euſeb *in vitâ Conſtant. Lib. I.* ſed de loco lis eſt, docet P. Morinus Orat. D. Ieſu ſacerdos, *Lib. de liberatâ Eccleſiâ. Parte. II.* non longè ab Auguſtoduno in Burgundia id contigiſſe. Idem Euſebius de nocte in ſomnis Conſtantinum à Chriſto D. admonitum de Cruce Labaro imponenda docet *eodem Lib. I. jam citato.*

II. De Seguſiâ incensâ & liberatâ, alij quidem, ſed imprimis Nazarius *in Panegyr. Conſtant* meminêre.

III. SS. Didymi & Theodoræ Hiſtoriam huc tranſtulimus.

IV. Pugnam ad Taurinos idem Nazarius, atque alij referunt, in quâ ferrum ligno cecidiſſe & dictum eſt, & in proverbium abiit.

V. Apiſtus publicè poenitentiam more priſco egit. Quadraginta Martyrum, inter quos Meliton puer, mentio eſt in Martyrologio Romano, quos ſub Licinio paſſos eſſe ibidem docetur.

VI. Rufticium ducem Maxentij fortiſſimum ad Ticinum prope Veronam victum eſſe Nazarius *loco ſupra laudato*, aliique Hiſtorici narrant.

VII. Niceræ, Chriſtiani hominis, in tuendâ pudicitiâ fortitudinem huc tranſtulimus.

VIII. Maxentius cis Tiberim fuſus eſt, & in ipſo flumine periit, & reliqua quæ hic narrantur, ſunt in omnium ore.

IX. Conſtantinum in Theatro cum leone pugnaſſe refert Zonaras *Lib II. Annal.* Ab impio enim Galerio Imperatore virtutis, fortitudinis & laudis ſpecie objecta Adoleſcens ad tantum facinus impulſus eſt.

IAM dapibus repreſſa fames, menſæque remotæ:
Cùm Labari Cõſtantiades venerabile ſignum
Inferri coram jubet, ac pro more, quotannis

Sic ſolitus, memoranda Crucis miracula pandit.
Non ego, aīt, Regum mavortia dicere bella
Aggrediar, victósque Duces, partósque triumphos.
Iſta Cruci ſacrata dies procul eſſe profana
Admonet, & Sanctos alia in ſpectacula poſcit.
Quæ Labari vires, & quâ virtute tyrannos
Atque truces iras, ſceleratáque numina Divûm
Chriſtiadæ frangant, Chriſto nunc auſpice fari
Ordior. In Senonum populis pulcherrima pacis
Artibus, & belli ſtudiis acerrima floret
Vrbs vetus, Auguſto fertur cognomine Dunum.
Haud procul hinc jacet ingenti latiſſima campo
Planities, illâc exercitus omnis in armis
Ibant compoſiti in turmas; ſua quique ſecuti
Signa, equitúmque alæ celeres, peditúmque catervæ.
Intonuit ſubitò dextrùm, res mira videri
Et gravis auſpicio: neque enim fata omnia retro
Cedere tum noram, & Chriſti ſub numine verti.
Iámque iterum tonitru. Aſpicimus: pulcherrimus æthræ
Vultus erat, nulli turbabant aëra venti.
Tertius attonitas poſtquam fragor impulit aures,
Ecce ſuper ſolem, rutilâque in luce coruſcans
Flamma repentè Crucis roſeæ informata figuram
Induit, in Labaro qualem fas cernere: Graiis
Hæc quoque verba notis circùm depicta nitebant:
HOC SIGNO VINCES. Stetimus, quem Numina poſcant,
Quem petat Augurium ignari, tamen occupo. Cælo
Poſcor ego, mea ſunt hæc fata. I, miles. In omnes
Protinus hoc verbo gliſcit vis addita: turmæ
Attollunt animos, & vocibus æthera pulſant.
Nec minùs interea tacito ſub pectore mecum
Multa putans animo, nunc huc, nunc differor illuc.
Quiſquis es, orabam, quiſquis ſanctiſſime Divûm;
Te ſequor auctorem belli, pacisque ſequeſtrum.
Nox ruit, atque mihi in ſomnis pulcherrima ſancti
Forma viri ante oculos multâ ſe in luce videndam
Obtulit, & Labaro nitens ſic ora reſolvit.
Conſtantine, mihi ante alios chariſſime Reges,
Militibus dux eſto meis, hoc accipe ſignum,

Sic

(Sic fatus Labarum dabat) hoc ad prælia victor
Surge, age: nemo meos posthac impune lacessat
Christiadas, nemo tibi se ferat hostis in armis
Impune: aude animis, tibi jam victoria parta est:
Auctor ego Christus. Paucis sic ore locutus
Me cruce signavit, tenuesque recessit in auras.
Tum nova continuò venit in præcordia virtus,
Elatique animi, magnúsque per ossa cucurrit
Martis amor, totúmque excussit pectore somnum.
Segusiæ stabant Alpinis faucibus arces,
Urbs secura loco, multaque timenda virûm vi.
Nequidquam huc rapior: namque illi à culmine summo
Saxa ruunt, & telorum genus omne coruscant.
Jamque dies alij, atque alij fluxêre, nec hostis
Interea minùs à supremo vertice, nostras
Talibus irridet vires. In limine belli
Quid torpent animi? Superos detrudite cælo,
Atque Cruces aris, nostrisque inducite Templis.
Dúmque ea securi jactant: cum flore juventæ
A tergo summi superans fastigia montis
Adsum improvisus, pugnámque repente lacesso.
Obstupuêre animis illi, murisque recepti
Aërias densi turres, & mœnia complent.
Posco faces socios, nec sat rationis in illis:
Nam jactum supra, suprâque volatile telum
Stant posita turres, cæloque minantur ab alto.
Tum Christi memor has imo de pectore voces
Cum precibus fudi. Tu cujus nomine bella
Hæc ineo: tu qui me per victricia sacra
Signa Crucis trahis ostentans, atque Itala fundes
Bella sequi, caput hoc belli rescinde, moràmque
Fatorum rumpe, atque tuo quæ maxima virtus
Insideat Labaro, quæ tanta potentia, monstra.
Vix ea fatus eram, subitâ cùm luce micare
Crux Labari visa est, torti mox luminis acres
Moliri radios, fævásque erumpere flammas.
Aëra per medium, magnis stridoribus ignis
It rapidus, ducénsque ardenti limite sulcum,
Ad rigidos urbis postes affixus inhæsit:
Limina, ferratas crates, & ahenea claustra

Corripit, & totas flammis depaſcitur ædes.
Continuò trepidus properat ſe dedere civis.
Interea mediam, ſummâ quæ ſtabat in urbe,
Caianæ dux militiæ Sertorius arcem
Occupat, oppoſitásque acies illudit ab alto.
Nos contra obniti, muros hic ariete duro
Verberat, hic terebrâ fodit, atque hic lampada quaſſans
Igne furit: tanti fruſtra cecidêre labores.
Quid facerem? dubio ſtetit hæc ſententia: ferreis
Admoveo portis Labarum, tum protinus atro
Turbine convulſæ ſtridenti à cardine valvæ
Ingentem fecêre viam: nos marte furenti
Pergimus. Ecce autem coram lacrymabile monſtrum
(Nunc etiam horreſco referens, animúsque refugit)
Objicitur: duro ſtabant in ſtipite fixi,
Frontibus in ſeſe adverſis, formoſa puella,
Atque illi haud ætate impar, formæque decore
Conſpicuus juvenis: late circùm undique ligna
Conſtruxêre pyram: flammis crepitantibus ignis
Iam ſonitum dabat: ad miſeræ ſpectacula ſcenæ
Conſtitimus, ſtupuêre animi, ferrúmque repreſſum eſt.
Dum trepidant ſocij, terrórque per oſſa recurrit,
Infremuit ſubitò cæcâ Sertorius irâ,
Et furiis amens juvenes obtruncat, & in ſe
Impius adducto rupit ſibi pectora ferro.
Quid non impietas potuit ſuadere malorum?
Virgo erat illa quidem thalamis matura, ſacrísque
Chriſtiadûm perfuſa undis, juvenísque futuras
In tædas illi pactus. Cùm mœnia noſtris
Iam ruerent flammis, natam compellat atroci
Voce parens. Nam quid ſcelerata incendia veſter
Ille Deus vibrat? An noſtris incendia deſunt
Numinibus? Magicis ingeſtos fraudibus ignes
Si ſopire negas (vobis nam crimina fiunt
In commune) meus certas quo turbine flammas
Iupiter, & quantis jaculetur viribus ignes,
Mox experta ſcies. Cui virgo pauca rependit.
Ne magicas, ne finge artes, pater: æthere ab alto,
Cùm jubet ille Deus, denſantur fulmina, & ipſa
Contepêre ignes, & vibrant æquora flammas.

Virginis

Virginis hic vocem abrumpit Sertorius, atque
In flammas genitor rapit impius. Ecce furentis
Ante pedes cecidit ſponſus. Cur dividis, inquit,
Quos tu ſancte pater, quos Iuno prónuba junxit,
Et quos unanimes ſancti junxêre hymenæi?
Quid noſtri perimis partem, partémque feroci
Imperio ſupereſſe jubes? Vtrumque trucida,
Aut utrique ignoſce, pater: communibus ævum
Luce ſub æthereâ liceat traducere fatis,
Elyſiisve unà curas componere campis.
Falleris, adjecit virgo, mi ſponſe, Deorum
Te ſcelus incautum, & Graiæ mendacia gentis
In præceps retrahunt: eadem uſque obtrudere verba
Haud equidem abnuerim: ſupremùm hæc accipe, cùm me
Vltima ſors urget: Chriſto ſine, nulla ſalutis
Spes uſquam. Quare incaſsùm felicia fingis
Arva tibi, aut noſtræ ſperas conſortia vitæ.
Cælo imus; te ſæva manent Phlegetonte ſub alto
Tartara. Iam ſponſæ monitis, iam Numine plenus
Abdicat ille Iovem, ſequitúrque inſignia Chriſti.
Quis tibi tum ſenſus, quæ mentem inſania verſat,
Impie Sèrtori? Sævit, duratáque ligna
Demitti jubet in terram; quà dividit ædes
Area: tum manibus juvenes poſt terga reductis
Crudeli ſtrictos ferro, nodisque revinxit.
Lætitiâ exultant ſponſi: nam corde ſub alto
Spem facit, attolſitque animos & pectora Chriſtus.
Sponſa prior magno ſic fatur pectore. Nempe
Hi thalami Sanctos, iſthæc connubia magnos
Chriſtiadas, mi ſponſe, decent: his pectora tædis
Ardebunt meliùs: ſic, ſic juvat ire ſubactis
Hoſtibus, excelsíque intrare palatia cæli?
Ibimus, & læti æterno iungemur amore.
Ille autem paucis. Quid ceſſas, flamma? Quid ignes
Torpetis? Iam animus ſuperans trans ardua Mundi
Ignito rapitur curru, Chriſtóque propinquat.
Virgo meis conjunge tuos nunc ignibus ignes,
Vnáque tranſmittant ſponſos incendia cælo.
Hæc illi, mediam dum nos invaſimus arcem,
Protinus attonitas triſtis mihi nuncius aures

Vulnerat

Vulnerat, oppreſſos vinclis, cæcóque teneri
Carcere Chriſtiadas: tenebris loca ſenta ſubimus.
E caveâ cum fratre ſoror pulcherrima prodit,
Par utrique ætas, par forma, decúsque juventæ,
Vix tria complêrant exacto tempore luſtra,
Vnà aderat ſenior curâ confectus & annis.
Poſtquam lucem hauſit virgo, & circumſpicit arma,
Ad pavidum converſa ſenem, iuvenémque viciſſim,
Hæc paucis. Genitor rerum chariſſime, túque
Luce mihi dilecte magis dulciſſime frater,
Exitio vobis ego ſola fui: hàc ego vixi
Virgo tenus: quanquam, mi Chriſte. Hìc plura parantem
Dicere, deſeruêre animi, virésque labaſcunt.
Nec tanti ſenior patiens mœroris, & ipſe
Deficit, ambobus juvenis ſe dividit unus.
Tanta animum, fateor, ſtrinxit pietatis imago,
Expreſsitque oculis lacrymas: quos ire ſolutos
Nequidquam jubeo, & verbis conſolor amicis.
Sacrilegâ me nâmque rati de gente, puellam
Qui blandis tentet mollire & fallere dictis,
In Chriſti donec laudem ac decus ora reſolvo.
Virgo graves tum primùm oculos attollere, & ultro
Talibus aggreditur. Tantis quem laudibus effers,
Virgo fuit Chriſtus, fuit & de virgine Patre
Ante anni, Soliſque vias generatus, & illi
Virgo fuit, quanquam longo poſt tempore, mater.
Non ego, non genitor, non hic germanus atrocem
Horremus leti vultum, nec deprecor: ignem,
Ferventisque olei latices, glaciémque, nivésque
Objice, felici cumulatos morte relinques.
At tu, ſi qua tibi fuit, aut eſt nata, tuive
Vxor amans, & amata tibi, miſerere: pudendum
Dedecus, ah! prohibe; venerémque averte nefandam.
Talia dum memorat, lacrymæ volvuntur in ora.
Ite, inquam, vobis veſtri permiſſa poteſtas.
Illa quidem virgo fuerat, miſerabile viſu,
Obſcœnis addicta locis, ubi fornice ſubter,
Corporis extincto meretrices flore merentur.
Non tulit hoc frater, mutatâ veſte ſororem
Exolvit miſerans, fœdósque avertit amores.

Hoc

Hoc iuvenum crimen fuit, hæc injuria patris,
Digrediens illinc mediis in millibus Alpes
Et ſupero aſcenſu, & latos effundor in agros,
Quà Padus ingenti Taurinos dividit amne
Hoſtis ab adverſo metatus flumine caſtra
Conſtitit opperiens, & litora celſa coronat.
Ferro equites, ferro pedites armantur, & omnis
Terrificis ferri legio fulgoribus horret.
At nos exuti, tantum Romana coruſcat
Quiſque manu pila, aut Franco mucrone catejas.
Præterea nobis rapidi per fluminis alveum
Perrumpendum iter, immenſóque voragine fluctus,
Quare omnes prohibère duces, prohibebat & ipſa
Relligio auſpicibus: quin & conſulta Deorum
Exitum nobis ingens reſponſa canebant.
Ergo animi pendens, hàc Chriſtum voce precabar.
O! qui Seguſiam Italiæ firmiſſima clauſtra
Chriſte aperis Crucis oſtento, certámque futuri
Spem facis Imperij: tanto in diſcrimine rerum
Nunc ades, & trepidos præſenti Numine firma.
Vix ea fatus eram, tremuló cùm luce micare
Viſus apex Labari: claro mox limite ſulcum
Ducit, & ingentem vibrat trans litora flammam.
Tum quoque Cælicolûm ſtorentes ære catervæ
Frænatis aderant in equis, aurata comantes
Crux galeas, Crux & clypeos inſcribit: in undas
Dant ſeſe primos, & primi flumina tranant.
Hic vero infremuit miles, Martémque morantem
Increpuit clypeis, poſcitque in prælia Reges.
Macte, inquam, miles, tanto Duce, & auſpice tanto
Vicimus. His dictis immitto primus in undas
Cornipedem, it mecum preſſis equitatus habenis:
Frangitur undarum lapſus, tardatur aquæ vis.
Continuó ſubter, patrum de more, natatu
It pedes, & totis equitem comitatur in armis.
Adverſo ſteterant hoſtes pro litore, flumen
Vt ſubeo, ceſſère parum, ſeu terruit audax
Attonitos facinus, ſeu quod mens augurat, illos
Cælicolûm movère acies, retróque dedère:
Sive fugæ ſpatium trajecto flumine nullum

Eſſe

Eſſe ſuper, nullamque moram victricibus armis
Crediderant, tollíque uno certamine bellum.
Litus ut in primum lecto cum flore juventæ
Emicui, cùm pubis adhuc pars ultima naret,
Converſas ſtatuêre acies, ripámque ſub ipſam,
Mollia dum nutant udis veſtigia plantis
Aggreſſi, certos prohibent inſiſtere greſſus.
Nos animis contra obniti, quóque acriùs illi
Obſiſtunt; tantò nos ire audentiùs, atque
In geminum fortes luctari diſcimus hoſtem.
Omnibus hîc animis pugnatum; hîc omnis in unum
Et dolus, & virtus coit: majoribus uſquam
Haud pugnatum odiis: illos accuebat amaro
Exortus ſub corde pudor; nos inclyta virtus,
Gloriáque, & magni urgebat præſentia Chriſti.
Inclinat quâcunque acies, quâcunque laborat,
Huc Labarum immitto. Nunc quæ ſint Numina Chriſti
Diſcite; quæ ſæclis liceat memoraſſe futuris.
Non miles Crucis aſpectum, non ulla caterva:
Nulla tulit legio, totæ fugêre phalanges.
Vidi ego fulminibus media inter prælia, turmas
Sternentem: huc illuc paſſim diſjecta cadebant
Agmina, præcipitant trepidi cum milite reges.
Hîc ſtreperum deerat tonitru, vacuíque ſonores,
Sed non tela, ignésve, aut duri fulminis arma.
Sex fuerant fratres, triplici quos una crearat
Autolyce partu: illi animis ingentibus omnes,
Corporibúsque pares ingentibus, omnibus arma
Sunt eadem, conferta pares in bella ruebant.
Tot fratrum alta cohors mediis in millibus ardet,
Atque humilem ſuperat ſublimi vertice pubem.
Aëriæ quales intonſa cacumina pinus
Attollunt cælo longè, ſilvámque ſuperſtant.
Pacto inter ſeſe conjurant fœdere, duram
Aut mortem oppetere, aut certo me dedere leto.
Iámque illos omnis legio comitata movetur:
Vt video, ut prior irrumpo, me ſcilicet intùs
Major agit virtus, ſubjecto plurimus igne
Chriſtus adeſt, totúmque in aperta pericula raptat.
Hic mihi Phocilides tot fratrum maximus ultro

Obvius

Obvius it, cum fratre Lado, quos miſſile librans
Aggredior, fremit haſta, Ladum perſtringit, & udum
Execuit guttur, ſervátque haud fracta tenorem:
Tum fera Phocilidi perrupit pectora ferro:
Præcipites leto capti volvuntur, & inter
Cornipedum jacuêre pedes. Non fratribus iræ
Aſpectu in tanto cecidêre. Archombrotus ardens
Teſtatur Superos, & inania Numina tentat.
Iupiter omnipotens, Divûmque, hominúmque poteſtas,
Sacrilegum da, ſancte Pater, proſternere telo.
Dixerat, & jaculo invadit, lævum aureus ictum
Reppulit, & vacuas umbo diſperſit in auras.
At non effugies, inquam, quod dextera ferrum
Noſtra vibrat, neque enim belli mihi Iupiter auctor.
Talia dicebam, ſpargóque volatile telum:
Obverſum ferit haſta volans, & tempus utrumque
Trajicit. Ex illo reliqui jam cautiùs ibant,
Compoſiti ſimul irrumpunt; quos ludere gyro
Inſtitui exterior, tum mollia colla reflectens
Quadrupedis, Tamarum invado, plagámque ferenti,
In jugulum prior immitto penetrabile ferrum.
Archilocho dum pone ſubit, jámque imminet, Æthon,
Æthon cornipedum fortiſſimus unus equorum,
Arduus excelſas impingens verbere calces,
Vnà equitem, unà & equum medium provolvit in æquor.
Vltimus Harpocrates animo nutante pependit,
Terga daret, certúmne offerret pectus in hoſtem.
Dum trepidat, non hæc, inquam, tot fratribus ante
Pollicitus, noſtro dirimebas ſanguine bellum.
Ille pudore actus vires collegit in unum,
Exhortatur equum ſtimulans, moriturus & ipſe
Turbinis in morem, torvâ me fronte petebat.
In lævam deflecto, mihi cùm dexter abiret
Præcipitans, ferrum meditatus in ilia figo.
Implicitas acies duro Bellona labore
Exercebat agens, ſpumabat ſanguine flumen:
Latè hominum ſternuntur agri, ſternuntur equorum
Corporibus, trepidi portas & mœnia pandunt
Taurini, & laxas hoſtem excepêre ſub ædes.
At populi, celebrata quibus jam fama tuliſſet

Divideris, fili. Eia animos attolle, quod ultra
Eſt ævi ſuper, hoc Chriſto, mi nate, repende.
Ille tibi vitam crudeli ſtipite fixus
Per tormenta dedit, ſummâ nunc ætheris arce
Obvius invitat, nam quid tua gaudia differs?
Hic Meliton totas ægro de pectore vires
Colligit, atque humili reſpondet talia voce:
Sic eſt cara parens, Chriſto debemur, & ultro
Se Meliton illi, ſi qua eſt ea gratia, dedit.
Interea plenis uno Melitone relicto
Impoſuêre hoſtes urenda cadavera plauſtris.
At non hæc fieri paſſa eſt divortia mater.
Ipſa humeris natum imponit, plauſtrúmque ſecuta
Tot jam cælitibus comitem, ſociúmque ferebat.
Venerat uſque rogum, ſobolem ſanctiſſima mater
Effultam genibus ſolatur talibus orſis.
Nate, tot Heroüm comes, en olli ardua Mundi
Templa tenent, claróque viam tibi limite pandunt.
Cui paucis Meliton. En adſunt æthere ab alto,
Præcipitántque gradum: Chriſtus præit. Ah! mihi qualis,
Quámque oris præſtans. Animo tum linquitur, auras
Vita ſub æthereas haud indignata receſſit.
Lætior hic mater fatis ſic ora reſolvit.
Quò vos deinde furor? quò tandem inſania cives?
Creditis extinctos, & pulchro fine carentes,
Quos leto dedit iſta dies? Gens impia falſi
Argueris: viden' ut cælo ſuper aſtra recepti
Nil fremitus horrent veſtros, irásve tyranni.
Nec tu Chriſtiadûm fuſo qui ſanguine gaudes,
Agricola, inſultásque animis, lætabere longùm.
Mox aderit, ſumptis quí veſtra redarguat armis
Numina, majorésque Deos, turbámque minorum.
Ecce illum, Tameſi procedit ab uſque remoto
Victor agens puppes: Franci, fortésque Britanni,
Atque acres comitantur utroque à litore Galli.
Alpinæ tremuêre arces, juga victor aperta
Arduus irrumpit, tremit atro turbine belli
Quanta eſt Italiæ tellus, Crux aurea ſummo
Fulgurat haſtili præfixa: ruúntque, cadúntque,
Et totæ verſis acies fugêre maniplis.

Subſtitit hîc paulùm admirans, tum lætior inſit.
Macti animis, io, toto Maxentius ille
It fluvio præceps: victori mœnia pandit
Roma, ſuo tandem Capitolia cum Iove nutant.
Ingredere, ô noſtrum decus! ô fortiſſime ductor
Chriſtiadûm! Dum plura parat, gens impia ferro
Excipit, & ſancto decoratam funere mactat.
Hæc multùm illacrymans nobis memorabat Apiſtus.
Ecce autem interea Graias inſederat Alpes
Ruricius, multâque Atheſim legione tenebat,
Vir prompto bonus eloquio, nec futilis auctor
Rebus in adverſis, idémque acerrimus armis.
Audierat Crucis auxilio, Chriſtique favore
Noſtra geri bella: hæc ducibus mandata vocatis
Et dabat obteſtans, iterúmque, iterúmque monebat.
Si qua ſuper virtus animo, ſi roboris uſquam
Eſt aliquid, pietásque Deûm, noménque parentum:
Eia agite, ô ſocij! totas intendite vires,
In magicæ caput hoc artis convertite, probrum
Tollite, & hunc alacres belli reſcindite nodum.
Non latuêre doli, neque nos vis iſta fefellit.
Florem hominum, decies quinos delegimus omni
Ex numero, quibus eſt Labari commiſſa ferendi
Cura, vicésque datæ, quos bis tria millia, pubis
Auſoniæ robur, media inter tela ſequuntur.
Irrupêre olli, ſacrum furit impetus omnis
In Labarum: non tela viros, mortésve retardant.
Protinus hîc fuerit quàm magna potentia Chriſti
Noſſe datum: ritu nimbi, vel grandinis inſtar
Vndique cùm ſævo fremerent ſtridore ſagittæ,
Ter centum Labari fixas haſtile recepit:
Signiferum non ulla tamen perſtrinxit arundo.
Quin etiam vanâ trepidum formidine Caſpim,
Quique ſuas ceſſiſſe vices, Tatióque dediſſe
Ancipitem Labari curam gaudebat inani
Lætitiâ exultans, mox letum intercipit, atrâ
Cæde cruentatum, culpantémque irrita vota:
Diſcite, Chriſtiadæ, moniti confidere Chriſto.
Crux quocunque illata, cadunt de more phalanges,
Suppoſitâ veluti ſegetes ſub falce metuntur.

Præcipitat

Præcipitat turbata acies, cornúque ſiniſtrum.
Non ita Ruricius, ſed tantâ in cæde ſuorum
Torva tuens, irâ, furiisque accenſus amaris,
Me ſolum petit, & ſolum in certamina poſcit.
Vt raptis quondam catulis Mauruſia tigris
Latronum furit in turbam, & ſuperante dolore
Tela ſuper, latóque ruit venabula ferro.
Irrumpentem ultro, & magnâ me voce vocantem
Excipio, factâ ſocij ceſsêre coronâ.
Anceps hic oritur crudeli pugna duello,
Tandem ille & vitam moriens, & bella reliquit.
Dedidit extemplò ſeſe Verona, ſequuntur
Oppida, & impoſitæ turritis mœnibus arces.
Victorem interea plebes quo munere placent
Sollicitæ, Chriſti gentem, ſtygiíque furoris
Relliquias, per teſqua, per avia luſtra requirunt.
Grandior hîc ætate Leo, Chriſtíque Sacerdos,
Chriſtiadûm parvâ venit ſtipante coronâ:
Exactâ juvenem linguâ florentibus annis
Secum agit. Ah! morum grande & memorabile nomen.
Illum Ruricius, quoniam nec viribus ullis
Flectere, nec pœnis potuit ſubducere Chriſto:
Dulcibus illecebris, blandâque cupidine tentat.
Chriſtiadûm longo ſceleratus noverat uſu,
Quos neque tot facies leti, pœnæve, nec enſes,
Nec flammæ, triſtive furens inſania ferro
Terruerant, dulci ceſſiſſe libidine fractos.
Illum ergo, proh! ſancta fides, per vincula lenta
Molle ſuper ſtratum religat, circùm undique flores,
Nequitiæque omnis ſpirat collecta ſupellex:
Inſuper immiſſa eſt virgo, grandi ære redempta,
Quâ vi, quâve dolo ſanctum ereptura pudorem.
Quid faciat juvenis? Tantam quî corpore peſtem
Avertat? Spes nulla fugæ, quæ ſola ſalutem
Attulerit miſero: prohibent molliſſima vincla,
Vincla tamen: demum admorſam cum ſanguine linguam
Fortis in adverſæ jaculatur virginis ora.
Tot cecidiſſe duces bello, tantámque ſuorum
Poſtquam audit ſtragem mediâ Maxentius urbe,
Sævit inops animi. Qualis bacchatur in antro

Marmaricus

Marmaricus leo, venantum quem turma frementem
Obsidet: incendunt si quando queſtibus iras
Aut capti, aut durâ catuli ſub morte gementes.
Non aliter furit ille amens, urbémque cruentat
Funeribus: non ille viris, non ille pepercit
Matribus, aut primâ teneris ætate puellis.
Quin etiam totum votis Acheronta fatigans
Inſtat, & humano fera Numina ſanguine placat.
Horreſco referens, crudeliter ilia matri
Execuit vivæ, fœtûs à matre cadentis
Conſuluit varios vultus; ac denique matrem
Bellonæ, natum Gradivo mactat ad aras.
Tum male ſecurus, Divúmque elatus inani
Munere, quidquid erat pubis ſub ſigna coëgit,
Trajecitque Tibrim, poſuitque in litore caſtra.
Stat ferrugineo florens exercitus ære,
Bis denâ legione fremens tenet omnia latè.
Conſtitimus contra, poſcebat prælia miles,
Præ Labarum pro more ibat, pro more cadebant
Attonitæ paſſim confuſâ ſtragе phalanges.
Ecce acies pictis medias Maxentius armis
Acer agit, circùm vaniſſima Numina, Mavors,
Iupiter, & Pallas, totâ cum gente Deorum.
Tunc mihi, non aliàs tantus Deus incidit, acri
Cor micuit puſſu, totàsque exarſit in iras.
Nunc agite, ô! ſocij (paucis inſueta frementes
Compellabam animos, per ſeque in bella ruentes)
En Roma, en mundi, & belli caput. Hæc ubi fatus,
Protinus immitto Labarum, mox inſequor, omnis
Me circùm legio fremit, atque irrumpit in hoſtes.
Prima cohors, lecti juvenes, gens neſcia flecti,
Rumpitur, & ſimili ſub marte ſecunda fatiſcit.
Hinc alia trepidare animis, timor addimus illis
Confuſam eripuit mentem: dum pectora nutant,
Irruimus: trepidi ſuper agmina denſa ſuorum
Vertuntur, clypeisque fugam fecêre relictis.
Non aliter fluctum fluctus protrudit, & undam
Vnda ſuperveniens curvata ad litora pellit.
Ante alios fugére, quibus præferre Deorum
Signa datum, ante alios pictis Maxentius armis.

Pars

Pars rapiunt lintres, tabulásque & quidquid aquarum
Dorſa ſuper natat: abjectis in litora telis
Pars innare parant: pontem cum flore ſuorum
Rex tenet, atque viam nequidquam affectat in urbem.
Ingemit, & crepitans ſub iniquo pondere nutat
Milvius: Hinc illinc tignis ſidentibus, amplam
Iuncturis convulſa ſuis tabulata ruinam
Traxére, atque equites, peditésque dedêre ſub undas.
Vidi egomet quando ferrugine clarus Iberâ
Tot populorum olim rector, medio aëre præceps
Iret, equúmque, equitémque hauriret vortice Tibris.
Obvia continuò plenis Romana juventus
It portis, matrúmque chorus, patrúmque corona.
Me circùm miles fuſus per feſta canendo
Carmina, deducit ſacra in palatia Regum.
Nec Capitolini quiſquam inter gaudia tanta
Eſt auſus meminiſſe Iovis. Vox omnibus una
Victor ĩo Chriſtus, Regésque, Deósque triumphat.
Quin urbe in mediâ, coëunt quò lata viarum,
Infusúmque omnis populum quò ſemita cogit:
Ipſe mei ſtatuo lævi de marmore ſignum
Cuſpide ſubnixum Labari, ſubſcribitur index.
Hoc ego prædonem Latij, Romæque tyrannum
Edomui telo, atque tibi te vindico, Roma.
Obſtupuêre omnes, pars impia Numina damnat,
Pars, quæ magna fuit, veteri vel ſanguine creta,
Vel longis tumida in titulis, vel divite cenſu
Aſpernata Crucem, priſco ſe more tenebat.
Nec minùs interea nos grandi munere donant,
Cui neque barbarico quæſitas gurgite baccas
Prætulerim, nec quæ mirantur maxima Reges
Præmia. Chriſtiadûm tetro de carcere turba
Ducitur, heu! cavæ immiti damnata leonum.
Ibant tercentum curvati colla catenis
In mortes, atque in tormenta, ínque ora ferarum,
Et ſeram increpitant læti per carmina mortem.
Vna tot Heroas virgo, cui corde ſub alto
Plurimus incumbens Chriſtus ſuccenderat ignem,
Aggreditur verbis: flagrârunt ora loquenti,
Scintillæ micuêre oculis, ſic incipit illa.

Iam

Iam toties experta loquor: non ulla leonum
Ira, nec informes Vrſi, nec quidquid atroces
Spiravêre feræ, aut ſævi reperêre tyranni,
Chriſtiadas frangit. Viſo jam cominus hoſte,
Aut Deus emollit crudelia corda ferarum,
Aut facit idem animos, addúntque pericula robur.
Solus in arma ruit Chriſtus, diſcrimina belli
Solus adit: vertentem hoſtes atque agmina, nobis
Vnus erit ſpectare labor. Comitésne triumphi
Ire coronatos pigeat? Sed luce carendum eſt
Mortali? Nam quis miſeræ diſpendia vitæ
Æſtimet, æterno quam ſanctior excipit ævo?
Hic noſtri locus exilij: patriásne redire
Tædeat in ſedes? Tenui nos limine vita
Separat, audendum eſt, frangenda repagula: cælo
Poſcimur, invitat noſtræ pars optima gentis,
Et Chriſtus, Chriſtique Parens, omnísque propago
Chriſtiadûm: ætherei patuêre palatia mundi,
Et trepidamus, & hæremus. Dum talia virgo
Pergeret exſtimulans; reliqui fremuêre ſecundo
Murmure, jámque feras ultro, mortésque laceſſunt.
Verùm ubi cognorunt extinctos cæde tyrannos,
Obſtupuêre, deïn triſti ſub corde dolebant
In manibus fractas lauros, ſperatáque cælo
Gaudia differri, & retro fugientia regna.
Nomen erat Latiæ, neque enim ſordeſcere tantam
In tenebris decuit laudem, Domitilla puellæ.
Bis ſenos necdum vitæ numeraverat annos,
Cum primùm in caveam fuerat data præda: furentes
Poſtquam autem ſævire feras, & clauſtra revelli
Audiit, hortantésque horrendâ voce magiſtros,
Palluit, & totos tremebunda exhorruit artus.
Æthere tum ſummo Chriſtus, qualémque decoro
Mirantur Superi vultu, pulcherrimus illi
Adfuit, & ſenſus, mentémque implevit amore.
Quid Domitilla paves, inquit, dotabere nullo
Sanguine, per populos latè, totúmque per orbem
Virgo ibis, noſtrúmque feres trans ſæcula nomen.
Illa ſuum ſtupet in ſponſum defixa, nec ultra
Iam cavea meminit, nec jam timet ora leonum.

Erupêre

Erupêre tigres simul, & simul undique circùm
Et pavor, & terror, fremitúque horrore theatrum.
Virginis ut ventum ante pedes, fera corda quiêrunt,
Atque omnis furor, atque omnes cecidêre tumultus.
Dulcia virgineis tigres dant oscula plantis:
Quasque ferax non unquam artes didicêre, docebant
Ausonidas. Redit posthuam sub carceris antrum
Virgo, tum timuisse pudet, magnúsque triumphi
Vsque recurrit amor. Sic est, truculenta ferarum
Ora, inquit, fugitas mollis Domitilla, sed una
Et lauri decus, & palmæ immortalis honorem.
Ah! si, si revocent eadem nos prælia, rursus
Si pugnare datur, me nulla redarguet ætas
Degenerem: ibo, ibo, pardósque in prælia cogam.
Ecce iterum optanti concessa est copia pugnæ:
Non illam cælo genitor, sponsúsve, nec ullæ
Audivêre tigres. Nam gutture pardus aperto
Cùm rueret, tigrisque inhians incumberet atrox,
Restitit aspectu in tanto, strictósque repressit
Vrsa feros ungues, irasque lexna remisit.
Heu! quid agat virgo? quâ nunc ratione, quibúsve
Artibus irritet mortem, quæ sæva ferarum
Ora inter didicit blandiri? Protinus imo
Exarsit sub corde dolor, totámque pererrat.
Ante alios fuit immani leo corpore, longa
Cui coma flaventes artus concussa flagellat:
Ante alios illum invadens Domitilla, genellos
Implicuit villis digitos, rostúque revellit
Nasibus obluctans: contra nihil ille repugnat.
Hæc premit incumbens, atque acri voce fatigat:
Ille cadens molles revoluto corpore motus
Dat circùm, & gaudet vinci superante puella.
Interea rauco fremitu subsellia longè
Dant sonitum. Veluti diversis partibus orbis
Incubuêre mari, fluctúsque ad sidera jactant
Æolidæ, toto circumsonat æthere turbo.
Christum alii Rectorem orbis, rerúmque potentem
Voce palàm magnâ inclamant, pars major in artes
Hæc magicas tantùm spectacula vana remittit.
Pars jubet innocuam vinclis ac carcere solvi.

At veritus, quò plebs ſtudiis diſcordibus iret,
Auſonidûm rector, Domitillam in vincula reddi
Imperat, atque Iovis mactandam deſtinat arx?
Talia dicentem, Chriſtóque incepta canentem
Prælia, mirantur Proceres, plausúque ſequuntur.
Subjicit hæc Phædrus, præſens cui pectora ſenſim
Numine mulcebat Chriſtus, magnique trahebat
Exemplo Ducis invitans. Domitilla leones
Inſigni pietate domat, tu viribus: illa
Decertat precibus, tu ferro: victor uterque,
Illa quidem Divûm auxilio, tu vindice dextrâ.
Cui Conſtantiades. Nec ego ſine Numine Chriſti
Vincere, nec tanto potui ſupereſſe labori.
Atque id Phædre tibi, quoniam hæc te cura laceſſit,
Téque juvat falſo lætantem Numine Divûm,
Bis genito patrata Deo miracula noſſe,
Haud equidem invideo, nec me narraſſe pigebit,
Si te fortè ſuo Chriſtus dignetur amore.
Prima quidem quando poſui veſtigia circo,
Nil Superûm memor, aut Chriſti, ſine mente ferebar,
At poſtquam populi caveâ erupiſſe leonem
Vidêre ingentem, horrendum, quo ſævior arvis
Non fuit in Libycis, per colla horrere comantes
Hinc atque inde jubas, vaſtóque tonare fragore:
Tum memini primùm Chriſti, quem ſancta puello
Commendans genitrix, ſi quando pericula ſeſe
Objicerent, dabat & vitæ, mortísque potentem.
Continuò aſſurgunt animi, robúrque per omnes
Inſinuans membrorum artus, in prælia raptat.
Ille nihil cunctatur ad hæc, ſed faucibus atris
Præcipitat: contra occurrens per guttur apertum
Inſerui longè gladium, nisúque ſuperſtans
Vſque premo: medium pectus transfixit arundo;
Et vitæ rupit fontem: cadit ergo ſupinus
Nequidquam exertans ungues, caudâque ſonantem
Tundit humum, largum rabido vomit ore cruorem.
Ille animam poſtquam vacuas efflârat in auras,
Alter adeſt, latè tum facta ſilentia circo.
Obſtupuêre animis; iterum mihi pectus in altum
Maternus redit ille Deus, rursúsque precanti

Adfuit

Adfuit. Ecce leo flammantia lumina torquens
Inſilit, irrumpenti oculos mucrone corusco,
Obliquans gladium, ſtrinxi; perſodit utroſque
Ferrea vis: furit immensùm, ſaltúque, cruentum
Et caput oſtentat, cursúmque effundit inanem.
Illum oculis captum, rabieque inſana furentem
Nullus erat vitare labor; dumque ore cruento
Irruit, in lævam deflecto dexter, & unà
In dextrum defigo latus penetrabile ferrum.
Trans medias cordis latebras fatalis adacta eſt
Cuſpis, & immenſo conſtravit corpore campum.
Clamorem attollunt populi, longéque volutant.
Romulidûm rector ficto venit obvius ore
Multa malus ſimulans, mediúmque amplectitur ulnis.
Poſtera vix ſummos luſtrabat lampade montes
Orta dies, cùm me fatis, fævóque tyranno
Eripui, extremos fugitivus ad uſque Britannos.
Poſtquam autem Auſonios antiqua in jura receptos
Fama tulit, noſtrúmque dein per prælia nomen
Creſceret, interior tacito ſub pectore Caium
Vrebat livor, tandémque erupit in auras.
Chriſtiadas opibus primùm, gazáque paternâ
Exuit, atque gradu Proceres evertit, & inde
Pontifices longè varias ablegat in oras.
Tum gladio furit, inque omnes diſcrimine nullo
Sævit atrox, ſanctò reſtagnant ſanguine campi.
Imbelles fœtarum velut ad præſepe bidentes,
Cùm canibus, cæſo paſtore, inimica luporum
Vis caulam irrupit, latè ſternuntur, & ipſæ
Innocuas ſubter poſuêre cubilia vitas.
Ecce iterum in ſomnis ingenti lumine viſus
Chriſtus adeſſe mihi, talique incendere voce.
Tùne meis tantum populis impunè tyrannum
Inſultare feras? Quid Flavi cingimur armis,
Si tamen Eoo Caius bacchatur in orbe?
Dixit, & impreſsâ mihi ter Cruce, ad aſtra receſſit.
Hoc belli caput, atque hæc ſunt exordia, quæ nos
Implicitos per tot rerum diſcrimina verſant.

LIBER NONVS.

ARGVMENTVM.

LVDI.

ARGVMENTVM EXPLICATIVS.

Celebrantur ludi, primò quidem Curſus equeſtris ad annulum; ſecundò, Curſus Circenſes; tertiò, Tripudium. Tum narratur ſomnium de nocte ſacrum, in quo Inferorum pœnæ, & cæleſtis patriæ gaudia pateſiunt; item Nicæni Concilij celebratio. Sub finem Parthorum Legatus conjurationem clanculum in cæſtris adornat.

NOTÆ.

I. Tres annulos haſtili infrendes dolimus jure potiuri quibus Honoris *Obſ. XXI.* tradiderit duodecim procurratjacendos.

II. Ludos illos Circenſes ut quis posit ſidem ſuperare, adeat Illuſtriſsimos Vigentes; ad calcem Calchondylij, ex quo loco illos mutuati ſumus.

III. De Tripudio ſive ſaltatione alia in Praefatione, ubi pergamus videt calumniam.

IV. Legatos à Perſide adeòdemum, cum quibus amicitiam & fœdus habuiſſe Licinius dicitur à multis Hiſtoricis.

V. Concilium magnum Nicænum tribus de cauſis celebratum eſt, I. Meletianum ſchiſma. II. Arianæ hæreſis. III. Dies Paſchatis ſignedus certis latitibus, *ex Codice illius Synodi.*

VI. Conſtantinus Imperium Romanum tribus filiis diviſit, Conſtanti, Conſtantino, & Conſtantio. Et Euſeb. & alii.

VII. Conſtantinus libertas Religionem omnibus permiſit, Euſeb. *Libro II. Cap. XXVII.*

Æruleos primâ luſtrabat lampade fluctus
Orta dies, & jam litui certamina cantu
Indixêre: tremor juvenum exultantia corda
Pulſat agens, ſpes atque timor miſcentur in unum.
Haud procul à cæſtris molli curvamine colles
Planitiem claudunt mediam, circique figuram
Accipiunt: illuc denſæ coïere phalanges:
Mox etiam Procerum lecta ſtipante caterva
Flaviades, ſolioque altus conſedit eburno.
Ecce autem nova res, feris quæ cognita ſæclis
Perque Aſiam, perque Europam, populoſque per omnes
Ingentem

Ingentem meruit plauſum, ſpectacula primò
Tum dedit. A triplici demiſſus arundine triplex
Annulus, atque uno directus tramite pendet.
Protinus ingenti præco ſic voce Cluentus:
Hoc opus, hæ leges ſunto certaminis: haſtâ
Tres medio in curſu purâ ſimul auferat orbes
Victor eques, mox & Regi ſe iſtat in armis.
Hæc ait, & palmæ juvenes incendit amore
Sollicitans, ac promiſſis ingentibus implet.
Ante alios pulchræ captus dulcedine laudis
Æolides Tydeus ſtudio flagrabat inani:
Ille olim magno Martem veneratus honore,
Nunc etiam ſecum imprudens hæc vota canebat.
Armorum Gradive potens, haſtæque repertor
Bellatricis, equûm domitor; tibi victima ſi quæ
Hâc cecidit dextrâ, primum ſi ſemper apud me
Nomen, honóſque tuus: nunc, ó! nunc annue, & iſtam
Tempora da circùm tibi ſacra adrepere laurum.
Hæc ſecum: mox dextra haſtam ſuſpendit ad ile
Attollens enſem, tum oculis, & arundine ſummâ
Orbiculos notat, & totas effundit habenas.
Ocyor it ſonipes nimbo, & quæ gloria prima eſt,
Æquali rapitur curſu: haud felicibus æque
Auſpiciis Tydeus; tantùm retinacula lenta,
Vnde orbes roſeo pendent fulgore coruſci,
Impulit imprudens, vacuâque inglorius haſtâ
Ivit iter longum, triſtiſque revulit amicos.
Egregius formâ ſequitur, primâque juventâ
Conſpicuus, Gallo Clodius de ſanguine, jam tum
In thalamos Tullæ pactus, ſed virginis ætas
Cruda viro, & nimium matri dilecta puella
Invidet, inque aliud differt hæc gaudia tempus.
Immemor haud ſponſæ, creſcenti munus amori
Hoc dicat, atque inter palmas adoleſcere gaudet.
Virginei flos Tulla chori, luménque juventæ
Sequanicæ, hoc alacres, inquit, tibi currimus æquor.
His ſtudiis ſpatium invadit, geminóſque per orbes
Haſtile inſeruit ſummum: Fortuna ſuprémum
Abnegat, & plenæ dimittit laudis egentem.
Ingreditur Francæ Regnator pubis, & inter

Tot

Tot populos micat aureus: Oceanitide qualis
Lucifer ambroſium nitidus caput extulit undâ.
Cui capitis tegmen breve; ſpira monilibus ardens
Colligit in nodum, gentis pro more, galeri
Orbem imum, Libycis umbrantur lactea plumis
Colla, ipſe in ſagulo lucet virgatus, & acer
Impulit alipedem, toto ſonat ungula campo.
Haſta vibrans omnes collegit ſubter eundo
Orbiculos: latè circùm fremuêre ſecundo
Murmure cum populis Proceres, lætúmque ſonori
Inſtituunt tremulo litui Pæana canore.
Hinc alij, atque alij non unâ ſorte, ſed omnes
Adverſam experti tamen: Atque hic longiùs errat,
Hic propiùs, geminis ovat alter in orbibus, alter
Vno etiam felix ægrum ſolatur honorem.
Ecce Aphys in campum prodit, cui Græcia magna,
Atque Italûm extremi parent, cui vertice necdum
Infuſi ſacri latices, neque nomen habere
Inter Chriſtiadas antiquâ lege licebat:
Luce palam tamen in mediâ, populósque per omnes
Et Crucis, & Chriſti gaudebat tyro videri.
Ergo illi bene Chriſtiadæ, bene Flavius Heros
Optavêre, vovet contra gens impia: at ille
Franciadæ ſuppar æquali ſorte cucurrit,
Tergeminósque orbes victrici ſuſtulit haſtâ.
Fit ſancti fremitus populi, gens impia muſſat:
Dividitur ſtudiis circus, pars maxima plaudit:
Flaviades tacito lætus ſub pectore gaudet.
Iam ſuper unus erat Tyrrhenam in martia pubem
Bella vocans Tullus, cordi cui cultus equorum,
Aſpera ſive feros agitare in prælia, ſive
Mollibus imperiis faciles aſſueſcere pompæ,
Quadrijugos ſive ad currus aptare placeret.
Pieriâ ut doctus citharâ cantare, priuſquam
Omnes in numeros totam ſimul explicet artem,
Nunc hos, nunc illos dubio ſub pollice nervos
Molliter attrectans tentat, lentúsque pererrat
Omnia mobilibus digitis diſcrimina vocum.
Haud aliter ſpatio in primo, Procerúmque ſub ora
Cornipedem Tullus domitat, crebróque feroces

Saltu

Saltu animot frangens, lævos nunc flectit in orbes;
Nunc etiam in dextros: mox cùm prior ille remisit
Impetus, utque habilem cursu perfentit, in æquor
Et simul effundit, simul hastam dirigit, atque
Omnes præteriens trajecit, & absultit orbes.
Excussis paltnà reliquis, sors æmula rursùs
Victores acuit, rursúsque iterare periclum
Suadet amor laudis. Nequidquam primus in æquor
Emicuit Francus, nam metis proximus, umbrà
Vulturis, hàc qui forte plagà, super æthere in alto
Ibat præter, equus terretur, iterque finistro
Tramite deflectens artes elusit heriles.
Ergo Apulo surgit Regi sub pectore flamma,
Spesque animum incendit fruftra: ductore repulso
Francigenùm male gaudet ovans: nam vana fefellit
Sors illum, & palmæ mulctatum parte reliquit.
Iam super unus erat Tullus, qui lætus in æquor
Prosilit, insertósque hastili rettulit orbes.
Protinus intonuit circus clangore tubarum,
Castriaque respondent, magnúsque remurmurat æther:
Flaviadem circùm Proceres glomerantur, at ille
Stans alto in solio, turmas supereminet omnes,
Victorique sacrà circumdat tempora lauro.
Addit & Eoo quæsitas litore baccas,
Nativóque addit, varióque colore gagatem.
Priamidam in medio Pelides Hectora vincit,
Circumstant Graiùm turmæ, Troúmque phalanges.
Magno donat Aphym clypeo, cui ductile cratem
Fecerat argentum, umbonemque incenderat aurum,
Extremásque oras. Torvà pulcherrimus irà,
In medio ferrum strícto mucrone corusçat
Aligerùm Princeps Michaël: lectissima fratrum
Turma fremit circùm, pariterque in prælia fervet.
Tartareus turpi confossus vulnere prædo
Turbinis in morem, truculenti aut fulminis instar
Præcipitat longè cælo, comitúmque ruinam
Ingentem secum trahit: infra terra dehiscens
Tenarias aperit fauces, infernàque claustra.
Flavius Hectoriden exin complexus, Ibero
Donat equo, primus quo bella solebat inire.

At non iſte tibi vanis terrebitur umbris,
Addidit, aut pavidus meritos infringet honores.
Et jam finis erat miſſo certamine, quando
Increpuêre tubæ populos, clangore tubarum
Infremuit circus, ſtupuit cervice reflexâ
Vulgus, & ex aliis alia in miracula pendet.
Protogenes, Timone ſatus, Telephoque Melander
Circum animis alacres ineunt, cavæque ſuperbos
Convertêre oculos: niveo hic candore coruſcum
Cornipedem lætus ſubigit, cui nomen Aëlles,
Planitiem tanto rapit ungula turbine, tanto
Cum fremitu tremulis glomerat ſub naribus ignem.
Protogenes geminos ſtat equos ſuper, hunc pede dextro,
Hunc lævo domitans: concordibus ire lupatis
Inſtituit, paribuſque laceſſere curſibus auras.
Vix ebur inflavit tubicen, cùm primus Aëlles
Perſonat hinnitu late, mox impete facto
Concitus, æquali rapitur per plana tenore.
Qualiter in ſummo ſolitus qui ludere fluctu
Luce ſub ætherea delphis, ſi forte per alta
Impetus ire jubet, vaſtæque illabier undæ;
Dat caudâ ſonitum primò; tum tramite recto
Ocyor immotis rapitur per cærula pinnis.
Plauſu ergo cavex poterat gaudere Melander,
Sed ſua Protogenes avidam in ſpectacula plebem
Traxerat. Ille animis nexos & laudis amore
Cornipedes ſpatiis paribus ſublimis agebat.
Haud aliter pennis, ævique nitore coruſca
Ventorum ſoboles, Calais formoſior ore,
Cæſarie Zetes, pullis ſola in loca quondam
Harpyis, miſerum ſolitis illudere Phinæ,
Æquato vacuum ſulcabant æthera nifu.
Protogenes nunc ire prior, nunc ire Melander;
Iamque pares ferri, incipitem victoria palmam
Huic, illi objicient, animos accendit utrique.
Ecce propinquabant metis, pariterque tenebant,
Eliſis cùm pes nervis laxatus Aëlli
Crure pependit onus non utile, cernuus ipſe
In caput it præceps, equitémque effudit in æquor.
Protogenes ſimul emicuit, ſimul attigit aras,

Cornipedes

Cornipedes simul, & lauro jam victor inumbrat.
Lætum illi sensere decus, saltuque superbo,
Hinnitique alacres tanto superesse labori
Oſtentant animos. Proh! quæ non pectora tangit
Pulchræ laudis amor? Etiam rationis egentes,
Conſilijque inopes pertentat gloria vitas.
Threicius actutum in equis, ſpectante coronâ,
Ecce aderant juvenes, Graios pulcherrimus inter
Lesbius Antigenes, atque illi ſuppare formâ
Venulus: is necdum belli maturus, imbat
Bella tamen puer, atque armorum inſigne, ſub ipſo
Patre, rudimentum teneris ponebat ab annis.
Se Gobriæ comitem Regi jam firmior ævo
Venulus addiderat, dulcique cupidine captus
Multus honoratæ captabat præmia laudis.
Vt primùm ſonuit tuba, equos erectus uterque
Addidit in curſum, pulſo circùm æquore tellus
Crebra ſonat: ſpumæ ſuprema per ora, per artus
It ſudor, ſublimis anhelitus ilia pulſat.
Si quis honos, & ſi qua fides majoribus uſquam,
Cruribus alipedem hinc illinc pro more reluſis
Antigenes ſubigens ad caudam verterat ora,
Inſiſtitque premens. Medio certaminis æſtu
Dum fervet, dum pulvereum rapit ungula campum,
Quadrupedis ſoleas alternis ictibus uſque
Tundit agens, cavea inſonuit ſub verbere crebro.
Nec minùs interea plauſu, fremitique tubarum
Evolat exultans, & metis primus adhæſit.
Continuò primus Pterelas & Tindarus ardent
Carceribus, Pterelas de more fatigat Iberum:
At Galatam dorſo rectus ſpinâque ſuperſtans
Tindarus inſiſtit (viſu mirabile) & iſti
Arduus ex alto longis moderatur habenis.
Vtque tuba increpuit canor, olli erumpere, & unà
Ardentes in equos totas effundere habenas.
Vt quondam Lærtiades, quem credidit undis
Ægra animi, & Superûm imperiis evicta Calypſo,
Stans parvâ in puppi, tumidi fera dorſa premebat
Æquoris, & fluctus multa frænabat iniquos
Arte valens, donec Phæacum enavit ad oras.

Tindarus haud aliter curſu, ſaltúque ſuperbum
Cornipedem in circo frænis attemperat, & nunc
Effertur, nunc & ſubſidit, & omnis in omne
Momentum ſe librat equi, turpémque repulsâ,
In mediâ Pterelam linquit palmaris arenâ.
In caveam ſe mox cum Rege Sicanore centum
Infudêre equites, pubis delecta juventus:
Par equitum decus, alipedum par gloria, veſte
Inſternuntur equi Phrygiâ ſubtegminis aurei:
Crinales ludunt per colla comantia gemmæ,
Spumoſum teritur duris ſub dentibus aurum.
At croceis equites tunicis, auróque micabant.
Cornipedum lumbos illi, ſubſtratáque ſummis
Dorſa premunt alacres pedibus, rectique fatigant.
Barbaricæ nutant illis in vertice pennæ,
Objiciunt parmas lævis decora alta parentum
Inſcriptas; dextris auro præfixa minantur
Spicula; quin etiam dextri de more vetuſto
Stellati pendent enſes, atque ilia cingunt.
Ecce autem placido litui ſub murmure, lenti
Procedunt pariter: pulcherrimus ore Sicanor,
Auſonij generoſa propago Sicanoris ibat
Præ reliquis, triplici ſequitur pulcherrima verſu
Quem turma, & Procerum gaudens veniſſe ſub ora
Leniter incedit, ſeſéque oſtentat in armis.
Vt tuba criſpanti ſonitu trepidóque canore
Admonuit pugnæ: tum vis eſt addita turmis
Bellatrix, ſolvêre choros, & prælia miſcent.
Miſſilibus pulchræ data ſunt exordia pugnæ,
Ordinibus quater in ſeſe poſt terga receptis:
Quattuor adducto quiſque aurea tela lacerto
Egit in adverſos longè, totidémque recepit
Arduus in peltam. Quippe omnis pertulit ictum
Iactus, in auratis ſtabant umbonibus haſtæ,
Et caueam telis ibat circùm horrida ſilva.
Poſtquam autem ſonitu crepuit tuba, protinus illi
Spicula detergunt clypeis, & prælia turmis
Inſtaurant geminis. Ceu marte fatiſceret illa,
Paulatim cedens etiam dat inertia turpi
Terga fugâ: hæc victrix inſtare fugacibus, & mox

Ancipiti

Ancipiti bello trepidare, & vertere frena.
Illa sequi, attritamque fugâ, & formidine laudem
Corruptam ulcisci: fugiúntque, fugántque vicissim.
Tertia sed postquam commisit prælia cantu
Buccina; tum implicuêre acies, tum quisque cohortem
Oppositam interior subiit, tum verbere crebro
In numerum (suadet numero tuba quippe vibranti)
Scuta sonant, colles circùm, vallésque profundæ
Et sonitum, & numerum late super æthera jactant.
Ter medias penetrant acies, atque agmina tota
Indociles bello vinci, cùm pacis amicæ
Auctor adest, frontem pallenti cinctus olivâ
Omnia Mercurio similis, virgâque Sicanor.
Annuerat postquam, cecidêrunt mentibus iræ,
Lætaque pax animos per mutua fœdera junxit.
Flavius accitis sacrâ victoribus ornat
Fronde comas, aurúmque addit, vestésque superbas.
Præterea puerum galeâ, cristâque comanti
Antigenem donat, doctâ quam fecerat arte,
Et Crucibus rutilam geminis inscripserat Almon;
Ignipotens Almon; atque hæc simul addidit ore.
Hoc cape, chare puer, casus manumen in omnes,
Et pulchrum decus. Hoc dura inter prælia signo
Victor eris: puero pertentant gaudia pectus.
Tyndarus accepit gladium, cui flava rigentem
Inserta in chalybem, capulum insignibat laspis.
Illum pictus acu, bullisque coruscus, & auro
Baltheus, ex humeris suspendit in ilia lapsum.
Tergeminos, & mole pares, glaucoque colore
Protogeni dat equos, currúmque, & Thermodonta
Aurigam: dein Ausonium complexus in ulnas
Et magnâ decoratum laude Sicanora, pulchro
Præfecit Latio; quo nuper munere, Prisci
Antinoüs frater decesserat, ausus in armis
Licinium contra stare, & decernere ferro.
Quin etiam victis magnum dat habere talentum
In capita, amissæ quondam solatia laudis.
Interea cùm præcipiti devexus Olympo
Sol caderet, Proceres epulis genialibus Heros
Flavius invitat; strato discumbitur auro:

Nunc citharâ, nunc voce Theon, dum perſonat aulâ
Æmonides, pendent illi cantantis ab ore.
Námque canebat uti cæli, terræque repertor
Pinxerit æternum ſtellantibus æthera flammis,
Pleiadibus, geminisque Arctis, atque Orione,
Et liquidas circùm tellurem fuderit undas:
Iuſſerit & ſursùm montes erumpere, valles
Sidere, & æquatos per plana excurrere campos.
Vocalem alituum turbam, mutámque natantum
Progeniem veluti fratres eduxerit unà
Oceani ex alvo: qui grandia corpora pingui
Quadrupedum è terrâ formaverit, atque per omnes
Terrarum tractus, homini permiſerit uni
Arbitria, & rerum conceſſerit eſſe potentem,
Quem tamen argillâ, tenuique creaverat aurâ.
Vix ea finierat cantor, cunctique ſilebant,
Millibus è multis, quando delecta juventus
Ad ſua Romuleum invitat ſpectacula Regem.
Haud procul à caſtris, pompæ, ſcenæque redemptor
Dædalus, aëriis ponens tentoria velis
Fixerat, & latè in vaſtum diſtenderat orbem.
In medio pendet patulis cryſtallina ramis
Arbor, & obſcuram centenâ lampade noctem
Vincit, odorato circùm loca lumina florent.
Flaviaden illuc menſis comitata remotis
Lecta manus Procerum ſequitur: jam ſederat omnis
Turba Ducum, jam facta quies, cùm protinus intro
Tergemini ſubeunt Zephyri, motantibus alis
In choream, varios intexunt orbibus orbes.
Hoc etiam Conſtantiaden epigrammate donant.
Quæ fera vis animis, aut quis furor incidit? At non
Imperium Mundi, veræ nec adorea laudis
Gloria, ſe tanto velit indulgere furori.
Europam atque Aſiam, & Libyam diſcordibus armis
Vſque laborantes, in fœdus jungere ſola
Relligio potis eſt, ſceptrúmque vocare ſub unum.
Aſpicis, ô Princeps! ut ſummo vertice cæli
Labitur, & Regnum æterno tibi munere firmat.
Mox bellator equus, gemmis crinitus, & auro
Inſtratus, rutilæ nutant cui vertice pennæ,

Intulit

Intulit Europam ad lituum: fræno annuit illa
Deſuper, & memorem doctas remeare per artes,
Gaudentémque ultro, totâ circumtulit aulâ.
Barbarico actutùm cultu, ſtratisque ſuperbum
Attalicis ſubigens elephantum, ad cymbala prodit
Pulchra Aſia, & radio gradientem temperat aureo.
Tum quoque inæqualem gibbo per ſiſtra camelum
Africa ſublimis longâ moderatur habenâ.
Iámque illæ ſemel atque iterum regale per æquor
Implicuêre choros: elephas felicior arte
Enituit, formâ longè generoſus honeſtâ
Vicit equus, malè par conceſſit utrique camelus.
Defluxêre feris Nymphæ, choreámque decentem
Inſtituunt, dextris gaudent innectere dextras.
Nunc etiam ſolæ ſecum ſaliêre ſoluto
Agmine, tum adverſis incurrunt faucibus, & mox
Convertêre fugas, brevibus dein corpora gyris
Inter ſeſe agitant, recto nunc calle recedunt,
Obliquo nunc & redeunt, tandem orbe peracto
Teſtantur longam repetita per oſcula pacem.
En geminus ſubit, aulæúmque à limine verſum
Hinc illinc ſuſpendit Amor, ſimul aurea lætum
Exerit os, Divûmque inceſſit Gloria paſſu.
Qualis odorato ſurgens Aurora cubili,
Purpureo ſtellas, & noctem lumine vincit.
Vt venit in medias, oculis blanditur, & ultro
Incautis ſeſe inſinuat, fallitque veneno.
Terrarum variis diſtinctum gentibus orbem
Ad numeros agili alternans ſub pollice verſat,
Et Nymphis blandè circùm ridentibus offert.
Pérque manus illæ, ínque vicem mirantur, & uſque
Suſpiciunt, pulchróque ſuper molimine gaudent.
Cùm fera pacatis prodit Diſcordia, veſtem
Diſcolor incinctam, longis redimita colubris,
Turpiter os illi ſparſum, vaga lumina, fœdè
Huc illuc diſtorta: facem complexa flagrantem
Dextra micat, dirus toto furor ardet in ore.
Vix geminos maleſana choros iterarat, & ecce
Concepêre nefas Nymphæ: jámque Africa forti
Invidet Europæ; haud æquis Europa ſororem

Errando, & totâ vexavit Cycladas undâ.
Exultat medios inter Diſcordia montes,
Vtque illos ſceptro increpuit, ſonuêre receſſus
Ingentes, latera extemplò per aperta feneſtras
Dant rupes: Mauros Afræ vomuêre leones
Tergeminos, quibus os rabidum, quibus horrida flavis
Colla jubis: totidem maculoſo tegmine Lynces
Montibus ex Aſiæ, trepidum ſaliêre per æquor:
Europæ ſcopuli ſcinduntur, in æquor apertum
Tres fudêre viros, clypeis, gladiſque minaces.
Alter in alterius (nempe illos objicit hoſti
Sors inopina, additque in certa pericula) primo
Hæſit in aſpectu tacitus, lentóque pererrans
Lumine; quid, quantúmve auſint, interrogat hoſtes.
Mox quoque collectas toto de corpore vires
Expedit, igneſcunt iræ, furor impius omnes
Præcipitat ſenſus, numeris tamen ille tenetur,
Nec ſine lege furit. Primi ceſsêre leones,
Inque cavos iterum montes latuêre recepti.
Tum Lynces variæ, mox & generoſa virorum
Pectora; ſecedunt montes, lucúsque recedit.
Tertius hîc ſcenæ vultus, maris unda ſupinam
Infuſa in caveam ſpumoſo incanuit amne:
Hinc illinc cæcis educta canalibus, omnem
Iuſſa locum implevit, tremulis concentibus aër
Protinus impelli, ſenſim inclareſcere leni
Sirenes voce, atque aures ſuſpendere cantu.
Tum fluvij vitreis venêre in curribus Afri:
Sulcator Phariæ Nilus telluris, & oræ
Bagrada regnator Libycæ, pulchérque Zaïrus,
Quique Niger trahit à nigrâ cognomen arenâ,
Quos longus tremulo Crocodilus in æquore raptat.
Parte aliâ, torto modulati turbine conchæ
Tritones coram veniunt, ſcenámque per omnem
Oſtentant fluvios Europæ: corpore longo
Danubium ingentem, lacrymantem ſuccina plenis
Eridanum ripis, Rhenique fluenta bicornis,
Et te, Pariſios præter qui labere muros,
Sequana. Mox aqueo lenis molimine cantus
Aulam mulcet agens (dixêre hydraulica Graii)

Scilicet

Scilicet Eoum Gangem, Tigrimque ferocem
Fluctibus, & placidum Euphratem, Nymphisque marinis
Dilectum ante alios præstantem fluctibus Indum,
Ardentes fluvialis equus per cærula ducit.
Omnibus hic formæ decor: alto à vertice latos
Canities humeros infunditur: aurea crines
Vitta premens flavo barbas discriminat auro:
Candida litoreis radiantur tempora sertis:
Ex humeris glaucus nodo dependet amictus.
Dextera nunc vibrat, nunc vibrat læva tridentem.
Concordes vix passa aliquot componere gyros,
Egit in adversos tristi Discordia motu,
Purpureo sulcans fluctus Discordia lembo.
Infremuêre undæ, spumant vada salsa, ferâque
Fluctibus insultant, extremóque agmine caudæ
Irascuntur aquis, numeros sub verbere fluctus
Reddit, & ipsa modum saltu Discordia servat.
Iratis Divi similes vibrare tridentem,
Intentare minas, repetitis ictibus iram
Ad sonitum conchæ moderari, undámque secare.
Paulatim fidunt fluctus, fluviique recedunt,
Scenæque continuò tenui siccatur arenâ.
Ecce Asia ingrediens, horrendis sævit in armis,
Missile lentatur dextrâ, sævámque minatur.
Parte aliâ clavam, exsuccos nudata lacertos
Africa molitur, quam pone Europa subivit
Altior ingrediens, & nudo fulgurat ense.
Surgebant animis tristes discordibus iræ,
Tela coruscabant, toto furor ore micabat:
Æra cùm leni tenuem vox carmine mulcet:
Quo cantu conversi animi, compressus & alto
Corde dolor, tranquilla redit decor omnis in ora.
Iam croceis nubes radiis tabulata per alta,
Paulatim tacito crispata volumina lapsu
Explicat assurgens, & odoro perpluit imbre.
At nebulas inter solio subnixa micanti
Ibat Religio, & demissa per auras
Flaviadæ assedit: tanto perterrita visu
Et longe fugit, & tenebras Discordia captat.
Europam & comites cepit reverentia Divæ:

Illius

Illius ante pedes cecidêre in genua, ſimúlque
Præreptas olim partes, avulsáque Mundi
Fragmina (quæ geſtant clypeorum more ſiniſtris)
In ſacro poſuêre ſinu; gratatur, amátque
Relligio, partésque globi componit habendo,
Integer in ſe aptis ſurgit compagibus orbis:
Qualis erat quando in medias ſe Gloria primùm
Intulerat, quem Flaviadæ mirabile donum
Diva dedit, nubésque inter ſe læta receptat.
Illam aſcendentem, & cæli ſupera alta tenentem
Dum tacitis omnes animis, oculisque tuentur;
Prodit ab Eoo citriis lætiſſima pomis
Silva, illam trunco acclinis, lentúsque ſequentem
Ad numeros tenui ducebat arundine paſtor.
Grex ovium circùm ſtupet, & nil gramina curat
Immemor, aut trepido currentem flumine rivum.
Ecce nemus fœtu dives, malísque beatum
Puniceis Atlas impubis agebat ab auſtro
Multiforis flatu calami, chariſſimus Atlas,
Et Mauris Nymphis, & Mauri gloria ruris.
Circùm capripedes, & acutis auribus adſtant
Hinc illinc Satyri, cantúsque ediſcere certant.
Parte aliâ ſenſim baccarum pondere curvæ
Acceſsêre oleæ, leni quas Thracius Orpheus
Et voce & citharâ trahit: illum voce canentem,
Argutóque fides tractantem pollice, pulchræ
Admirantur Hamadriades, numerósque ſecutæ
Mutavêre alios alio ſub carmine motus.
Mox Aſia in citrium nemus emicat: Africa ſilvam
Puniceam tenet; Europæ pars optima ceſſit:
Quæque ſuâ dites decerpit ab arbore ramos,
Quos regi dicat, & dominum teſtata recedit.
Paulatim abſcedunt ſilvæ, vacuo area circo
Lætum animis Conſtantiaden, Procerésque remiſit.
Nox medium bigis ſubvecta tenebat Olympum
Alta petens, ſtratis Proceres cùm membra reponunt.
Aligerûm Princeps cæleſti miſſus ab arce
Flaviaden multa in ſomnis divina docebat:
Quæque ævo fuerant jamdudum lapſa priore,
Quæque olim noſtrum ventura trahuntur in orbem,

Evolvens ſimulachra modis variantia miris.
Infuſos populos cellâ ut ſublimis in altâ
Excepturus erat, totásque ex ordine gentes,
Et quas primus equis Titan ardentibus afflat,
Et quas afflat equis Titan poſtremus anhelis.
Officio certant illæ, donisque ſuperbum
Teſtatæ dominum, optant tricennalia Regi.
Ecce Sacerdotes idem, Chriſtique Miniſtros
Omnibus excitos Romani partibus orbis,
Multa olim paſſos, aulâ excipiebat in amplâ,
Conſilium ingens, auguſtum. Præque omnibus unum
Nicoleum, famâ celebrem, mirísque tremendum
Oſtenſis, magnâ ſupplex pietate colebat:
Spiridiona dein pro libertate tuendâ
Chriſtiadûm, miſerè ſucciſum poplite lævo,
Dextro captum oculo, cruciatâ fronte notatum.
Tum Polemona ſenem ſimili dignatur honore,
Paphnutiúmque, aliósque eadem ludibria paſſos.
Illi autem ingentis ſummo ſub fornice Templi,
Aſpirante Deo, maleſanæ mentis Arium
Subjiciunt pœnis, & ſacris cœtibus arcent.
Præterea Ægypti furiam, ſtudiísque novantem
Meletium, & quos ad ſanctos ſibi legerat uſus,
Exturbant ritè ordinibus, pacémque reducunt.
Quin etiam Paſchæ incertis vaga ſacra diebus;
Atque deinde alia ex aliis quæcunque trahuntur,
Multa ſuper Lunâ meditati, multáque pulchro
Sole ſuper, certis concludunt finibus anni.
Iam ſenior partâ Romanum pace per orbem
Flavius inſtituit natos, monuítque vereri
Numen, & egregiâ Chriſti pietate Miniſtros:
Imperiúmque illis in partes dividit æquas.
Quin illum obſcurâ gradientem nocte per umbras
Aliger æthereus ſub triſtia tartara ducit.
Hic fontes animæ commiſſa piacula ſolvunt;
Heu! loca fœda ſitu, terrarúmque obruta mole;
Heu! piceis fluvios undis, & ſulphuris atri
Stagna refuſa vadis, altáque voragine merſa.
Hinc duri gemitus, hinc cæcos ſæva per ignes
Nequidquam audiri vaſto ſuſpiria planctu.

Triſtia

Triſtia multa ſuo volventem pectore Regem
Flaviadam, & tantis ſtupefactum pectora pœnis
Aliger alloquitur. Quæ, Flavi, grandia cernis
Supplicia, illa quidem tibi, qui nunc munere terræ
Veſceris, & cæli vitales excipis auras,
Grandia ſunt: non illa tamen ſæviſſima, major
Eſt miſeros tacito latitans ſub pectore peſtis:
Cæleſti patriâ cecidiſſe, carere parentis
Conſpectu, ſocios vitæ, dominósque perenne
In tempus, ſtygios miſerè tolerare latrones.
Sed quid ego te nequidquam per ſingula duco?
Quidquid enim ſævum miſeris mortalibus uſquam,
Quidquid atrox olim immanes reperêre Tyranni,
Hic furit, & quæcunque illis ignota fuêre.
Nam Deus, ille Deus, cui parent omnia, flammas
Has alit, æternóque accendit Numine pœnas,
Et pro criminibus varias attemperat iras.
Aſpice quanta tibi vitare pericula Chriſto
Sit licitum duce: námque omnes ex ordine Reges
Per populos magnis dives quos Roma triumphis
Oſtentat, pœnis hic exercentur acerbis.
Continuò ſtetit ante pedes, atque ora loquentis
Currus, & admoti niveo candore jugales:
Aureus ardebat temo, radiíque rotarum,
Orbitáque, & latè circùm axis fulgurat auro.
Purpuream patulis lucem de naribus efflant
Quadrupedes, ſe séque involvunt lumine criſpo.
Poſtquam autem ſede in mediâ conſedit uterque,
Admonet alipedes, rutilas molitus habenas
Aliger: it Zephyris, & fulminis ocyor alis
Currus, & aërios tractus atque æthera vincit.
Prætereâre vagas, varióque errore meantes
Huc illuc ſtellas: jam fixas ordine certo,
Supremique tenent ſtellata palatia mundi.
Aliger, huc poſtquam ventum eſt, Heroa, tenebat
Quem defixum animo facies pulcherrima rerum,
Talibus aggreditur. Divinum cernere Numen,
Affarique Deum propiùs, corámque venire
Nulli fas hominum, quos circùm terrea moles
Obſideat, tardóque hebetent in corpore ſenſus.

Sed neque jam licitum in ſedes, cœtúsque piorum,
Felicem exuti luteo qui corpore degunt
Hic vitam, & puri paſcuntur lumine Veri;
Autire, aut certas audire ac reddere voces.
Quod te ſcire licet, nec me ſuprema poteſtas
Effari prohibet, nequaquam efferre pigebit.
Principiò has mirare domos, hæc aſpice tecta
Auro, atque argento, & variis radiata metallis.
Hic locus Heroûm ſummi Capitolia Regis
Attinet, atque alias cæli ſupereminet arces.
Hic paucis habitare datum. Sanctiſſima paucos
Templa manent: bello quondan meruêre decori,
Qui ſtygios tellure procul per bella tyrannos
Exegêre, auſi ritus abolere profanos,
Vnigenámque Dei meritis inducere Templis.
Hic tibi certa domus, viden' ut ſplendore coruſca
Et circùm niteat variis inciſa figuris.
Seguſiæ hic trepidant arces, fractóque fatetur
Eridanus dominum cornu, Regémque ſalutat.
Ecce tibi, mediâ quamvis in morte tenetur,
Ruricius furit æternùm, æternúmque minatur.
Aſpice ſanguineo ſpumoſum flumine Tibrim
Currere, præcipitésque duces, versásque phalanges;
Et clypeos, & ſcuta virûm, galeásque trahentem,
Altáque nequidquam conantem in litora Regem.
Nonne vides toties renovantem prælia Caium,
Vt poſito tandem faſtu te pronus adoret?
Hîc ſanctæ varios pacis, bellique labores
Mirare, & quæcunque olim tua dextera bello
Edidit, aut annis quondam venientibus edet.
Præterea comites aderant, ſeniórque Marinus;
Rethiciúsque pater, quo nunc gens Hedua gaudet
Rectore, & Belgæ Maternus gloria gentis:
Quos ſacri auctores belli, pacísque miniſtros
Nactus, in hæc poſito conſcendes corpore templa.
Proximus has habitat ſedes, quo vindice vani
Relliquiæ Iovis, & ſtygij cecidêre furores:
Quem miro quondam informans pietatis amorẽ
Ambroſius, bello illuſtrem ſuper æthera vexit.
Nunc paribus ſtudis ævum, tectóque ſub uno

Felices

Felices agitant, atque unâ luce fruuntur.
Nec procul hinc Carolus fixit tentoria, magni
Cui nomen bello tot parta trophæa dedêre:
Saxonicæ domitor gentis, portenta Deorum
Nomina, Teutatémque, & triſtem ſuſtulit Heſum.
Cui leo Chriſtiadûm Antiſtes, ſummúsque Sacrorum
Arbiter, Auſoniæ in populos, & Teutonas acres
Detulit imperium, & rerum dedit eſſe potentem.
E regione vides centum ſublime columnis,
Atque tuo haud impar, cælo conſurgere Templum;
Hoc Lodoïcus habet. Magni pro nomine Chriſti,
Et pietate ſuper, reſides in bella movebit
Franciadas, Pharias arces, populósque feroces
Sternet agens, franget creſcentis cornua Lunæ,
Atque Crucis ſublata olim pia ſigna reponet.
Quin etiam ſanctum Chriſti Diadema, Déique
Sanguine purpureum, Francæ quo maxima gentis
Gloria, & æterni ſtabunt fundamina regni,
Aſſeret, auguſtâque potens in ſede locabit.
Cui comes it ſanctus priſcâ de gente Sacerdos
Memmius: iſte Sacris (ſeu Rex ad publica Templa
Oratum populis circùm comitantibus iret,
Sive domi, placidæ per amica ſilentia noctis
Oraret tacitus) ſanctas operatus ad aras,
Ingens, auguſtum tulit, & memorabile donum;
Inſignem pietate librum; cui marginis oras
Illevêre auro, varióque colore figuræ.
In medio nituêre, piâ quæ carmina voce
Ieſſæus cecinit Vates Iordanis ad undam.
Hiſpanos ille & Reges, Regésque Britannos
Inſtituet liber, & longo poſt tempore, rurſus
(Sic jubet æterno qui temperat omnia nutu)
Memmiacas remeare domos, gazámque ſuperbam
Optabit, nullâque deïn vel ſorte, vel ullis
Temporibus, gentis captus pietate recedet.
Quare age, Flaviade, tantis imponere rebus
Eſto memor finem. Hâc iter eſt, hâc itur ad aſtra.
Dixerat, & Regem ſomnus cum nocte reliquit.
Barbarico interea cultu, pompâque ſuperbus
Parthorum Aſtyages Legatus caſtra ſubibat

Dona

Dona ferens: denos ingenti mole Elephantos
Obtulit, & belli pariter, pacisque scientes:
Eoas addit vestes aulæáque, fratrum
Prælia terrigenûm, vanosque intexta tumultus.
Tum Constantiadæ ingressus tentoria, Regem
Talibus invasit: Priscæ clarissima gentis
Progenies, Flavi, qui Parthica regna ministrat
Marte potens Narses, nos ad tua limina mittit.
Iampridem cum Licinio gens Parthica fœdus
Icit, & in belli socium fratrémque vocavit:
Invictam dubio gentem quid marte lacessis?
Te Latios fortasse juvat, fortasse Pelasgos
Fregisse, & totum spe nunc invadis in orbem?
Hactenus, esto, tibi risit Fortuna, timenda est
Hoc magis, in summo stat lubrica, verget ad imum.
Namque vide, quanto Mavors molimine contra
Imminet: Exigua est belli pars Caius, & Afer,
Atque Asia,& quodcunque times:NuncParthus,& Indus,
Atque Scytha, Ausoniæ fatalia nomina genti
Incumbunt. Tuus ille umbrâ te Crassus inultâ
Admonet, ac versis fugiens Antonius armis,
Quid spectare queas. Parthos petiisse duello
Nemo impune tulit. Paucos tentasse fatendum est;
Plures pœnituit. Sua ne converteret arma,
Et victo Parthus ne frænos adderet orbi,
Quæ gens non timuit? Necdum tamen Africa nobis;
Nondum aderant Asiæ populi: nunc fœdere facto,
Et conjuratos, nec tantùm illata morantes
Bella, sed arma ultro vobis, sed sponte ferentes
Túne feras, aut quâ tandem virtute refutes?
In Superos etiam, ut fama est, gentémque Deorum
Arma moves. Ergóne Iovem detrudere cælo,
Inque tui speras partem raptare triumphi?
Mortaline manu sceptra immortalia tractes.
Hoc tamen, hoc fuerat potius, quàm nunc Iove pulso;
Ad cælum, Mundique ad regna vocare latronem.
Pro Iove Iudæus regnet? Pro fulmine turpem
Ad furcam gentes paveant? Quid, de Cruce pendens
Furcifer, & cælum & terras regat? O! ubi nobis
Romulidum patres? Vbi nunc gens Flavia? Si te,

Si jam nulla movet pietas, at reſpice quanti
Europa ex magnâ populi tua caſtra ſequantur,
Relligio quibus eſt cordi, ritúsque parentum:
Et licet infando dum ſervent prælia marte,
Iráque præcipitans animos & pectora turbat,
Conceptum ſopire queant utcunque dolorem:
Pacatis tamen ut ſuccedent otia bellis,
Tum melior ſub corde pudórque, odiúmque recurrent,
Ereptósque Deos repetent, convulsáque Templa.
Quid ſanctæ memorem Proceres clariſſima Romæ
Lumina? Nempe Iovem Tarpeio à culmine mittent
In præceps, Chriſtúmque ſacratà in ſede locabunt?
Peſſum nempe dabunt orbem, quò furca triumphet?
Quare age, ſat bello, Flavi, ſat denique Chriſto
Conceſſum: Da pace frui; ſua Numina Mundo
Reſtitue; Europam placidus dominâre per omnem;
Cede Aſiâ, partis fruere, & tua fata verere.
Dixerat hæc poſtquam Aſtyages, tum protinus omnes
Convertêre oculos taciti, Regémque tuentur:
Hic ſceptro nitens, ſolio ſic fatur ab alto.
Haud equidem inficior, Sanctum eſt, & amabile pacis
Nomen, at in belli ſocios accire tyrannos
Immanes, nec jam ſanctum eſt, nec amabile. Noſtris
Licinium ſpoliis tumidum, noſtróque cruore
Spumantem, ſancto cur marte laceſſere Parthus
Invideat, bellúmque etiam crudele minetur.
Iuſtitiæ ſi quis ſit honos, ſi cura decori
Eſt illi ſuper, in noſtras concedere partes
Ius, pietáque jubent: ſi verò fundítus æqui
Spes nulla eſt, vinci poterit. Sed Craſſus inultus
Occidit, & Marcus fugit. Memorare Darios,
Et Xerces licuit. Quo tellus Parthica marte
Concidit? Euphratem quæ vis, quæ Bactra, Tygrímque
Edomuit? Nemo Parthos impune laceſſit?
Parthorum dominos quoties domuêre Pelaſgi?
At Parthos necdum Romana potentia fregit?
Egregium verò decus, & memorabile, noſtrum
Non ſubiiſſe jugum? Quid nobis Templa, Deosque
Obtrudis? Primus ſcelerato Numina ferro
Appetit Caius. Cur tandem ſanguine fumat

Humano

Humano tellus? Cur mutavêre colorem
Tot maria? Auctorem Mundi, rerúmque Parentem
Caïus invadat bello? Spectemus inertes
Chriſtiadæ, nec jam fas ſit cohibere furentem?
Si vobis, ſi Mithra placet, ſi poplite flexo
Tot pecudum portenta, feræque impunè colantur
Omnigenæ: nobis cæli terræque potentem
Vertatur vitio coluiſſe? Ignobile leti
Furca genus, magnos animos, & pectore forti
Dedecet Heroas? Quid quod metuenda nec illam
Roma, nec admittet ſancitâ lege Senatus?
Licinium Crux illa domat, Crux illa tyrannos
Italiæ fregit, vidit coluítque locatam
Roma foro. Quanquam ſi quid fortaſſe repugnat,
Si ſanctum refugit nomen; quos Roma creavit,
Roma Deos timeat. Nobis non igne, nec enſe
Eſt placitum feciſſe pios: ſit libera cunctis
Relligio, Superis ſunto ſua Numina curæ.
Quod ſupereſt, ſi jam Narſes in noſtra venire
Pacta velit, ſancto jungamus fœdere dextras:
Sin minùs, & Caï tutetur crimina bello,
Tum ſciet expertus, quid poſſint maxima Chriſti
Numina, quid noſtræ valeant in prælia vires.
Hæc ubi dicta dedit, properabat vincere magnis
Munera muneribus: centum mittebat equorum
Corpora, quos Zephyri conceptos flatibus acres
Ediderant matres: auro frænantur, & auro
Vngula dura ſonat, centúmque umbonibus aureis
Mittuntur clypei, totidem mittuntur & enſes
Stellati, totidémque ardentes murice zonæ.
Ecce autem Anthoridis prognatus ſanguine Perſei
Euphorias, ſed non ſanctos cum ſanguine mores
Hauſerat. Ille patris magnus quem corde ſub alto
Vrebat livor, Francæ quem gloria gentis
Inclyta, quem Brito ſtimulis urgebat amaris,
Iampridem tacitus tranſire parabat ad hoſtes.
Necdum illi exciderat (quam primis hauſerat annis
Vana ſuperſtitio Divûm, ritúsque profani.)
Ille ergo ad Parthos, mediæ ſub tempora noctis
Exire, & tacitas moliri fraude Pelaſgâ

Inſidias

Insidias: Tum Chaonias, quæ mœnia, circùm
Cingebant, idem puppes cùm rector haberet,
Ibat ad Iphicratem nocte, & de nocte redibat.
Postquam autem socios mirâ collegerat arte,
Illos multa docet, toleratos marte labores;
Exhaustos nequidquam artus, truncataque membra,
Atque suâ externos decorari morte triumphos,
Eversas patriæ leges, monimentaque patrum.
Quid supersit, inquit, tandem? Iam strata Deorum
Templa, aræque jacent, post Numina stare pudendum est.
Nam quò magnanimos invitat gloria, si Crux,
Si jam furca Deos facit? Ite in prælia, densi
Nunc ruite in bella, & sævi discrimina martis,
Cùm tam digna manent generosos præmia. Tantum est
Furcifero placuisse Deo. Námque unica rerum
Hæc nobis supersit. Tumidus jam cætera Brito,
Et Franci, Morinique tenent incognita Graiis
Nomina. Iam Latias dominatur Francus in urbes,
Insultat Graiis Brito: Quam irridet, adorat,
Invitisque Crucem obtrudit. Vos, fortia patrum
Pectora, vos animæ Heroüm, fortissime Theseu,
Monstrorum Alcides domitor, sanctissime Regum
Æace, vósque olim juris, legúmque datores
Diis geniti; vos hæc cælo spectatis ab alto?
Nempe Caledoniis etiam servire tyrannis
Vester amat sanguis, turpi tot clara Deorum
Progenies gaudet furcæ submittere colla.
Quanquam si quid adhuc Graio de sanguine restat,
Et nos, & patriam, atque Deos subducere fatis
Et fas, & licitum est, socij. Sunt omnia vestris
In manibus. Spectat dudum Fortuna, rotámque
Præcipitem vix sustentat, vix fata retardat
Iupiter omnipotens. Nunc ergo advertite mentes.
Stat Phrygio Cereris vis ingens litore, & undæ
Simplicis, atque ingens læti stat copia Bacchi:
Præterea nostro denæ stant milite puppes
Armatæ, quæ nunc Byzantia mœnia cingunt:
Tum nostro Iphicrates monitu, sex millia pubis
Threïciæ robur, celsis à mœnibus urbis
Improvisus agens, turbabit milite castra.
Quid geminâ referam nostras legione cohortes,

Tótque Duces animo infenſos, quos tædia belli,
Barbaricique acuunt mores, faſtúsque ſuperbi.
Flaviades igitur Caio (quem mille ſequuntur
Ex Aſiâ populi, captâ qui victor Abydo
Et Seſto greſſum accelerat) parat obvius ire :
Cùm totæ exierint turmæ, mediúmque tenebit
Agmen iter properans, portis erumpet ab altis
Iphicrates, nos jungemus ſocia agmina. Tanto
Quid Conſtantiades in turbine ? Caïus illinc,
Atque hinc Iphicrates, medio nos agmine caſtra,
Et cæco totas vertemus marte phalanges.
Quare agite, & patriæ, & veſtri miſereſcite. Terras
Linquere, & in cælum meditantur Numina : Inani
Magnanimos quid thure Deos placamus ? Inertes
Odêre, & ſolâ fortes virtute moventur.
Dixerat, at ſocij læto rumore frementes
Aſſenſêre, velut ſilvas interſtrepit aura,
Magnus ab Heſperio Zephyrus cùm litore ſurgit.
Ille autem, quò non adigit mortalia corda
Libertatis amor ? Lævum nudare lacertum
Inſtitit, & venam gladij mucrone ferire.
Illa ſalit, ſanguis paterâ ſpumante rubeſcit.
Protinus hoc alij atque alij fecêre deinceps.
Tum paterâ dextram confidentiſſimus Heros
Implet, & attollens Superos in fœdera traxit.
Iupiter omnipotens, cæli terræque poteſtas,
Túque adeo Neptune pater, túque arbiter Orci
Vmbrarum Dis regnator, vos Diique, Deæque,
Has audite preces, ſanctique accedite : Vobis
Vivimus, & vobis morimur : Pars altera vitæ
Iam fuſa eſt, ultro dabitur pars altera : veſtro
Cætera vertuntur ſub Numine, Templáque, & aræ,
Et ritus patrij, & pacis bellique labores.
Talia dum fatur, lævo de cardine mundi
Intonuit, puróque ſub æthere flamma cucurrit.
Ille ſub hæc. Macti, cælo Pater annuit, ultro
Increpitans ſegnes : inſtant nunc fata, ſequamur.
Sic fatus Superos venerans libavit, & exin
Torvo indignatum primus bibit ore cruorem :
Tum reliqui pariter. Quò gens ruis impia ? Certam
Infido maleſana fidem quid ſanguine firmas ?

LIBER DECIMVS.

ARGVMENTVM.

PRODITIO EXTINCTA.

ARGVMENTVM EXPLICATIVS.

Phædrus & Chrysis ad Christi fidem convertuntur. Narrat Chrysis quomodo in Phædrum inciderit, & Peripetiam, quæ libro tertio initium habebat, explicat. E Galliâ copiæ subsidiariæ ab Helenâ Constantino veniunt. In castra ex urbe Byzantio erumpit Ipbicrates, & factâ proditione, illa incendit. Accurrit ex itinere Constantinus, & seditionem sedat. Ipbicrates ægrè se in civitatem recepit. Galli cum parte copiarum Licinij, quæ auxilio veniebant obsessi, feliciter præliantur.

NOTÆ.

I. Epiſodium Phædri, & Chryſidis *Libro I. inchoatum, nunc continuatum*, hic abſolvitur.

II. Cuncta in cælo ſic Conſtantino *quemadmodo* evenire refert Euſeb. *Lib. II.* vitæ.

III. Si cui autem videatur Lactium Regem Arvernorum primum inter omnes Regem nominare & ſequentes omnium in primum ſuperbiâ ipſo dignius, adeat Strabonem *Lib. IV.* & Julium Cæſarem *in Exped.* ejusque Commen. Cæſabonium.

Nterea Phædrus ſolido cum robore vires
Et primæ decus ætatis, lumenque juventæ
Vel ſtudio ſponſæ, medicâve receperat arte,
Audiit ille Crucis poſtquam miracula, magnus
Quæ menſam ſuper heſternam narraverat Heros:
Protinus antiquos ritus, cultúsque Deorum
Abdicat, & Chriſto meditatur ſcribere nomen.
At juvenem Chryſis per-tot diſcrimina rerum
Auſa ſequi, & ſævi tot adire pericula martis:
Nunc opere in tanto, pulchráque in laude relictum
Non velit: adjungi ſociam, caſtóque piorum
Aſcribi numero multâ prece poſcit, & ambit.
Illa prior Phædrum verbis compellat amicis.

Chryſida túne etiam ſperaſti linquere, quæ te
Per varios belli caſus, pontique ſecuta,
Exul, egens, patriis auſa eſt decedere regnis?
Scilicet ætheream in ſedem, cæleſtia longe
Aſtra ſuper properas, & nos ſub triſtia mittis
Tartara? Et hæc ſperas fieri divortia, conjux?
Non ita: námque iſto jamdudum in pectore Chriſtus
Imperat, & noſtro ſanctus moderatur amori.
Pauca refert ſponſus. Phædro ſperare quid ultra
Iam liceat? Nullis labentia tempora ſæclis,
Nullum olim Phædro ſubducet Chryſida fatum:
Quam Chriſtus, quam ſancta fides mihi junxit amantem.
Iámque dies aderat, ſanctus quo Spiritus orbi
Dicitur infuſus noſtro, & mortalia corda,
Atque hebetes animos excuſſo acuiſſe veterno,
Chriſtiadûm ritu, lymphis luſtratur uterque,
Cæleſtésque haurit votis communibus auras.
Poſtera cùm terris jam lux dimoverat umbram,
Illos Rheticius caſti per ſacra Hymenæi
Vincula commiſit: multo quos Flavius auro
Proſequitur donans: facti dat magna talenta,
Infecti ſolidos tripodas, pulchrósque lebetas.
Addit equos bellatori ſua munera Phædro,
Addidit & ſponſæ baccata monilia collo:
Præterea Phrygias veſtes, aulæáque flavo
Intertexta auro, varióque emblemate picta.
Omnipotens illic tenerâ ſub origine Mundi,
Hortorum in ſpatiis, primo connubia ritu
Concelebrans, felicem Evæ ſociabat Adamum:
Vnde hominum genus, & noſtræ primordia gentis.
Neptem parte aliâ Saram ducebat Abramus
Tharamides, placidâque Iſaacus mente Rebeccam,
Iacobus geminas: illi ſuffuſa rubore
Lumina turgebant: pulchris ardebat ocellis
Altera, germanámque oris ſuperabat honore.
Ecce Canâ in tenui, nova per miracula, Chriſtus
Chriſtiadûm ſanctos ex tunc jubet eſſe hymenæos:
Seu velit æterni noſtrâ cum gente per omnes
Teſtari latè populos connubia Verbi:
Seu magis eſſe ſui ſpecimen, ſignúmque favoris

Eximium

Eximium, quo Chriſtiadas ſibi junxit amore.
Quin etiam Rex ipſe epulas, quæ maxima Regum eſt
Gratia, convivas inter, dignatur adire.
Poſtquam epulis compreſſa fames, ſic ille decoram
Chryſida compellat. Nobis ediſſere, virgo,
Qui ſpes Antinoï, vigilésque eludere curas,
Atque tuo tandem poſt tanta pericula belli,
Totque maris caſus, potuiſti occurrere Phædro:
Cui paucis oculos virgo demiſſa decoros.
Arcanos animi ſenſus efferre ſub auras
Sit quamvis pudor, & tacitum vulgare dolorem,
Incipiam, Princeps, tamen, & tua juſſa capeſſam.
Poſtquam Aſiâ Phædrus Phtiæ conceſſit ad arces,
Tum domus Eupolemi luctu coſidere viſa:
Tum mihi paulatim collabi corpore vires,
Lentáque tabentes febris depaſcier artus.
Ipſe etiam genitor patrio devictus amore,
Et natæ lacrymis ſenſim molleſcere cœpit.
Ergo fraude piâ tantam depellere peſtem
Inſtituens, voces ſenſim rumore ſecundo
In populos ſpargit: perculſum vulnere Phædrum,
Mox etiam Manes victum ceſſiſſe ſub imos.
Tunc ego, cui ſimplex, fraudisque ignara, dolique
Vita fuit, patrias artes pietate fovere
Imprudens. Locus eſt intra ſanctiſſimus ædes,
Regibus huc ſolis, & Regum ſtirpe creatis
Fas penetrare olim: quo vitam exoſa, diémque
Succedo. Interea genitor, ſeu litore Titan
Surgeret Eoo, ſeſſos ſeu poneret undâ
Heſperiâ currus, ſolam me ſolus adibat,
Et patriis ægrum verbis mulcebat amorem.
Illum ego compellans: Fateor, jam victa dolore
Membra labant, genitor, refugit ſpirabile lumen
Hic animus: Noſtræ ſi nondum tædia lucis
Te capiunt; magni parva in ſolatia luctus
Da pater attolli regali mole ſepulchrum:
Effigiem liceat miſerandi cernere Phædri,
Et veras fictâ lenire in imagine curas.
Annuit invitus quamvis: Mox ſurgere cælo
Incipit, & variis tumulus radiare figuris.

Hinc

Hinc pario Charites ſtabant de marmore, pallor
Occupat ora, pio turgent rorantia fletu
Lumina, & obnubunt humeros ſine lege capilli.
Nec Cytheræa procul vultus dejecta rubentes
Luget inexpletùm, de vertice mitra cadebat;
Ipſa manu lævâ baccata monilia collo
Diſcidit, huc illuc baccæ ſparguntur, & errant.
At dextrâ veſtem, Divûm de more, fluentem
Suſtentat, velut auxilio properaret. Amorum
Tota cohors circùm mœret, tædam ille flagrantem
Extinguit lacrymis; arcum ille genu; ille ſagittas
Ambabus rumpit manibus; pigmenta, colores
Ille, & odoratos projecta lente liquores
Spargit agens: flendi tenet omnes una voluptas.
Parte aliâ Tethis largo maria omnia fletu
Auget, aquæ circùm gemitu cava litora tundunt.
Nereïdes, Phorcíque chorus lacrymantur, & omnis
Turba Deûm, ſeu qui latè fluviósque, lacúsque,
Et liquidis vitreas habitant ſub fontibus ædes:
Tum Peleüs ductâ pulcherrimus Amphitrite;
Atque Aſiæ rector, Trojæque everſor Achilles;
Atque Neoptolemus Priamo qui colla recidit
Immitis, Regúmque ſuper longiſſimus ordo,
Imperio qui Mirmydonas rexêre ſuperbo.
In medio ſtabat candenti marmore lectus,
Atque extenſa ſuper Phædri morientis imago,
Ora humerósque illi ſimilis, longéque comantem
Cæſariem. Quamvis oculos umbraret, & illum
Qui micat in vivis ævo florente nitorem
Nox atra: ille mihi ante alios pulcherrimus omnes
Et fuit, & pectus magno complebat amore.
Hîc longos habitare dies, hîc plurima noctis
Tempora, & in lacrymas placitum perducere noctes:
Iámque ipſi luctus animo, curæque placebant.
Ergo rubeſcentes primo cùm lumine terras
Spargeret orta dies, ſolito pro more ſubibam:
Parte ſub extremâ tumuli, cornúque ſiniſtro
Apparet contorta brevi brevis orbe papyrus:
Quales mos Phædro fuerat reſcribere; primùm
Obſtupui, refugus coït in præcordia ſanguis.

Poſtquam

Poſtquam autem rediit præſens in pectora virtus.
Quid dubitas, inquam, quid ſi ſub amœna vireta,
Eliſiique vocat campos. Sic fata, volumen
Explico, certa manus tales dabat ordine verſus.
Non toti virgo morimur, nec vincitur atro
Funere ſanctus amor, vivos par cura maneret,
O utinam. Hæc amens iterúmque iterúmque relegi.
Paulatim interea cum magno venit amore
Vis animi: Adverſæ tandem hæc mandare papyro
Audeo. Cor vario pulſu, digitíque tremebant.
Non toti quoniam morimur, nec vincitur atro
Funere caſtus amor, noſtros jungamus amores,
Stat certum, fixúmque ſequi: Tibi tela viámque
Quâ facilis, quóve innocuis datur exitus Vmbris,
Sit monſtrare labor. Tumulum ſuper iſta relinquo.
Manè ſub auroram rediens hæc ſcripta recepi.
Virgo cave, nam qui duro ſibi funere vitam
Abrupit miſer, huic animúsque aboletur, amórque.
Obdura, Superûm, rector mortísque, Cupido
Ipſe viam inveniet. Mirabar thure Sabæo
Sponte ſuâ, Eoísque halare vaporibus aras.
Hîc Manes Phædri, & ſanctum venerabar amorem,
Et Stacten ſuper effundo, tepidósque liquores.
Ecce aliàs vario audiri modulamine cantus,
Atque lyra, atque fides teſtudinis: Hîc ego voce,
Et paribus numeros ſtudiis, flexúsque ſequebar.
Forte fuit cùm prima dies jam luce niteret,
Intranti calices gemini viſuntur in arâ.
Divinum rigido nectar ridebat in auro.
Tunc cunctata nihil, quoniam hæc eſt ultima vitæ
Linea, & his donis ad ſeſe Chryſida Phædrus
Evocat, ibo, ibo: Tibi Chryſis, Phædre, propinat.
Protinus exhauſi (viſu mirabile) & alter
Ille calix fundo ſiccus jam apparet inani.
Læta ergo & mortem increpitans expecto, ſubivit
Interea ſenſim ſomnus, variantia miris
Incurrunt ſimulachra modis. Pulcherrima rerum,
Eliſiis quæcunque ſuis mirantur in hortis
Graiugenæ, vidi, lucos, mirteta, lacúsque,
Et roſeo latè currentes nectare rivos.

Mollibus

Mollibus in ripis varij ſpatiantur amantes,
Arbitrióque ſuo gaudent componere curas.
Quos inter medios cum Phædro Chryſis: & ecce
In ventos abiit ſomnus, triſtémque reliquit.
Mortalis pertæſa auræ, lucísque, coruſcum
Stringebam gladium, & Phædri teſtabar amorem.
Huc ades, & quocunque vocas hinc Chryſida tecum
Duc age. Dicebam, tumuli cùm parte ſupremâ
Nubem inter roſeam, pulchrâque in luce decorus
Phædrus adeſt: roſeum mediis ut pulcher ab undis
Phoſphorus os aperit, tenebrásque reſolvit inanes.
Excutitur manibus mucro, atque in limine mortis
Et vitæ medius, nunc huc nutabat & illuc.
Rerum anceps, dubiúsque animus. Tum Chryſida Phædrus
Vt quondam ſolitus compellans nomine, ſenſim
Ad ſeſe fugientem animam revocabat, & ultro
Eupolemi fraudes aperit, ſimulatáque fati
Nomina: tandem etiam patriis decedere terris
Suadet, & in menſem reditum claſsémque paratam
Pollicitus, fidentem animi, lætámque reliquit.
Ecce autem interea triſti ſtipante catervâ,
Æthiopásque trahens comites, Ægyptius ille
Adfuit Antinous, deformis corpore, durus
Moribus, impatiénsque iræ: vix altera cælo
Lux aderat, cùm me Pharias traducere in oras,
Inque Ægyptiacâ certat deponere Memphi.
Nil audere pater contra: quâ nunc queat arte
Frangere, quæ Caio pepigiſſet fœdera Regi?
Aſt ego litoreæ fugi ſub templa Dianæ:
Hic votum ſimulans, & virginitatis amorem,
Illum eludebam: magnâ qui dedecus irâ
Hoc tulit, & ſævo frendens ſub pectore claſſem
Niliacam, quæ tum Pamphilia litora circùm
Nabat, & auxilio Caii veniebat in armis,
Plurimus intentat. Noſtro debetur amori
Et meritis (inquit) virgo, & nunc pacta retractas.
Hanc ferrum repetet. Flammato talia corde
Sæpiùs Eupolemo trepidas jactabat in aures.
Ergo patris monitu, verbis ambire furentem
Mollibus aggredior, nec apertâ mente reniti:

Temporis

Temporis exigui ſpatium, dum ſolvere vota
Diis patriis liceat, pompæque ornare decorem,
Et precibus, lacrymisque peto: vix denique menſem
Exoro miſera. Vt primùm diſceſſerat, illum
Quò Mavors, quò Licinius, quò ſata vocabant;
Protagoram, qui ſe genitrici addixerat olim,
Aggredior. Quæ ſit rerum fortuna mearum,
Protagora, cernis: tua ni jam cura reſiſtit,
Inviſam Superis ſtat ferro abrumpere vitam.
Quare age, ſi quis amor matriſque, meique ſuperſit,
Appropera ſocios legere, atque armare carinam.
Tertia vix lucem infudit mortalibus ægris
Orta dies; cùm Protagoras me ritè paratis
Omnibus admonuit conſiſtere litore puppim.
Continuò genitorem adeo: me ſacra Dianæ,
Sexta dies poſtquam lætos oſtenderit ortus,
Indixiſſe fero invitans: quo tempore nullum
Affari liceat, propiúsque accedere quenquam
Relligio vetet. Ille Deûm, ac pietatis amore
Ceſſit, & augurii veluti jam conſcius, ultro
Illacrymans, poſtrema mihi pater oſcula figit.
Vt vacuo ſola in Templo, ſub nocte ſilenti
Conſiſteram, varij mœſto ſub pectore ſenſus,
Hinc amor, hinc pietas miſeram in diverſa trahebant.
Nam quid agis, Chryſis? Patriam tu linquere, patrem
Tùne ſenem poteris, tantùm qui ferre doloris
Non valeat? Matrem quondam dum naſceris, ipſo
Ah! infelicem perimis ſub limine vitæ:
Nunc fractum ſenio patrem malefana trucidas.
Non ita: vive, pater. Vix hæc ſententia menti
Sederat: ecce iterum curæ, fluctúsque recurſant:
Patrem equidem; inque ſalutatum nunc deſero, ſed mox
Linquere fata jubent, quin me pater ire jubebit
Exilium miſſam in longum? Fata ipſa, patrémque
Anteveni, Chryſis. Tène auſis credere ponto,
Inter & armatas virgo diſcurrere claſſes?
Quid metuo moriturus? Mori qui novit, abundè
In tuto eſt. Aliò quid ſi jam Phædrus amores
Verterit, atque aliam converſâ mente ſequatur?
Ah! quid me lacerat, ô! amor crudelis, & alto

Vulnere pertentas sensusq; Ah! desine, tantum
Non cadit in Phædrum scelus. At, quid si cadat? Ibo,
Ibo tamen, coram defertum vlcifcar amorem:
Illius ante pedes vitam fudisse juvabit:
Hauriet hanc oculis mortem. Dum talia mecum
Ipsa puto; jam nox medium trajecerat axem:
Protagoram, placido sterni qui marmore pontum,
Lenibus & Zephyris referebat carbasa tendi,
In puppis conclave sequor: noctesque, diesque
Provehimur vento & remis. Cùm tertia cælo
Iam nox appeteret, pontúmque involveret umbris,
Licinij attigimus classem, tutoque latemus.
Omnia nautarum fremitu, bellique tumultu
Vndique fervebant: in primam prælia lucem
Scilicet arrectæ sperabant omne classes.
Hic veto Protagoram infensis coneurrere telis,
Sed tempus captare, tuzque adrepere classi,
Atque tuo infontem jubeo me condere portu.
Orta dies totas agit in certamina puppes,
Inclyta cùm bello tua dextera, maxime Regum,
Tot naves dedit in cinerem, tot pectora rupit.
Nos medio in bello, media inter prælia, belli
Expertes hostémque fugá vitamus, & arte
Nequidquam: sed enim pugnæ cùm sideret ardor,
Atque alios fessos cessarent marte labores;
Tum petimur telis, & tetro cingimur igne.
Iamque adeo pontes saltu transcenderat hostis:
Dura foros super exoritur, miserandaque cædes.
Acta meum ad limen duri vis maxima belli
Incidit, attonitam subit hæc sententia mentem:
Tela manu, phareträmque humeris, sacrosque Dianæ
Induere ornatus, hostémque avertere tantá
Religione Deæ, vel pulchræ occumbere morti.
Tum mihi paulatim visus subsidere clamor,
Mox etiam extingui: raro suspiria quassu,
Et longi gemitus horrenda silentia rumpunt.
Ægra sub extremum, qualis morientis ab ore
Excidit, est audita mihi vox lapsa per auras,
Chrysida compellans: coit in præcordia sanguis.
Vox licet illa mihi necdum stat cognita, pectus
Perfodit

Perfodit tamen, & cordi ſuffixa refedit.
Ecce iterum illa. Vale, vale ô! pulcherrima Chryſi,
Hic Phædrus morior tuus. Atque hæc verba timorem
Et dubiam ſolvunt mentem. Mortalia corda
Quò non cogis amor! Poſtes & clauſtra revello
Præcipitans: vix egredior, nam limine in ipſo
Protagoras durâ proſtratus cæde jacebat,
Et genitore ſuper Tereus: tum tranſtra ſororum
Horrent funeribus latè, cruor undique manat.
Tunc ego, quam terrere aliàs vel nomine poſſit
Impia mors, nunc tot cædes ac funera tanta
Inter, & undanti ſtagnantia ſanguine tranſtra,
Extinctum poſitâ quæro formidine Phædrum:
Heu! qualem reperi, quàm non pulcherrimus ille
Grajugenùm! Quos tum gemitus, quos pectore queſtus,
Quas lacrymas dederim, nec jam meminiſſe poteſtas,
Nec tunc noſſe datum miſeræ. Atque hæc meta laborum,
O! Princeps, tantisque erroribus addita finis.
Poſt epulas Conſtantiades elegit ab omni
Tot Procerum numero comites, caſtriſque relictis
Obvius incedit Gallis, quos optimâ matrum
Atque animi præſtans Helene ſuffecerat. Illi
Poſtquam in conſpectu ſteterant, tum Flavius Heros
Ex alto tumulum cepit: cui Memmius omnes
Explicat, atque jubet per turmas ire phalanges.
Imprimis aderant, Rhodani qui flumina potant,
Lugdunique colunt arces, pulchràmque Arelaten
Burgundi caput Imperii. Mavorte fremebant
Præcipites, habitant urbis qui mœnia ſanctæ:
Hæc ſacra Pontificum ſedes, atque æmula Romæ
Septenas arces numerat, ſeptenaque fana,
Septenóque eadem portarum nomine gaudet.
Addit ſe ſociam nemorum gens incola, priſci
Seguſij, telis ſoliti fugitiva ferarum
Corpora ſectari, & venatu aſſueſcere bellis.
Ferreus haud illis thorax, nec ferrea caſſis:
At latos dant circùm humeros villoſa luporum
Tergora, & inſertant per hiantia guttura vultus.
Exuviis alij Vrſorum lætantur, & omnes
Tela manu ſpargunt, pugnántque dolonibus, omnes

Eutychium (cui mater erat ſanctiſſima Tulla,
Impius at genitor Pheroras : ipſe inter utrumque
Relligione anceps, dubiúsque) in bella ſequuntur.
Heduus hos ſequitur, primus qui fœdera ſanxit
Imprudens cum Romulidis, ultróque vocatos
Auxilio, dominos tulit : etſi nomine fratres
Diceret, & duram leniret nomine ſortem.
Qui Ladonam, fontésque Tilæ, Nuciúmque frequentant;
Martia gens illic ferrum procudit in enſes.
Quique colunt Belnæ felices nectare campos
Regum delicias, & regificam Divionem,
Arma fremunt, necnon pubes quam Flavia miſit,
Saxeáque ex alto minitans Allexia colle :
Quos regit Attilius Romani nominis hæres.
Tertia procedit legio florentibus armis,
Arvernæ pubes gentis : pars montibus arces
Accolit impoſitas, æquo pars altera campo
Centum habitat pulchras urbes : hæc ubere glebæ
Felici licèt Italiæ contendere poſſit;
Illa tamen nihil inferior vel divite cenſu,
Vel populis, pecoris felix, & lactis abundans:
Gens pia, propoſitique tenax, patiénsque laborum.
Vercingentorigis claro quos ſanguine cretus
Sidonius, duri rapiens in prælia martis,
Luërij de gente ſatum ſe jactat : hic ille eſt,
Qui quoties in agros, mediásque exiret in urbes,
Per populos, Regum primus donaria fecit,
Argenti ſpargens nummos, auríque talenta.
Ecce aderant, atque ingenti rumore fremebant,
Quique Biſuntinos exercent vomere campos
Munere felices Cereris, Bacchóque fluentes
Veſulij campos ; quique amnes fonte ſalito
Ore bibunt populi, fortésve in bella Dolani ;
Et Boïj veteres, armis exterrita quorum
Italia intremuit toties : Borbonius illis
Et præit, atque ſuo dixit de nomine gentem ;
Vnde genus traxit Borbonius Archambaldus.
Ex illo in Francæ rectores gentis abivit
Gloria Boiorum, & magno cum nomine tellus.
Aurelios Carinus agit, Vittellius Andes,

Et

Et populos omnes, vitreâ quos alluit undâ
Hinc illinc Ligeris; ſeu qui Bleſenſia caſtra,
Amboſium ſeu qui celebrant, pulchrámque Turonem,
Ingenio gentem facili, lætámque, ſuisque
Indulgentem epulis, armísque in prælia promptam
Omnis amat Gallus. Succedunt moribus acres
Lemovici, victu duri, parcíque loquelæ:
Se quibus in ſocios properi junxêre Rutheni,
Et veteres priſco viventes more Cadurci.
Non ego Petragoros præter, civésque Veſunæ
Ire velim ferro dites, aut Pictonas inter
Magnanimos, antiqua colunt qui tecta Limoni.
Sed neque Carnutes quiſquam mihi ſuadeat auctor
Deſerere indictos, priſcam cognomine gentem
Celtarum in populis, veteri pietate decoram..
Quondam illis inſigne fuit geſtamen in armis
(Bella manus cùm poſcebant) paritura Puella
Virgo Deum, totum nutu qui flecteret orbem.
Nunc eadem Virgo, ſed quæ circùm ubera Natum
Amplexata fovet, turmis prælata niteſcit.
Pontifices genti Druydæ, Bardique Miniſtri,
Et Sacris præſunt, iidem & civilia curant.
Omnia carminibus mandant, myſteria Divûm,
Fortia facta patrum longos digeſta per annos,
Et ſtudia, & mores patriæ, legésque paternas.
Nec tamen aut phyliræ credunt, tenuive papyro:
Sed pueros dum animi faciles, dum molle cerebrum
Induitur varias ſpecies, ſimulachráque rerum;
Inſtituunt memori aſſiduos ediſcere mente.
Ecce Tricaſſini, pulcherrima turma, nitebant
Cum Velauduni populis, & gente propinquâ.
Lutetiam nemo ſileat, quam Sequana circùm
Septam undis claudit, tunc parva, at culta: futuris
Temporibus regni caput, & centum aucta ſuperbis
Arcibus, æternos latè regnabit in annos.
Sed neque Gergoiam parvam, Genabúmque tacebo
(Nomine mutato Aureliam dixêre minores)
Impoſitam Ligeri, medium quæ dividit amnem.
Bellovaci Gallos inter, Belgásque feroces,
Inſignes bello, fortésque in prælia, magnam

Optabant

Optabant tanto bellorum in turbine partem.
Et prisci Morini : & terræ pars ultima portus
Ictius : Imperio senior præit omnibus Auxur.
Ille, ubi Flaviades contra tela impia pubem
Iusserat armari, primos exsuscitat ignes.
Qualiter altisuum grandi rex obstitus ævo
Exesas carie pennas mutatur, inersque
Crebra terens silice in nudo rostrum excutit, atque
Annosos ponit squamis fugientibus ungues.
Tunc calidis cruor in venis despumat, & amne
Purior ardenti sanguis micat: excubat altis
Lux oculis, major redit in præcordia virtus.
Iam Proceres, summôsque Duces complexus in ulnas
Flaviades, totas acies in castra recepit.
Interea Caium latis procedere campis
Fama refert, & ter sena legione frementem,
Tollentémque iras paulatim ad litora ferri.
Mox eadem retulit captis Sestoque & Abydo
Proditione, Helles aciem transmittere pontum.
Non ea Flaviadæ, quamvis inopina, timorem
Incussit fortuna, animi vis acrior intus
Æstuat, & læto se pulchrior explicat ore.
Ergo Italis iterum, comites quibus addit Iberos,
Et pubem Siculam, Byzantia mœnia credit
Multa monens. Muros, celsásque irrumpere turres
Nunc veto, sat fuerit fossas custode tueri,
Ne quis adire queat, ne quis prodire viciſſim.
Ipse acies reliquas instructis rite manipliis
Educit, plenis incedunt agmina castris.
Altera vix cælo surgens aurora nitebat,
Cùm pro more Ebius speculatum missus Acontes,
Divisas acies, partitis agmina turmis,
Adventare monet. Pars, inquit, curva secundùm
Litora, per montes Anio ductore propinquat:
Partem Licinius late per plana locorum
Ipse agit. Ingentes peditúmque equitúmque caterva
Planitiem camporum implent: fulgore coruscant
Ardua terrarum, & lucem super æthera jactant.
Quod si forte velis in bellum occurrere, partem
Vix mediam tuus, ô! Princeps, exercitus æquet.

Dixerat

Dixerat hæc Ebius, gravior cùm nuncius aures
Vulnerat, Iphicratem totis cum millibus urbe
Præcipitem, ſubito turbata in caſtra tumultu
Erupiſſe refert; cui proditione Pelaſgâ
Infidus ſocia Euphorias conjunxerit arma.
Deletas Italorum acies, vix litora circùm
Hiſpanas dubio tutari marte Creontem:
Cætera vel ferro narrat cecidiſſe, vel igne.
Chriſtiadûm Rector, magno ſub pectore quamvis
Exuperent animi, tamen altâ mente rependit
Eventus ſortis varios, momentáque belli.
Secum multa putans, his Chriſtum vocibus orat.
Hæc tua, Chriſte, fides? Hæc nos in regna vocaſti?
Scilicet huc curſus fuit? Hoc Crux illa petebat?
Heu! quid Chriſtiadæ, pia quid committere tantùm
In te gens potuit? Sceleratæ prodere genti
Quam potes, & noſtrum tacitus ſpectare cruorem.
Si noſtri te nulla movet miſeratio, ſi nos
In cædes juſtus rapis, atque in funera; mortem
Non adeò horremus, juſsósque occumbere pulchrum eſt.
Te tua fama tamen moveat, noménque, decúsque,
Spésque hominum arrectæ: Quæ tandem Numina Mundo
Imperitent, cujus volvantur ſæcula nutu,
Expectant dubij. Pietas hoc cardine pendet;
Túne, an Tartarei Mundo dent jura Tyranni?
Talibus orantem cælo ſublimis ab alto
Audiit Omnipotens. Viſi tranſcurrere nubes,
Aligerûmque chori, cæleſtiáque agmina, tum vox
Audiri lituos inter ſonitúsque tubarum.
Me duce quid dubitas? Iam nunc dabit illa ruinam
Impietas, aude contra, tibi vicimus. Atque hæc
Verba inter, Crux ecce iterum nitet aurea cælo,
His diſtincta notis: HOC SIGNO VINCE. Sub armis
Arrectæ ſtupuêre acies, jam pectore in alto
Corda micant, pulſu clypeorum prælia poſcunt.
At memori Conſtantiades inſignia Chriſti
Mente recognoſcit, Senonum ſub mœnibus altis
Qualia per medias acies ſuſpexerat olim:
Attollitque animos, & votis præcipit hoſtem.
Non procul hinc gemini ſurgebant vertice colles,

Subjectam

Subjectámque alto despectant culmine vallem:
In medio densâ horrebat caligine lucus,
Atque altâ fluvius ripâ torpentibus undis.
Hæc loca Memmiaden insistere jussit, & ultra
Ire vetat, quæcunque illum fortuna vocârit.
Addidit & comites Gallos, Phædríque cohortes
Mirmydonum gentem. Ipse rapit reliqua agmina secum,
Educitque avidos pugnæ: De nocte silenti
Vsque sub auroram tacitis legionibus itur.
Corpora tum curant, geminásque siletur in horas,
Mox iter aggressi repetunt. Iam luce propinquâ,
Threïcios surgens montes spargebat Eoüs,
Cùm procul attolli languenti vortice fumos
Relliquias flammæ cernunt, disjectáque castra.
Mox etiam apparet qui se pro turre tuetur
Durus Iber. Constantiades clangore tubarum
Protinus irrumpens inopinos marte lacessit.
Obstupuêre olli: ante alios, præque omnibus audet
Euphorias: scelus & vires animósque ministrat.
Quem Constantiades ferrum plagámque ferentem
Occupat, & durâ trajectum cuspide cædit.
Et super hæc: Nunc nunc morere, inquit, & evome fontem
Hanc animam. Ille cadens revoluto corpore terram
Sternit, Athym victor superaddit, & addit Orontem
Euphoriæ comites, illúmque in bella secutos
Impia. Ductorum tantâ jam cæde peractâ,
Invasit reliquos verbis, & talibus infit.
Quò ruitis, socij? Certam per crimina ferri
In mortem insanum est. Vestri cecidêre tyranni,
En adsum Constantiades, agnoscite Regem,
Iuratámque fidem. Fuerit Mars hactenus insons,
Non erit ulteriùs. Vobis ignoscite tantum
Et scelus, & memores venienti parcite famæ:
Victrices lauros, certas infringere palmas
Quis furor, & meritis partos odisse triumphos?
Talibus ille quidem rauco cum murmure circùm
Per populos trepidæ latè fremuêre cohortes,
Mox arma abijciunt, veniam pacémque rogantes.
Flaviades nunc hos, nunc & complectitur illos,
Promissísque omnes implet, priscisque reductos

Inserit

Inſerit ordinibus ſocios, latantur vtrique.
Interea Iphicrates magna cum parte ſuorum
Expediens ſeſe, ſenſim remeabat in urbem.
At Conſtantiades primâ de nocte maniplos
Imperat ire viam: nondum nox aurea cælo
Præcipitat, cùm caſtra tenet, ſocioſque reviſit.
Atque ea felici cùm marte peracta dediſſet,
Licinio incubuit totus, Ducibúsque vocatis,
Tu Celtas oppone Anio, fortiſſime Memmi,
Myrmidonum tu Phædre globos. Sic fatur, itérque
Ingreſſus, Caium contra lætiſſimus Heros
Ire parat, campisque aciem metatur apertis.
Iamque propinquabant Anienis agmina turmis
Flaviadûm, magno ſpirantia pectore martem.
Memmiades ergo caſus intentus in omnes,
Qui quatiant late campos, & certa reportent,
Præmittit, redeunt celeres, & talia fantur.
Anguſta eſt vallis: quam colles, altáque mutans
Arboribus cingit circùm undique ſilva coruſcis:
Hâc iter eſt Anio, duræ nam cætera rupes
Oſedêre loca, & tortis anfractibus amnis.
Hæc illi, tum Memmiades. Fortiſſime Graïûm
Phædre, aït, antevola lectâ cum pube tuorum,
Et ſumma inſiſtens ſupremi culmina montis
Arboribus tectus denſis, & rupibus altis,
Intentus fortunam oculis, & tempora capta.
Ipſe rapit ſecum Celtas, quique agmine primo
Incedant, & qui medio, extremoque ſerantur,
Edicit: parent illi, ſilviſque propinquant.
Vix Anius vallem ſubit introgreſſus, & ecce
Adverſâ de parte ruens ſe Gallus agebat:
At valle in mediâ, pugnæ opportuna futuræ
Planities largum ſeſe fundebat in orbem.
Hùc poſtquam ventum eſt, adverſis agmina ſignis,
Obſtupuêre hoſtes, ſed cùm jam cedere retrò
Non fortuna locúsve ſinunt, clamore frementes
Ingenti, adverſique ruunt. Hic primus in hoſtem
Sidonius rapit Arvernos, atque increpat ardens.
Nunc agite, ô ſocij! nunc illo robore nobis
Eſt opus, & priſca patrum virtute, tumentem

Quâ Rhodanum, Rhenúmque altum, vastúmque Garumnâ,
Atque freta Oceani, mediúmque subegimus æquor.
Talia vociferans, lentum præcesserat agmen.
Ecce autem fortes rectorꝰ qui Thracas agebat·
Iasius Pericles, paribus surrexerat ausis
Turbidus: ancipiti venit sub marte duellum:
Et prior Iasius librans hastile lacerto
Eminus intorsit, tenues volat hasta per auras
Obliquum excepta in clypeum, ferroque repulsa
Impressum alta petens fine vulnere perdidit ictum.
Certior at Gallus telum molitus ab aure
Conjicit, infremuit circùm stridentibus auris
Vallis, & arrectæ se convertêre phalanges.
Telum immane sonans oculos venit inter utrosque,
Per medium penetrans cerebrum, trans occiput acta
Cassis abit, rabido ille cadens terram ore momordit.
Sidonium pubes rectorem Arverna secuta,
Æmulâque in medios furit imperterrita Thracas:
Quos neque sæva Ducis primo certamine terrent
Omina: quin etiam totas laxavit habenas
Vindictæ furor, & Regis morientis imago.
Ingenium Arvernos, patriócque à fidere ducta
Vis agit, & magno stimulos sub pectore vertens
Non patitur semel arreptam dimittere laudem.
Iam Cares cum Segusiis commiserat ardens
Eupolemus, jam Carnutes cum Doribus arma
Contulerant: Galatas urget gens Hedua, fortes
Cappadocas Belgæ, Cilicas Andecava pubes.
Iamque alios aliis duro certamine Mavors
Implicat, & vario versant discrimine fata.
Forte fuit matris Cybeles, Phœbique Sacerdos
Magnanimos inter Cilicas vanissimus idem
Anthimus, magno hic tumidus rumore fremebat.
Dixerat ipse aliquid, nec non inscripserat atro
In phylyram socco, momentúmque affore verbo
Crediderat deinens, Gallósque in bella vocabat.
O Galli, neque enim vos digner nomine Gallos
Compellare: procul patriâ quos pectore fortes
Exegere viri. Borbonius ista frementem
Non tulit ulterius, nec molli verbere linguæ,

Sed

Sed gladio, ferroque loquacia guttura cædit.
Iſta viris (inquit) Gallæ reſponſa reportant:
Sic ſolitum. Fortes nequaquam funeris hujus
Pœnituit Cilicas: namque illum vana tumentem,
Elatúmque animis haud æquâ mente ferebant.
At nihilo Boios minùs excepère, ruúntque
Per medios hoſtes, pro Religione Deorum,
Pro patriâ, & partâ per tot diſcrimina laude.
Iámque omnes inter ſe acies, omnéſque manipli
Implicuère acies, hoſtem hic metitur, & ille:
Nec jam miſſilibus, pilis, levibúſque ſagittis,
Sed dextrâ, & ſtricto pugnatur cominus enſe.
Funeribus latè vallis conſternitur, undat
Sanguineo ſpumans æſtu, qui languidus ante
Rivulus errabat: tum plurima mortis imago
Æquabat luctus, æquabat gloria palmas.
At Lycios inter ſævum, Belgaſque frementes
Bellum oritur: ſeptem fortiſſima corpora fratrum
Infandum hinc atque hinc acuebant pectore martem:
Queis præerant fortes, & adhuc in prælia crudi
Ante alios tantâ ſpectatæ prole parentes,
Belga Perethronius, Lycius Polycunthius Evax.
Celtarum natu minimus Tarbellius haſtâ
Perculit Antiphatem, fratrum qui maximus ultro
Occurrebat ovans, primúsque inſueta fremebat.
A lævo ingrediens, dextrum per tempus abivit
Cuſpis, & in mediam revolutum abjecit arenam.
At fratrum generoſa cohors ductore parente
Protinus irrumpunt, certántque occumbere leto;
Aut Gallo ulciſci fraternos ſanguine Manes.
Exarsère animis, ſcutisque in prælia ſenis,
Et totidem dextris haſtilia ſena minantur.
Hinc ſeptemgemini pulcherrima pectora Belgæ
Stant contra, & totidem clypeis, manibúſque reſiſtunt.
Principio cladis duo Celtæ impune necantur,
Mox etiam genitor fortiſſimus occidit. Olli
Vindictâ pariter, pariter pietate moventur:
Præcipitat ratio, pietas iram, ira furorem
Suſcitat, inſano turbantur corda tumultu.
Nec vitæ ſtudium ſupereſt, ſed pectore forti

Aut mortem excipere, aut inferre. Vt fortè leænâ
Ardentes inter catulos, medióque ſub antro
Haſtili confoſsâ; illi, quos firmior ætas
Aſſuevit pugnæ, nil tela inimica morantur.
Dant gemini pœnas Lycij, Polydorus & Anxur:
Tum genitor comes it natis Polycinthius. Ergo
Quattuor hinc ſteterant fratres poſt funera tanta,
Atque illinc totidem, paribúsque in ſæva feruntur
Bella animis: geminos illinc Bellona peremit
Alternans Lycios, atque hinc tres ordine Belgas.
Iam ſuper unus erat Gobolænus nomine Celta,
Isque fugam ſimulat, tortis ambagibus orbes
Impediens: inſtat malè prudens fratre relicto
Theſeus: hîc gladium convertens Gallus, & ora,
In latus exceptum rigido mucrone trucidat:
Tum miſeris fratrem poſtremum fratribus addit.
Ecce Anius, quâcunque acies defeſſa laborat,
Quâcunque inclinant aquilæ; nutantibus adſtat
Fervidus, audacique inſtaurat prælia marte.
Nec minùs interea turmas, atque omnia luſtrat
Agmina Memmiades, nunc hos, nunc urget & illos
Objiciens, quò pugna vocat; miſcetur & illis
Arma manu, mortémque ferens: duriſſima Reges
Tandem etiam inter ſe opponit Bellona duello.
Iámque Anius prior ire. Tibi, Gradive, trophæum
Memmiadæ Ducis arma, quibus nunc ille ſuperbit
Inſultans, voveo. Dixit: ſed inania vota,
Sacrilegásque preces ſparſerunt flatibus Euri.
Continuò totis intorquet viribus haſtam;
In clypeo ſtetit illa tremens. Tum Memmius altâ
Voce, Deo genitum tanta in certamina Chriſtum
Invocat, atque enſem propior congreſſus adegit
Hoſtile in pectus: trans dorſum cuſpis abivit,
Atque uno vulnus geminatum inflixit in ictu.
Præterea ſummo deſcendens culmine montis
Improviſus adeſt pubis cum robore Phædrus:
Aſſurgunt Gallis animi, pavor occupat hoſtem;
Mollior obſiſtit, patrios fuga fœda per agros
Fit tandem, furtim divortia nota ſequuntur
Palantes: multis certam ſors illa ſalutem

Attulit

Attulit, ignaróque loci ſervavit ab hoſte.
Florem hominum, ter mille viros, fortiſſima Thacum
Pectora, ſæva fremens acie proſtravit in ipsâ
Fatorum vis dura, ſuis pars altera caſtris
Reddita, follicito turbavit corda tumultu.
Caïus at trepidos verbis & fronte ſerenâ
Componens, tantæ minuebat vulnera cladis:
Nec juſto referens pugnatum marte, nec æquis
Viribus, & cæco certatum more latronum.
Parte aliâ captas mirè oſtentabat Abydon
Et Seſton, necnon populorum millia; quorum
Non aciem, non arma queant, non agmina ferre
Chriſtiadæ: addebat Romanæ Numina gentis:
Addebat reſponſa Deûm, atque Oracula Vatûm.
Interea & Galli tantâ jam cæde peractâ,
Chriſtiadûm læti ſe magna in caſtra ferebant.

LIBER VNDECIMVS.

ARGVMENTVM.

PRÆLIVM STATARIVM.

ARGVMENTVM EXPLICATIVS.

*Conſtantinus & Licinius collatis ſignis congrediuntur. Certatur *infeliciter à Licinio, qui copiis ſuis diffiſus, ſingulari certamine Conſtantinum provocat. Deſtinatur in ſequentem diem duellum, quod fraude Licinianorum impeditur. Quare iterum, & quidem infeliciter, ab Impiis pugnatur.*

NOTÆ.

I. Hîc abſolvitur Epiſodium Phædri & Chryſidis.
II. Barbaris, hoc eſt, Ethnicis ſulmen à ſiniſtrâ parte felix erat, à dextrâ Chriſtianis; quia Chriſtus ad dexteram Patris ſedet.

Ollis erat, cujus ſupremo in vertice, caſtra
Rex Aſiæ metatus, agit circùm undique foſſam,
Et vallum foſsâ ſuper, & ſuper aggere turres:
Turribus & pontes addit, tormentáque belli:
Ne qua reluctantem, planum vis poſſit in æquor
Excutere; invitóque adigat concurrere marte.
Nec procul hinc Conſtantiades tentoria figens,
Ad dextram Phœbo ſacrum, innuptæque Dianæ
Lucum habet: alta palus lævam, dorsúmque tuetur.
Parte illâ, quâ lucus abeſt, quâ deficit unda,
Foſſa duplex agitur, refluúsque inducitur amnis.
Bis quinos ſiluêre dies, nec turbidus aut hos,
Aut illos Mavortis amor, ferrique libido
Egit in adverſos, taciti ſed caſtra fovebant.
Ecce autem eximios dum bis ſex corpore tauros,

Coccineis

Coccineis palchros virtis, auróque decoros
Licinius, Martis ſceleratas ſiſtit ad aras:
Excepère omnes placido ſub gutture vulnus,
Atque ſacrum non inviti fudere cruorem.
Præterea totidem pallos, cùm vanus haruſpex
Duceret è cavéâ, fontémque cibúmque miniſtrans:
Actutùm geſtire illi, trepidique ſalire.
Continuò Vates. Ceſſas in prælia? Ceſſas?
Congredere, ô! Nam quid Superos, & fata moraris?
Nec minor interea fortes incenderat ardor
Chriſtiadas, ſua quos magnis portenta movebant
Auſpiciis: Nocte in mediâ, trans nubila ferri
Cælicolûm viſæ Labaro præeunte cohortes.
Emicat ante acies Michaël, quem mille ſecutæ
Aligerûm turmæ, ſtrictis mucronibus inſtant:
Tartareæ fugiunt peſtes, vaniſſima Divûm
Numina, Neptunus, Mavors, & cum Iove quidquid
Graia ſuperſtitio cælo tranſmiſit habendum.
Quinetiam parcum feſſo dum pectore ſomnum
Flavius hauriret, manifeſto lumine Chriſtus,
Et Labaro niteus, illum ſic increpat altero.
Surge age, Quid ſtratis torpes in mollibus? Atqui
Nunc cadet illa Babel, nunc tot dominata per annos
Occidet impietas: Stygius nunc prædo ſub umbras
Ibit præcipitans: Chriſto duce, & auſpice Chriſto,
Aude animis. Dixit, ſuperánque receſſit in auras.
Ergo omnes amor unus habet, paritérque fatigans
Mars acuit: cælo poſtquam matura niteret
Clara dies, prior è caſtris ſe Caius agebat.
Vt ventum in campos, medius ſtetit, atque ita fatur.
Lævum Arabas Geber in cornu, Mauráſque cohortes
Duc age, te Pharius miles comitetur, & Aſer:
Tu Lycios dextrum in cornu, Polydore, ſequantur
Agmina Lydorum, nec non Pamphilia pubes.
At Phryges & Galatæ, & ponti gens incola mecum;
Et Thraces medio bellentur in agmine. Nunc, nunc,
O! ſocij, priſcæ memores virtutis, honori
Quà pandit Bellona viam, quà Iupiter, & quà
Cum Superis rapiunt Heroës, in arma ruamus.
Talia dicebat, cælo cùm flamma ſereno

Emicat

Emicat, & lævo intonuit ſub cardine Mundus.
Accepêre omen, vocésque ad ſidera jactant
Inſani, Stygiùs quos ludit in aëre prædo.
Continuò turmatim acies evolvitur, orbes
Orbibus involvens campo ſtetit agmen aperto.
Tot populos inter, fulgore coruſcat aheno
Exultans animis, & pulchro corpore Caius.
Vix ibi conſtiterat, portis cùm magnus apertis
Flavius erumpens, ſanctásque in prælia gentes
Exhortatus agit: Gallos, fortésque Britannos
Opponit Lyciis, & quos Pamphilia miſit.
Contra Arabas jubet ire Italos; Hiſpanica ſigna
Committit Mauris: medio ſtans agmine Caium
Ipſe petit, Graiósque trahens, Francósque potentes.
Illum tot populi circùm admirantur, at ille
Per medias graditur peditúmque, equitúmque cohortes,
Laude alios, alios promiſſis implet, & acres
Omnibus inſpirans animos. Hæc meta laborum,
Hactenus armorum, dixit: Victoria tardos
Increpitat. Quid ſpes noſtras, laudésque moramur?
Et jam terribili ſævum cava buccina cantu
Martem incendebat, nova cùm res pectora vertit:
Nam Chriſti famulos inter Tirynthius Ajax
Fraude malâ obrepens, multo ſibi nomine famam
Fecerat in populos, alæ quem Flavius Heros
Impoſitum dextræ, magno ſignabat honore:
Ille, ubi commotis acies legionibus irent,
Perfidus abſcedens, longo Caiana petebat
Agmina circuitu. Exclamat tum Flavius (alta
Ex longo collecta illi prudentia rerum)
Hæc noſtris, ait, imperiis Tirynthius audet.
A tergo petit, à primâ nos fronte premamus.
His dictis arrectæ acies, elatáque corda.
Ecce Arabes, gens effrænis, quibus omnia tela
Sunt Pharetræ, teretésque arcus, enſésque recurvi;
Haud ſueti conferre pedem: ſed fidere curſu,
Ante alios ineunt pugnam, primíque ſagittas
Intorsêre manu, cælum ſubtexitur umbrâ,
Qualiter irato cælum cùm ſidere terret
Eurus, & immiti populatur grandine meſſes.

Ferreus haud aliter toto ſonat aëre turbo,
Chriſtiadûm ſtans in ſe acies teſtudine factâ
Tempeſtatem actam clypeis atque ære repellit.
Aſt Arabum legio, necnon & Maura teneri
Neſcia, & impatiens legis, veſana putavit
Chriſtiadûm gelido tentari corda pavore,
Inque fugam inclinare aciem: tum protinus ardens
Emicat, atque Italis longè, Hiſpanisque relictis
In tranſverſum agitur, toto petit agmine magnum
Flaviadam, auguſtæ ſuccenſa cupidine prædæ.
Ille furor conſulta Ducum, meditatáque miſcens
Prælia, confudit dubio certamine martem.
Námque Itali Caium contra, Hiſpaníque feruntur,
Cúmque inſperato confligunt hoſte: ruentes
Excepêre Arabas Graii: cadit optimus armis
Albumaſar, quem Flaviades prior excipit, haſtâ
Trajiciens pectus, duplicatáque dorſa. Profudit
Ille cadens gemino fugientem vulnere vitam.
Addit Halym, fortémque Pelam, fortémque Phalegum.
Dux Arabum in Graios ingenti cæde furebat
Magnanimus Geber: ante alios proſternit ovantem
Pirithoum, ſternit Demanem, & cum fratre Lychetam,
Omnes Chriſtiadas, ſtigiâque à fraude receptos:
Quos matura polo virtus donavit. At ille
Pergit acerba fremens, Graiæ ceſsêre phalanges,
Atque pedem retulêre: Heros tum Flavius armis
Ingens, atque animis ingentior. Hæc mihi Gebrum
Fata, inquit, debent. Stat Regis dicta ſuperbi
Admiratus Arabs, & torvo lumine totum,
Caſſidáque, & latos humeros, pectúsque pererrat.
Mox arcum intendit, donec ſuprema coïrent
Cornua: cum ſonitu celeres it miſſa per auras
Fraxinus, æratóque excepta umbone reſultat
In Charylæ caput: atque illum, dum funus Oronti
Deſtinat imprudens, inopinâ cæde peremit.
At Conſtantiades vires collegit, & artem,
Torva tuens haſtam dextrâ librabat ab aure,
Trajicit illa Gebrum, tepidóque in corde tepeſcit.
Interea Mauros magno Bellona tumultu
Increpitans movet in Francos, certamine duro

Alterni fugiunt, alterni colla reflectunt.
Ecce autem ingenti Gorgon se mole ferebat
Horrendâ de stirpe Gygas, Atlantia quales
Culmina semiferos quondam genuisse feruntur.
In cubitos illi bis ternos ardua cervix
Sustinet immensum caput: alto in vertice crines
Impexi, tortique rigent: micat acribus ignis
Ex oculis: villis artus ingentibus horrent:
Tigridis exuviæ, fetosum corpus, & alta
Dorsa tegunt: torquet nodoso stipite clavam.
Non Hispanæ illum turmæ, non Franca tulêre
Agmina. Magnanimo fortis satus Hectore, pestem
Non tulit hanc ultra: minitantem protinus hastam
Evibrat, illa cutem in summam, ceu futile telum
Incidit, & retro lapsa est mucrone reciso.
Hinc aliam super atque aliam majoribus ausis
Ingerit, hæ vano pariter cecidêre labore.
Ergo manu propior ferrum, totóque lacertō
Ad costas adigit, tenuem conamine tanto
Sanguineum vix elicuit de corpore rorem.
Hic monstrum exarsit furiis, & pectore vasto
Mugiit horrendùm, rupitque incondita verba;
Ambabus clavam attollens: dum tolleret, ecce
Francus iit subter, gladiúmque infixit in alam.
In guttur penetrat mucro, & suprema per ora
Exiit: ille cadens tremefecit pondere campum.
Acciſis veluti radicibus eruta pinus
Dat sonitum longè, circùm tremit undique silva.
Ecce autem Antinoüs, mediis qui nuper ab undis,
Irato cùm Licinius sub sidere classem
Perdidit, ereptus, Pharias accesserat arces.
Nunc Ægyptiacæ stipatus robore gentis
Audet in arma magis. Veluti qui retia rupit
Marmaricus leo, jam totas exarsit in iras.
Myrmidonum ille ferox occisis Grante, Lychâque
Principibus, sævo vastabat marte phalanges:
Agmina nutabant, Phædrus cùm apparuit ingens
Antinoo, exclamans. Iusto certamine Chrysis,
Non duris quærenda minis, non Principis irâ.
Ille nihil contra, sed torvo lumine totum

Metitur

Metitur, mox & furiis inceſſus acerbis
Prorupit, ferro antiquos ulturus amores.
Continuò ſævos geminatis ictibus ictus;
Vulnera vulneribus, mortes & mortibus addunt
Præcipites: crepitat ſub verbere caſſis utrique.
Haud aliter ſonat æoliis fornacibus incus,
Cùm Steropes, Brotésque domant lacrymabile ferrum.
Inſula tota gemit, ſcintillis fulgurat aër.
Ergo illos amor, atque odium diſcordibus olim
Tartareæ ſtudiis peſtes, nunc fœdere pacto
In mortem pariter rapiunt: furit acriùs ille,
Hic plus arte valet: raptam ille repoſcit amicam,
Hic tutatur, utrique alto ſub pectore cogit
Durus amor ſtimulos, & mentem inſania vertit.
Antinoüs longo tandem certamine fractus,
Et vitâ moriens, & pulchrâ Chryſide ceſſit.
Phædre, tua eſt, inquit, Chryſis, victoribus illa
Non victis conjux debetur. Talia fatus
Magnanimam vacuas vitam dimiſit in auras.
Subſtitit hîc Phædrus tanto virtutis amore
Captus, & æthereâ quem jam jam luce fruentem
Oderat, extinctum tandem miſeratus amavit.
Nec jam Graiugenas Arabes, nec Francica Mauri
Agmina ferre valent: toto fœdiſſima campo
Fit fuga; Licinium dextro qui marte fatigans
Auſonidas, magnâ victos jam ſtrage fugabat,
Flavius inſequitur, vultum is convertit, & arma.
Cappadocas Graii, Galatas certamine Franci
(Quæ primæ fuerat pugnæ fortuna) laceſſunt:
Nec faciles vinci, nec campo cedere, fortes
Projiciunt animas, & fata morantia rumpunt.
Flaviades paulatim aciem convertit, & hoſti
Lampada Phœbeam confuſa objecit in ora.
Præterea Libycis Auſter ſe tollit ab oris,
Pulveream glomerans nubem: cinis ater iniquo
Cum Sole incubuit ſtygiæ ſuper agmina gentis,
Eripuitque illis mentem. Tum cedere ſenſim
Licinius campo, & feſſas revocare cohortes.
At Gallorum acies, legióque Britannica (magnus
Flaviades illos pugnæ momenta futuræ

Spectare intentos, dubizque occurrere forti
Iusserat) irrumpunt, Lyciisque fugacibus instant.
Castra tamen tenuêre hostes, nec Flavius intrò
Irrupisse velit: satis est arcere furentes,
Et Byzantinæ prohibere à mœnibus urbis.
Ergo ubi nox terras cæcis involverat undis,
Castraque: Licinius curis ingentibus æger,
Ancipitem partes animum versabat in omnes.
Nam quid agat? Toties versas cessisse phalanges
Prospicit, & sorti nullos superesse recursus:
Flaviadæ quanta insideat sub pectore virtus,
Quos gerat ille animos, & quàm sit promptus ad arma
Noverat: hæc dubiis venit sententia rebus.
Androgeon vocat, eloquij cui copia larga:
Cras roseam ut lucem Titan infuderit orbi,
Hæc Constantiadæ referes mea dicta Tyranno.
Ecquis erit finis? Toto concurritur orbe,
Europa atque Asia per tot jam prælia fractis,
Mundus hebet: stagnat Romano sanguine pontus
Decolor, & tellus Romanis ossibus albet.
Insontes nostro populi quid crimine pœnas
Dant miseri? Nostro dirimantur bella cruore.
Victor erit, cui dextra dabit viciisse, Deúsve.
Hoc decus Imperij, hoc quæratur gloria campo.
Ite, redit Androgeos, atque hæc responsa reportat.
Cras luce in media dabitur, Rex magne, quod optas.
Hæc ait, & partem cæcito sub pectore pressit.
Scilicet increpitum vanæ pietatis: abactæ
Victoris, quæ Flaviadæ germana superbum
Mente tulit placida: duro quòd funere primos
Christiadûm sævus perimat: quòd marte subactus
Nunc demum magnæ quærat solatia mortis.
Purpureis necdum radiis Aurora nitebat,
Mortales referens curas, bellique labores:
Cùm volucri subvectus equo (præverterat agmen)
Tereus Orator rediens à Perside, lætus
Castra tenet, spe venturi suspensa duelli:
Licinij ante pedes iussus, sic ora resolvit.
Venimus ut Sulas, Indis inferre parabat
Magnanimus Narses bellum; nam Gangis Abibon
Regnator

Regnator, calefacta novo præcordia regno
Atque ætate tumens, , , consueta tributa negabat.
Postquam intromissis sandi concessa potestas,
Muneribus primùm certamus, deinde docemus
Quæ sit causa viæ: solio sublimis ab alto
Ille refert, totis tum facta silen tia tectis.
Ausonidæ magni, quæ vos inimica fatigent
Fata, Deúsve, olim tantæ prænuncia cladis
Ad nos fama tulit: neque nos latet inclyta bello
Dextera Licinij, curæve, operúmve labores.
Sed neque Flaviadæ in Superos furor, impiáque arma
Nos fugiunt, nec quos animos ludæa propago
Attollat, quantis impellat regna procellis.
Scilicet ex illo mihi gens est cognita, quando
Exuere æterno radiatum lumine Mithram
Instituit, atque ignes ausa est restinguere sacros.
Imperij, genitor clarus pietate Varanes,
Ante alios æqui vindex, tum sceptra tenebat.
Suppliciis vix ille scelus, gentémque repressit.
Non ea res Gratiis tantùm, populisque Latinis,
Aut Celtis curæ fuerit: commune periculum est:
Omnibus una salus, sceleratam extinguere gentem.
Finitimus ruptis Indus nisi bella pararet
Fœderibus, fremerent nisi toto Oriente phalanges,
Non aliis deeus hoc belli concedere vellem.
Viginti pedítum, quæ nunc est copia, mittam
Millia, triginta quæ equitum: Vologesius Orodes
Dux erit, agnato nobis de sanguine cretus.
Hæc ait, & patrio fancivit Numine dicta,
Nec promissa fides in longum dístulit. Umbras
Postera vix cælo radiis aurora fugárat;
Et jam ibat castris per tumas lecta juventus;
Ante dies quam nona suos ostenderit ortus,
Huc aderunt animis alacres, & pectore forti.
Talibus Orator promissis castra replevit.
Licinium nova cura subit, confundere fœdus
Iam velit, & pacta in nonam certamina lucem
Rejicere, intereáque hostem depellere castris;
Atque ea jactantem Tideus invasit haruspex.
Túne palam belli auctorem, pacisque sequestrum,
Numinibus

Numinibus Divûm ſpretis, teſtabere Chriſtum?
Nunc ubi ſacra inter toties promiſſa fides eſt?
Ecquid tot gentes, tua quæ nunc caſtra ſecutæ
Religione ſuper Divûm, quid denique dicent
Europæ atque Aſiæ populi, ſpes fallere quorum
Nunc potes, & fundo Romana evertere Sacra?
Quid Superi, & Superûm Rectòr, mundique poteſtas
Iupiter, & Mavors Romanæ gentis origo?
At non Chriſtiadûm ritu venerabere furcam?
Credo equidem, ſed ſancta tibi tamen auſpice Chriſto
Fœdera erunt: neque enim cæleſtes impius ille
Hæc in pacta Deos, Stygiósve Acheronte vocabit.
Si quis honos Superûm, ſi quæ tibi cura Deorum,
Sacrilegos prohibe cultus, hæc fœdera rumpe.
Túne fidem vereare datam? Diſſolvitur omnis
Objecta pietate fides: famámne? decúsne?
Bellorum decus & laus eſt victoria. Vince,
Et famæ ſatis eſt, ac magnæ laudis abundè.

Pauca refert tacito lætatus pectore Princeps.
Me penès id curæ fuerit, tu Sæcra, Deóſque
Rite para, nobisque Iovem placare memento.
Lætior ergo animis corrumpi fœdera poſſe,
Incubuitque ſuper ſtratis, ſomnóque petivit.

Ecce autem nitidum lympha Gangetide Titan
Extulit os, ſummos irrorans lumine montes.
Diffugère oculis ſomni, ſopor artubus exit,
Inque vicem reſides animos, & inertia corda
Suffixis acuunt ſtimulis, labor acer, edàxque
Cura animi, laudúmque ſuper maleſana cupido.
Non procul à caſtris immenſum excurrit in æquor
Campus, ubi directæ acies pugnare ſolebant.
Læti animis illuc, Labaro præeunte, feruntur
Chriſtiadæ: necnon hoſtes ſua ſigna ſecuti
Omnigenûm torvas ſpecies, atque ora Deorum.
Non ſecùs inſtructis procedunt rite maniplis,
Sanguineus quàm ſi truculenta in prælia Mavors
Evocet, & ſummo poſcat certamine bellum.
Curvantur paulatim acies, formámque theatri
Accipiunt, denſique locum cinxêre coronâ.
In medio geminæ auratis ſtant cornibus aræ,

Illa

Illa Iovem complexa tenet, turbámque Deorum;
Et medium Regés Fidium qui fœdere jungat:
Hæc Patris Vnigenam æterni, vitæque datorem
Ætherex, rigido pendentem ſtipite, libros
Præterea geminos, noſtræ inſtrumenta ſalutis.
Flavius hic viridi redimitus tempora lauro,
Lætior & ſolito faciem, qualisque nec ante,
Poſtea nec ſeris eſt olim viſus in annis,
Conſtitit ante aras: habitu conſpectus eodem
Caïus ingreditur, illos mirantur utræque
Arrectis acies animis: tanta eminet oris
Majeſtas, tantas oſtentant corpore vires.
Licinio comes it veteri pro more Deorum
Antiſtes, lino & verbenâ tempora cinctus,
Setigerámque trahens pecudem, intonsámque bidentem;
Flaviaden juxta caſtâ pietate verendus
Rheticius graditur, cui ſacros infula crines
Contegit, & rutilæ pendent in tempora vittæ.
Farre ſacro Caius, quæ prima piacula, fruges
Dat manibus, pecudes media inter cornua ſignans;
Inverſis cultros pateris aſpergit, & aras:
Tum medius ſtetit aſſurgens, & talibus orat.
Vos, quibus armorum, pacisque æterna poteſtas;
Diique, Deæque omnes, quorum ſub Numine bella,
Regnáque vertuntur, quorum victoria nutu
Heroüm alternas cingit Diademate frontes:
Vos ego Licinius ſancta inter fœdera teſtor,
Non me cæcum odiis, regnive cupidine captum;
Tot populos, gentisque inimica ad bella vocaſſe.
Me legum protritus honos, me ſacra parentum
Religio: fœdis totum polluta per orbem
Ritibus, ardentem meritos armavit in hoſtes.
Hoc primùm. Tum ſi cadere, atque effundere vitam
Fatorum vis dura jubet, tum gnatus & omnis
Progenies trans Euphratem, Tygrímque ſonorum
Exul eat, terrásque alio ſub ſole, nec ultra
Auſoniæ populos bello, gentésve laceſſat.
Sin, quod ego potiùs reor, & mens augurat, hoſtis
Occiderit, toto Impietas delebitur orbe,
Et veſtris malè pulſus honos revocabitur aris.

Niliacam

Niliacam extemplo molli lævore papyrum,
Bisgeniti quæ ſancta Dei myſteria pandit,
Rheticius Superûm Interpres, verique Miniſter
Numinis explicuit: palmas intendit utraſque
Flaviades ſuper, & linguam hæc in vota reſolvit.
O! qui nube ſedens celsâ, radiisque coruſcus,
Chriſte, olim Labarum rutila inter nubila quaſſans,
Ominibus tantis nos hæc in bella dediſti,
Nunc ades, & votum hoc æterno Numine firma.
Victorem ſi fortè tuis me ſenſerit hoſtis
Auſpiciis, totis vaniſſima turba Deorum,
Pulſa procul terris, triſti damnabitur Orco:
Omnes te populi, cunctæ tua Numina gentes
Pérque aras omnes, pérque omnia templa tremiſcent.
Hæc voti pars magna mei: pars altera, ſi nos
(Sacrilegos omen potiùs vertatur in hoſtes)
Spes vitio fallat noſtro, & victoria ludat;
Flaviadûm tunc gens omnis, ſeríque nepotes
Oceani fines ultra, trans Gallica longè
Litora, pacatis agitabunt artibus ævum.
Talibus orabant Reges, cùm vanus Haruſpex
Compoſitò rumpit vocem, & ſic turbidus infit.
At non hæc patrij mores, non jura, fidésque
Fœdera ſancta velint, non illis Iupiter auctor
Omnipotens, pacem ſolus qui fulmine ſancit.
Túne ratam, Cai, credas, & tempus in omne
Eſſe fidem, vano Chriſti quæ Numine tota
Pendeat, addictam quam fallere nulla ſubinde
Relligio eſt. Vocet ille Iovem, cœtúmve Deorum,
Veráque teſtetur præſenti Numina voto.
Fœdera tum faxo veteri pro more parentum
Sancta, atque ante aras ſacro cadet hoſtia ritu.
Sin putat, aſcito nos ultra illudere fuco,
Atque adeò vanum Chriſti prætendere nomen:
Arma manu, arma iterum tractanda, nec abfore cælo
Auxilium prædico, aut exorata Deorum
Numina. Flammato tales dat pectore voces,
Et populos circumfuſos, mediásque cohortes
Vociferans, Divûm objectâ pietate movebat.
Iámque acies inter paulatim murmure cæco

Audiri

Audiri, & ſenſim varius crebreſcere rumor
Incipit, attollens ſeſe. Ceu flamine primo
Pontus, & obſcuri fluctus tremuêre; priuſquam
Nereus intumeat, fundóque exæſtuet imo.
Nempe quibus cordi, quorum pars magna, Deorum
Vana ſuperſtitio; quibus & ſanctiſſima Chriſti
Crux odio, magno pariter rumore fremebant,
Indignum facinus, Romanæ in publica pacis
Vota, reum furcæ aſciri, ſacra Numina belli,
Omniáque in Chriſtum tranſcribi jura Tonantis.
Anxurus Imbraſida, & Thraſeas ſatus Aſtyge, docti
Rumores ſerere in populos, linguæque flabello,
Sopitos ignes veluti ſuccendere turmas,
(Iuſſerat hos Caius ſolitis corrumpere fœdus
Artibus intentos) tam pulchra exordia nacti,
Inſinuant ſeſe in medios, & talibus inſtant.
Quid juvat, ô! comites, iſtis accingier armis?
Deſpondere animos ſi nil pudet, armáque noſtra,
Et decus, & laudes alieno credere marti;
Quò jurata fides, Regem ſi prodimus? Ecquid
Si quâ fraude malâ, ſi ſorte peremtus iniquâ
Occidat? Ille quidem leto celebrabitur, at nos
Scilicet imbelles curvâ cervice juvabit
Ferre jugum, atque ultro injectos admittere frænos.
Hoc tamen illud erat miſeris utcunque ferendum;
Vinculáque hæc optanda, arctis quæ corpora nodis
Circumplexa ligent, animis arbitria linquant.
Vim parat ille animis; ſed quid mortalia queſtu
Proſequor? In Superos fœdè graſſatur, humique
Sternit Templa Deûm, ſternitque altaria. Quorſum
Pertinet hoc furcæ oſtentum, atque in ſtipite funus?
Nempe Crucem miſeris (ſi quæ permiſſa poteſtas)
Tantò ante intentat, letúmque informe minatur.
Quóve Iovem, natósque Iovis, gentémque Deorum,
Atque pios abolet ritus? præſentia Divûm
Ne qua feros ſubeat ſenſus, & molliat iras.
Quare agite, ô! ſocij, pro libertate tuendâ,
Pro duce, pro patriâ, atque Deûm certemus honore.
Talia dicenti, dictu memorabile, ſummæ
Pars arſit galeæ, latéque incendia jactat.
Ipſe Iovis veluti monitu vocémque, manúmque

Intendens, medios haſtam contorſit in hoſtes.
Gallorum fuit antiquâ de gente Loïcus
Iam ſenior, ſed crudus adhuc, cui pulchra ſenectam
Canities, Chriſtúsque ſuo inſignibat honore.
Tergeminos illi juvenes Alibertia conjux,
Præſtantésque animi pariter, formâque decoros
Ediderat: medium haſta ſeni per pectus adacta
Incidit, & natos inter ſublapſa peremit.
At juvenum generoſa cohors exarſit in iras;
Et tria continuò jaculati gæſa per auras,
Præcipiti totidem ſtraverunt corpora leto.
Alcibium patris ante oculos, dum fœdera marte
Ancipiti nutare refert; armisque tremendum
Aſdrubalem Lybicæ ductorem pubis, amicos
Inter, & Ammonem nequicquam in pacta vocantem:
Nec non Imbraſidam, turpis confundere fœdus
Cui data cura: illum multa & veſana canentem
Haſta ſuperveniens infracto gutture cædit.
Tum furere Alcibij pater, & ſine more phalanges
Ardebant ſubitò Lybicæ, Regique parabant
Inferias, Manésque hoſtili cæde piare.
Fratribus auxilio veniunt, atque obvia Celtæ
Opponunt arma; hinc alios, aliósque repentè
Implicat aſſurgens inopino turbine Mavors.
Vt ſummo qui fortè ruens de culmine montis
Fertur in ima nivis cumulus, cadit ille ſub ipſa
Principia exiguus: tum per declivia ſenſim
Volvitur agglomerans, atque in longinqua rotatus;
Creſcit in immenſum, virésque acquirit eundo.
Bellicus haud aliter populos, turbatâque caſtra
Corripuit turbo; mediis ſe Caïus aris
Arte malâ recipit; veluti qui pondere ſceptri,
Imperióque ſuo naſcentes ſopiat iras.
Flaviades contra, ſenſu commotus honeſti,
Vertice nudato dextram tendebat inermem,
Pluribus objurgans ſocios. Quò tenditis, inquit?
Ah! prohibete nefas. Icto jam fœdere, veſtrum
Ius nulli certare manu, fas Regibus unis.
Nil ſuper his olli, placidas obſtruxerat aures
Ferri amor, increſcunt animis diſcordibus iræ.
Qualiter in curſum cùm ſe effudêre quadrigæ

Præcipites

Præcipites, ſemel admorſos ſi dente tenaci
Corripiant frænos, per plana atque aſpra locorum
Huc illuc pariter certâ ſine lege ferantur:
Nequicquam contra preſſis contendit habenis
Auriga, aut dictis ardentia pectora mulcet.
At juvenum cuneus talem delectus in uſum
Antimacho, quem Ægyptiacis præfecerat armis
Licinius, ſubito erumpit rectore, paratus
Flaviaden capere inſidiis, aut ſternere leto.
Cernit ab adverſo gradientes agmine Ductor
Francigenûm, raptâ ſociorum pube, repente
Antevolant, rapido medium ſeſe objicit hoſti,
Atque dato circûm tutatur milite Regem.
Hic dubium Conſtantiaden, trepidâque morantem
Relligione ſuper, Maternus talibus ultro
Aggreditur. Tene ergo, Ducum fortiſſime, frangat
Vana ſuperſtitio, aut hujus mens conſcia voti?
Irrita ſacrilegas illi fecêre per artes
Fœdera, tu bello vindex, ferróque repoſce.
Arma, arma, Auſonidæ. Nam quid torpetis inani
Relligione? Dei te vis in prælia, Flavi,
Major agit, vocémque hanc præſens omine firmat.
Talia voce dabat, puro cùm Chriſtus ab axe
Intonuit dextrùm, totúsque immugiit æther.
Omen continuò excepit Maternus, & infic.
Aſpice converſo mutentur ut omina mundo.
Læva loco cædit, dextro tonat æthere Chriſtus:
Dextram Patris habet Chriſtus, ſequere omina dextra.
Flavius induerat galeam; criſtæque comantes
Colla per atque humeros undabant, ſtrinxerat enſem
Fulmineum, dextro cùm ſtans ſub cardine cæli
Arduus, & ſolito major, ſic Numen adorat.
Te ſequimur, Chriſte, atque tuis ſurgentia fata
Auſpiciis, da Chriſte novas in prælia vires.
Talibus orabat, totáſque effuſus in iras
Irrumpit medios hoſtes, & fulminat armis.
Agglomerant ſeſe Phædrus, Cecrópsque Leander,
Gallus & Aſtyorix, necnon fortiſſima pubis
Pectora. Vt Æolio miſſi de carcere fratres
Infremuêre animis, atque atro turbine cæcas
Invadunt nubes, mundi vacua alta tremiſcunt.

Ingeminant nimbi, nimboique frequentia longè
Fulgura Threicam denſantur fulmina ſummo
In Rhodopen cælo, atveras vel rupibus Alpes:
Diffiliunt ſaxa, & late juga fulgure fumant.
Haud alia eſt facies venientum, & in arma ruentum.
Occidit ante alios Athamas, occurrere magno
Aufus Flaviadæ: sequiciquam fortibus illum
Fidentem Lycius patrauit naumate Apollo,
Quem Conſtantiades contorſi perculit haſtil.
Tum Lycius gladio aggreſſus, caput abſtulit illi;
Hinc horrorem cædi, perfoſſum pectore vitam
Ille dedit, tanto ſeſſi ſub marte ſanguet.
Nec non Thraſilaico Regi, ſortique Leandro,
Celtarumque duci late Pamphilia cedunt
Agmina, diffugiunt turmis ad caſtra ſodalis.
Ecce ferox animis Macedo Tryntheus, ille
Tranſibga, Chriſtiadem, & Chriſti defertor, iniquâ
Fervidus Hiſpanas vallabat corpe phalanges:
Quem turmalo Conſtantiades ut vidit ab alto,
Precipitatque moras omnes, & turbinis inſtar
Hic ardens rapitur, Francs comitantur eunuens
Eſſulo ſimiles nimbo: Tryntheus ora
Obvertens, tanto ſtabilitus pallidus horſe.
Torga pulvis venit dare, nec ſis heste propinque,
Nec venias ſuperaſſe locum poſt crimina tanta
Iuris ſimul: cuncta qui ſe deteſtimus offert,
Irruit, & medium fertur moritutus in agmen:
Quem contorta Conſtantiades immane corrifcens
Molitur telum: hasta volans ſe pemplicit orbis
Tranſadigit ſeptum, & fracto cum pectore figit:
Ille cadit, ſuper arma tenant. I, perfuga, dixit
Flaviades, & quas adiſti, adiangere turmas.
At peditum comites ingrunt vallatus vallum
Confpexere duem, parti fele dolore, turpem
Pars optare fugam, nemo contra obvius ire,
Interea latus mediatus fraude phalanges
In tutum revocant, ſua tandem in caſtra recepit
Licinius, nova pertentant cui gaudia pectus:
Scilicet auctoſuperat prius aſſore Pardus,
Quam ſua Flaviades poſſit permungere caſtra.

LIBER DVODECIMVS.

ARGVMENTVM.

VICTORIA.

ARGVMENTVM EXPLICATIVS.

Licinio iam fesso, & vix pralia ferente; Pholois Magna renuncias Deorum vrà tot calamitates meritis ille contingere, qui Annam Virginem Christianam in seruitutem exegerit. Eà renuntiante Licinius ego licet Annam meritis destituit. Et talis Deus utrumque exercitum fortitur, quem Religio pro Christianis deprecatur. Supremus itaque Pater excidium Impietati promittit, & Felicitatem regni Christiani. Confluentes exercitus Licinij expugnat. In medio castrorum, pacificatorum ex alto quidem bonis & malis Genijs; in terrâ exercitibus assistit, obstruendo & Europæ, hoc est, toto Mundo ad sacrificandi superstitij, singulari certamine Licinium Constantinum vincit, & cum illo Impietatem & superstitionem Gentilium profundet.

ATque ea Licinius tacito dum corde putaret,
Ingreditur Pholois prima fub nocte, nec ista,
Prælia dum meret, inquit, ma jora fecimus
Antiquo patrium placabam more Serapim
Carmine, fidibus, vota vix denique vocem
Salvit, & hæc tandem fatis oranda parabit.
Quid Superos tanto Cani clamore fatigat?
Scilicet obtruditur nobis uxorius Annam,
Annam Chriſtiadum foleratio ſelle tumentem.
Si quis amor fupereſt ſuperi, ſpes ſi qua ſalutis:
Pellem illam leto dedit: nec gratior ulla
Victima Cæleſtum ſanctas ſiderat ad aras,
Neve alius ſperet flecti pia Numina deniq.

Dixit

Dixit, & averrens cali fuper altra receſſit.
Calus haud priidem patrijs complexibus illam
Aſtulerat, caſtoque thori ſervabat in ulu,
Quæ Conſultantide puisa, ſuccederet orbis
Imperio, & pulchris gentirem proles beare,
Oceano velut in magno, cum ſoumeus undam
Irrigat, & ſtellis ſtat ſpectatus ad ſidera vertex:
In ripas, in ſaxa illi tollantur, & inde
In ſe iterum lapſi ponto ſorbente refidunt.
Haud aliter Cæus, nunc hac, nunc ſtultuat illac.
At Phœbida dicta ſolatur mollibus arpum,
Talibus ingrediens. Non ſpiritus ille puella,
Non ea vis animi, quam non dulcedine vincat
Aut regnum, aut thalamus, tormentave denique frangant;
Illam cuncta Lares, atque ipſi ſub vrs Deorum
Cæus arceſſit, veneriterque occupat ultro.
Inſanum te virgo animis poſuiſſe furorem
Credidero, cuiuque ſevum poſcere veneri.
En Divûm effigies, quorum ſub nomine Roma;
Romanique omnes, omnique et ordine genus
Hic vitæ tenua. Tene ergo reincere falli
Tot populos? Æterna urbis, fanctique Senatûs
Longius ætati ſpectate refellere canos?
Nec venit in mentem, noſtro te manere vitam
Carpere, & in regni partem, thalamique vocari.
Eſto, rega tibi lucrat, noſtroque hymenæo
Spernere. Quid ſeri genus omne, eruique, rogitque ſi
Sed quid ego hæc autem cum virgine, mœque futuri
Conjuge, nequidquam ſermone ingrata revolvo?
Hic coram Pater omnipotens, hic maxima luno,
Hic ara, ſceuliger, & pleiæ ſtitiris acerræ.
Quid dubitas virgo? Superis, quæ munera poſcunt,
Thura dato, & parvo regnum tibi mitterre ferna.
Illa autem paucis vultus demiſſa decoros.
Quid juvat, ô Princeps, eadem uſque obmulcere Chriſto
Et nomen dedimus, virtutis facra vimus amnos.
Nunc quæ magna tibi fugiuntur Numina, Dirè,
Jupiter, & Mavors, & inania turba Deorum,
Tanarius tono dejectos æthere fratres
Hic Deus exercet pœnis: Achereuſe ſub ipſo

Parr

Pars major gemit, & parti permiſſa poteſtas
Multiplices genus humanum tentare per artes.
Experiare licet: ſimul illos deſpuit ore:
Continuò trepidare Deos, atque intremere artus,
Et miſero in cineres videas vaneſcere lapſu.
Talibus exarſit Pholoüs. Non artibus, inquit,
Numina magna Deûm retro ceſsêre, tuisve
Fraudibus; at coram, propiúsque admittere nolint
Sacrilegos: ſedenim tolerant ad tempus, & iſto
In vitas hominum lenti diſcrimine quærunt,
Quid populi furor attentet, quò barbara ſurgat
Impietas, & quas læſo pro numine Divûm,
Et tanto repetant Reges pro crimine pœnas.
Tu verò, Auſonidum Princeps, quem præficit orbi,
Sacrorúmque Pater ſummus jubet eſſe potentem,
Scilicet hæc pateris magnorum oblite Deorum?
Si te nulla movet pietas, nec ſancta laceſſit
Relligio, ritúsque ſacri, morésque parentum:
Túne etiam Imperij decus aſpernabere, nec te
Præ tumidâ pudeat Regnum ſpreviſſe puellâ.
Pendet inops animi Caius, ſuperabat amorem
Nunc pietas, & nunc eadem ſuperatur amore.
Fluctus uti fluctum frangit, fractúsque viciſſim
Cedit, & incerto trepidat ſub vortice pontus.
Sæva tamen vicit pietas, regnique cupido,
Annuit in mortem: Pholoüs tortoribus illam
Ad tormenta dedit: tum virgo talibus orſa eſt.
Nunc, ô! nunc tandem licitum eſt hac compede mentem
Exuere, inſontémque alto tranſmittere cælo.
O patria! ô cælum! ô Chriſti domus inclyta! Felix,
Ah! nimiùm felix, illâ qui ſede receptus
Nil torvas leti facies, nil ora tyranni
Triſtia, nec ſceleris timet illætabilis auram.
Dixerat, & paulùm ſummiſsâ mente morata
Rurſus ait. Chriſte, ô! animi dum vita manebat,
Tot fluctus inter, ſtrepitúmque furentis Averni
Vna mei requies: idem, ſi quando niteret
Pax lætis melior rebus, ſanctiſſima Chriſte
Cura, ignisque meus, vitali munere functam
Hanc animam tecum cæli ſuper ardua tolle.

Hæc ubi dicta dedit, ponit de vertice velum,
Et tenerum rigidos collum nudavit in ictus.
Non tulit hanc ſpeciem, mentitus nomine ſervum
Atque habitu germanus Halys (comes additus illi
A genitrice ibat) magno ſed victus amore,
Et tantâ mentem perculſus imagine laudis
Attollítque animos, atque alta ſilentia rupit.
Vſque adeóne animi victum germana putaſti,
Vt fratrem mortis comitem aſpernêre decorz?
Non ita nos teneris Cirene mater in annis
Erudiit, primæ quando pietatis amorem
Senſim inſpirabat; ſed nos per triſtia rerum
Durabat Chriſti exemplo, longéque monebat
Arcto calle peti cælum, ſtellantiáque aſtra.
Et nos hoc lucis, quodcunque eſt, vovimus olim,
Nec tædet, Chriſto: me me decet ire priorem.
Nil equidem, germane (refert ſanctiſſima virgo)
Sum verita: at ſummis fratrem objectare periclis
Nec fas, nec licitum mihi. Te quoniam acrior intùs
Vis agit, & pleno Chriſtus te Numine raptat;
Huc ades, ô frater! poſtremáque fige ſorori
Oſcula. Continuò jungunt per mutua vultus,
Confundúntque unà lacrymas, & gaudia miſcent.
Nec lacrymis modus eſt, nec me decet uſque teneri,
Lictor aït, ferro collum, juſsísque ferocem
Tu, virgo, ſummitte animum. Mox illa capillis
Suppoſuit dextram, ínque caput, vultúmque reduxit.
Tunc referunt niveâ caput à cervice revulſum
Cùm ſaliit, dulci ut quondam ter nomine Ieſum,
Indignante ſuper nequidquam morte, vocaſſe.
Hìc Halys ardebat ſanctæ comes ire ſorori,
Præcipiti properans mercari funere cælum.
Abſtinuit lictor, neque enim hoc mandata ferebant.
In geminas poſtquam palmas caput ille ſororis
Suſtulerat, tales mœſto dedit ore loquelas.
Exuviæ triſtes, tanto de pignore dulces
Relliquiæ. Nempe huc formæ decor omnis, & illa
Vis animi tandem recidit, promiſsáque ſceptra.
Quamquam, ô! nulla tibi quondam formoſior aura
Afflavit vultus, aut gratior ulla corona eſt:

Quàm

Quàm tibi qui Christus circum pia tempora cinxit.
Tu felix anima, & vera fecunda beata,
Nil fata, & dubiæ curas discrimina sortis.
Ah! felix virgo, neque enim te voce fefellem
Compellare animæ Christi amplexibus hæreæ
Trifidiam exilij, & longum lolerare amorem.
Nam quis me lumo tandem de corpore solvat?
Nequicquam trifles animas difrumpere nodos
Pugnat, & in cælum fractis erumpere vinclis.
Infano fas dum Cæsar cultra furore
Bacchatur, melior ftudiis, atque integer avi
Flaviades, alto expendens fub corde volutat
Eventus belli varios, momentaque. Parthos
Audierat, duce Surena, peditaque, equitesque
Iam Sufis iniiffe viam: Caftra ergo fub ipfam
Auroram ftatuit noin erumpere turmis;
Et celer auxilium forti praverterc pugnæ.
Hæc fonam, & Chriftum votis pro more vocabat.
Nunc ego, quæ potui noftras digefta per artes
Rite memor ftatuo: Tu qui fub Numine torques
Bella Deus, qui Chriftc mas das vincere Reges
Aufpicia, noftro præfens fuccurre labori.
Interea Pater omnipotens in vertice cæli
Conftitit, unde humilem tactis inquirit in orbem
Luminibus, vitiique, ac crimina dicit.
Exitiofa mundi interna, gens fanctera exors:
Pennati juvenes, primoque in flore juventæ
Perpetui, circum fundunur, & omnibus alis
Omnes in nunc prenti, momentaque pendent.
A lævi torva facies, favaque videri
Sontibus ultrices Diræ, penaque minantur.
Ad dextram niveæ ridentfelicia vitæ
Præmia, victrices palmæ, lauriique, & honoras
Plurima quæ reptent circum diademata frontes.
Hinc hominum curas Genitor dum fpectat inanes,
Tartaricum videt infanias ac molibus hoftem
Summovet, & longo affiduas latera emnia muro
Sina tegit. Videt ut ramo de divite Sires
Filz legunt, cryftallo Arabes fulamia cedant
Iullima, colorato diteant dum Sabæi.

Profpicit Æthiopum quantas fub ſigna cohortes
Regnator trahat, & numerofo ſtipatus Superbus
Bella cient, necnon (viſu mirabile) cœlum
Impia cantato firmet ſua caſtra dracone.
At gens egrdida ſuppoſita Trinobas exlex,
Nec domini patiens, fanctæ nec iuris amica
In commune nihil, nihil in veneratia querit
Sacula, ſed rapto potitur, rapitque triumphat.
Hinc oculos Thulen ultra convertit, & ultra
Oceanum, Elyſique ultra felicia regna:
Mundus ubi Solis alius & fidera novit.
Hic montes tumuare auro, ſidere ſæra dires
Emiere: quot fluvenî vertice rupes.
Divitibus facilis lympha rixantur arenis,
Et flavum obtundunt aures rore metallum.
Nefcia gens Superûm trifti bellatur in auro,
Inque auro bibit humanum malefana cruorem.
Poſtquam ergo terras obiit, longoque repoſitos
Per tuæa populos, tenui qui Boſphorus undâ
Dividit Europen atque Aſiam, ſupra ſtetit archam.
Hic dolus & virtus, reliquum ceu nulla per orbem
Bella forent, cunctæ omnes miſcuntur in unum.
Virginis hic Anna ſpumantem ſanguine cernit
Licinium, & Chriſti mediatorem evertere gentes.
Flavianæ contra, puſſis ex ordine Deorum
Numinibus, ſolum terræ aſciſcere Chriſtum.
Hac ſtudia & mores populorum ſummus ab alto
Dum Genitor calo ſpectat, chariſſima Patri
Reſlagia in genus incubat, nunique quid cupet,
Iuſſa loqui, ne ſanctum tandem hac in verba refelvit.
Terrarum, calique potens, avi ioue ſuperior,
O Genitor, nam pulla tibi fententia retro eſt!
Tu nate lacrymas colens, dum crimen Adami,
Et trifles hominum cafus exterria ſiorem,
Et alto miſerans calus hac protrufa decidis
(Non omnis iuſto tantum deus excidere æro)
Parce metu, nata, & fati fecura futuri
Hæc animis haurit. Lubrix labentibus ætas
Ecce aderit, mea cum fabulis demiſſa per auras
Corruptum vitium, verſoque falutis inanem

In

In meliusreferet patriis virtutibus orbem.
Hæc ego fpe cafui hominum folabar, & ægras
Noctes lquum in longum ducebam cordula mentes;
Fulminibus fœdetim obruimur, cafuque ruina,
Quinetiam claufitis pontus male liber aperta,
Heu! totas miferis hauit eum civibus urbes.
Vix iterum Oceano madidum caput uvida tellus
Extulit, humentes etiamnum vertice filvæ
Siccabant rigtas nitidis fub fidere frondes;
Ecce iterum atque iterum hæc eadem promifa dedifti,
Tandem ergo trahuerent feniorum cum fecula, longo
Victa fitu, & vitium horrerent fqualidus orbis;
Filius ecce tuus fummo defcendit Olympo,
Atque adeo haud fignis trifti fe includere circo,
Regnatorem Orci, fpolis, animifque fuperbum
Egregius fragili bellator arundine fuit:
Victor mortuulis, medioque in morte triumphus
Felici fpolis in ligno fufpendit opima.
Nec igitur facile imperium, non mollia regna
Sperare, & rebus curas lenire futuris,
Heu! fruftra. Namque ille recens a vultore prædæ
Ferreficis magis, atque omnes exfuperat iras,
Ille nec florem pubis, fanctique Senatûs
Cunctem, & totum inceftat cæde penates.
Nil ferro quetur, aut properatas ignibus aras
Per tormenta necis, pendentia ab arce hirca.
Nil crudele prohuum, nil noxba in fanera verfum
Quem nia fabellio portas quafiverat orbem.
Eft tamen, eft pudor, ille tuus quos fanguine fratres
Filius efubet, tot jam verteudus annos,
Sacrilego peculum rimpet Templa Deorum
In flammas totros cæli. Proh! funera quanta
Licinius, quantos annem dat ftragis acerves!
Afpice, ut illius crudelis dextra, norum
Sanguine fumet adhuc, urbesque cruore redundent!
Scilicet hoc Superos fecit, atque hic ima ad altra!
Sed paucis rapuere viam: pars magna retrorfum
Aut cadit, aut ritum fuccos exofa recedit.
Da Pater hunc veniam, latis victoria pennis
Ad noftras allapfa tuo fi mutere tormas

Certa venit, nullas quanto fe gloria plaude.
Chriſtiadum t Vndanus populos vix limina Templis
Accipient, ruet omne nefas, criminique pereſt
Sacra tibi paſſim potient alterna gentes.
Sat ſeleri & furus licitum: miſerere nuorum;
O Genitor! nutaque preces placabilis auſi.
Hic victæ lacrymis, neuro pia victora finſu
Intremuit Pater, & vultu quo nubila cali
Dilue abſtergens, ſic Mundi templa ſerenat,
Surgentes trepido nate fub pectore motus
Pvellit, & augufium reuocavit in ore decorem:
Olcula libans, paucbus fic incipit ore.
Non ut vire, mihi priſce fententia mentis
Verſa retro eſt, neque te per longa exordia ducam;
Eluſimve dabo, nata. Hæc eo finibus imis
Admire, affiſtis quondam ſolaria rebus.
Iyfa virgo gentis quæ nuam, populoque prefanes
Omnibus in ſefe tela concurrere: pofthumam
Cruſtina paucorum Aurora effunderit ornat,
Vltima terribili mifcebat prælia marte.
Hinc tibi prima ſalus; fractis nam viribus hoſtis
Aut fugit, cruſatus dabit per vulnera vitas.
Flaviua hic animis ſuperana, & cæde rerenti
Torvus adhuc, arua omnia, & templa Deorum
Eruet, ac Sygiis ſolvet formidine gentes.
Tu nivei circum terras inveeta quadrigis
Arva per, & pagos, turrisaque arcibus urbes
Iura dabis, furius miſcebunt fæcula pulſis:
Te Pacis, te tuna Fides, te ſerus & omnis
Virtutum chorus, hinc atque hinc comitatus euntem
Indicet feſtos iam ſanctia per oppida foles.
Plurima ille quidem noſtris operabitur artis,
Atque tui cultum in natos ſeliti re, paternis
Degenores ſtudiis natos: Nunquæ hoc male fortes
In te alii vertere manus: Ne reſpice Graios,
Infidas animi gentes. Hoc cardine tuti
Gnata cave. Videor ut forti fe robore tollat
Francigenum Hermicus duchor, conſpectus in ochro
Vt volitat, tuncra natum ut vertere ſolebat,
Atque humilem ſupra eſt regali vertice pubem.

En gratia, illius naiceur origine tortæ
Cleonas: Hæc Francia exsangui manua. Divûm
Numina de tabulis, spoliisque haud vana opimis
Rite triumphator, Gothico de vertice rapta
Ad sacros primus figet donaria pollen.
O felix prole ante alios, quo Principe longis
Ordinibus, sancti ducent exordia Reges,
Omnes ætherea perfusi corpus olivo,
Omnes ætherea vetati temporis fronde.
Hinc lapsis licet autsilium tibi querere rebus,
Mœstitiam trifti nunquam patere repulsa:
Qui terris, quoque Oceano, quicunque vocaris,
Ecce tua Francus laudis, decorisque redemptor
Illustres protoslis petet per vultera mortes.
Quinetiam Hesperio Ixtam dignabitur orbe,
Et regno Latij, Francis tibi manere fidem,
Et rigidas supplex summittet Roma fecures,
Septenique humilis dominum venerabitur arco.
Italiæ quoties fuperatis Alpibus Hunnus,
Aut Gothus: aut Herulus, Scytiæve Tyrannus ab Arctlo
Incumbet trepidæ, profluus tibi Francus honorem
Aſſeret, & vindex antiqua in jura reponet.
Hæc ait, & totum concuſſit Numine Mundum.
Mane ſub auroram totus educit se hoſtem
Flaviades turmas: non ille exumpere contra,
Non equum dare ſe in campum, ſed tuta ſovere
Mœnia, & in longum limina producere bella.
Ergo Chriſtiadæ vallum cinxere coronæ:
Lucanus Graiis Thracus, Pityrgiosque Latinis;
Atque Arabas Celtis, Mauros opponit Iberis,
Indigenis Nili gaudentem marte Britannum.
Francigenas, magnus quos inter dura labore
Pralia Flaviades ſolitus, cum ſtore ſuorum
Excipit, accendunt martem intuique, rubeque.
Forte fuit, velut in præſagia certa futura
Sortis, & eventæ ventura in ſcula pacis,
Cœtarum ut Procores Francis cum gente coirent,
Aggreſſi pariter decumanam evertere portam:
Addiderant ſele Scon, pariterque fremebant.
Non procul extabat ſummo ſuper aggere turris,
Fulminea

Fulminat hinc Caius, nervo quot tela ſonanti
Torquet agens, leto tot fortia pectora volvit.
Principiò Ansbertum magnâ ſe mole ferentem,
Qui quater & decies acie conflixerat, uſque
A puero ſemper Conſtantia caſtra ſecutus.
Addidit & fortem Ornanum, dum lampada quaſſans
Acer inextinctos affigit poſtibus ignes:
Gallus uterque, eademque pares in bella ruebant;
Quos neque fatali ſejunxit funere Mavors.
Addidit & geminos, unâ quos nocte, ſub auras
Ætheris, emiſit Ligerino in litore mater;
Gnoſſia tendentem Sulmonem ſpicula contra
Nudantémque latus dextrum Nanneſtora, fratri
Dum venit auxilio pronus, retinétque cadentem:
Mutua complexi cecidêre per oſcula fratres.
Summis præterea diſpoſta Phalarica pinnis,
Pérque cavas turris longè jaculata feneſtras,
Summovet inſtantes cuneos, fractósque repellit.
Poſtquam animis ſemel exarſit, ſe mittit ab altâ
Licinius turri, & portas jubet eſſe patentes,
Voce hoſtem magnâ invitans. Duo maxima Thracum
Corpora, Nicoleum Damoclis, Peliæque ſuperbum
Caſtora, pro foribus ſtatuit; qui limen utrumque
Circumſtent: ipſe actutùm ſex millia pubis
Promovet, ac medios ardens erumpit in hoſtes.
Antiphates, qui mole gygas, qui vertice totas
Exuperat turmas, ſua quem fortiſſima matrum
Rhea Caledonio duraverat æquore natum,
Licinium contra primus pugnare duello
Ambiit. Ingentis molitur pondera clavæ,
Suſpenditque humeris pharetram; non illa ſagittis,
Sed jaculis, gæſisque ſonat. Prior ergo frementem
Fervidus ex alto collectis viribus haſtam
Evibrat: innocuus lævum latus inter, & anſam
Curvati cubiti dilabitur impetus, atque
Caſtora præcipiti trajectum turbine cædit.
At non hoc (inquit Caius) quod miſſile libro
Effugies: dixit, telúmque immane coruſcat.
It jaculum, & ſummos humeros hirſuta ſecundùm
Colla ferit, magno fluit ater vulnere ſanguis.

Horrendùm

Horrendum Antiphates vitio jam sanguine frendet
Clamorem ingentem attollens, per tam amplius artus
Aut pharetræ mentor, at furiis turbatus & ira,
Ambabus clavam manibus, morituras & ipse
Corripit, atque hoſtem petit: Altæ robora clavæ
Cauſa obliquo declinans corpore vitæ:
Ejaculo, dum iret prater, quod forte gerebat,
Perculit, ac ferrum ſpumoſo in corde reliquit.
Ille cadens valido tremefecit pondere terram:
Intonuit circlum tellus, tremefactaque caſtra.
Haudſa coit Scotia circum præcordia ſanguis,
Mox idem reſilit, magnaque exaſtuat ira.
Qualiter in calcem ſi quando mixtus imber,
Spiritus in toto qui corpore pharmica verſat,
Cogitur in centrum, bandoque repullus ab imo
Ægreſcit velut indignans, & concipit ignem.
Tandem illi campo tadii ceſſere relicto.

Ecce autem Allyocix, lecutus quem Gallica pubes,
Licinio ſeſe opponat cum flore ſuorum.
Tum verò exoritur facies triſtiſſima belli:
Optima præcipiti volvuntur corpora leto,
Strernitur omne ſolum, reſtagnat ſanguine tellus.
Non ira cecidere tamen, poſt fata minantur.
Cætus hic Celtam modia inter præſia Regem
Sanguine purpureum verbis inveſtat amaris.
Chriſtiadæ in nos duro commendere marte,
Atque armis furere in Superos utinique frendum eſt:
At te, qua Furia inſtigant, ut Numina cultu
Quæ vereare, eadem ſeros, ſtatumique ſequaris.
Talibus Allyocix exarſit, & illa repoſuit:
At neque nos, neque tot populi, quos cernis in armis,
In Superos ramus, ſceleratæque bella movemus.
Hæc ita petula, quem regni cæca cupido
Armat, & æternes Divûm prætendit honores.
Accenſi veluti venenoſa follibus ignes
In flammas magis erumpunt, atque acrius ardent:
Haud aliter tali ſermone excanduit ira
Bellantum, vario ſentant diſcrimine martem,
Alternâtoque vices: Telis in præſia ſerunt
Haudquaquam paribus, ſed nec pur robur utrique.

Nam clypeus vultus Gallus defecit ad ictus,
Furiis & gemitus in partes diffidit enſis.
Ergo illum Saxo ferro trajecit inermem,
Armique culpanem fragili fabricata metallo.
Tum Gallus vate perrafum eſt, animæ facto
Irruptæ: Aſia forniffima pectora lefe
Objicitur medios, ſub duro trifida marte
Bella recrudeſcunt, vires furor addit, & artem
Confundens magnos congeſſit ſtragis acervos.
Oppoſito velatt furgunt cum partibus orbis
Hinc Notus, hinc Boreas, Borean comitantur eumtem
Et glacies, & hyems, frigiuque, nivesque, geloque:
Dura Notum ſequitur grando, tempeſtue ſonorum,
Fulgurique & rapidi cacia in nubibus ignes:
Ardua terrarum augenti concuſſit tumultu
Fulminibus late fumate, atque imbribus artis
Surgitis exuſtis fegetes ſilvaque trahuntur.
Inde ſub Gallos duri vis maxima belli,
Iamque ſatisfebant, cum nunc Agenore pubem
Francigenam Herricus denſatis rite manipliis
Admovet, oppoſitique hoſtem legione moratur.
Ante alios Colchi Prochorus de gente fremebat
Vociferans. Quis vos Franci? quo deinde ſuperbi?
En vos caſtra vocant, & aperta inermia portis.
Excipit hunc telo, non verbis, Hectore cretus,
Atque haſtam in torquet. Medium fecat ora cornus
Francica, dira fremens, oculique infixa lineſtro
Tanta cerebrum penetrans ivit, caſtle ille ſopitus:
Agglomerant fele ſocij, junctiſque reliquit
Viribus hauddquaquam num X ammum Ericus & Hiram,
Eminus hunc jaculis ferit, illum commisſe mit
Perculit: hinc Maxum Tharabi, Nomadesque. Zairum
Addit ovans, vallique horrenda cade cohorent.
Funeribus circum horret ager, dimiſſe omnia lentem
Occupat, ardentem ſtupuere in prelia turmæ:
Ipſe etiam (neque enim morti ſubſcribere quisquam
Arma, animique valent) metas pervenit ad avi.
Ecce autem Algerium Princeps, hoc carcere retum,
Æternum Genitorem adit, precibuique volentem
Aggreditur Michael. Quonum tua magna voluntas
Hectorids

Hoſtiorúm vetat in terra ſupereſſe, cruento
Errantes Stygio ſaturari Orcum in lacu,
Inque tuas vitam puram tranſiſſere ſedes.
Aſpice, ut ille tibi vitam tua caſtra ſecutus,
Ebroi: crudeli confoſſus vulnere fundat.
Adde tot illius ſanctâ de ſtirpe nepotes,
Quos Merovex, quos & Carolus, fortisque Capetus
In ſera cultûs olim trans ſæcula mittent:
Nulla tuos æquo tibi geni poſſunt honores.
Talibus orantis ſummus Pater annuit. Ergo
Franciadæ Eriſco ſummis e turribus acta
Fraxinus ad dextram venit ſuſtita papillam,
Eriſcore in medio tepuit. Tum preciosa ille
Armigero. Mea ne rapidis in bella cohortes,
Atque animos pubis laccenſos marte retardent
Fata, vii paulum ſepone: hoſtique furenti,
Et caſtra ſtatus adverſum ſolana monta
Maxima erunt, pugnas ſpectantem excedere vitâ.
Agque hæ Franciades, cui paucis armigre Iphis
Armoricus, ſanctas Chriſti qui nuper ad æras
Sacrilegos Divûm rinus damnarat, & arces.
Magnanimos Ericie inter forteſſime Reges,
Hæc utcunque decent generoſos facta: caducum
Eſt tamen, indigitimique animis cælebitus, evi
Quidquid habet finem. Noſtra poſt tempora mortis
Sacdior, & nullo quam calum terminet avo,
Vita manet, dicet hic tonos adverſtere ſenſus
Exin Chriſtiadûm narrans ſeviteria, pandit
Quid Chriſtus, quid ſancta Trias, qua præmia morum,
Quæ ſtygiis ſontes vexent tormenta ſub antru,
Et tandem Chriſto, tinctum luſtralibus undis
Aſſerit: ille ſacro perfuſum flumine, lætus
Ætherias animam cæli tranſmittit ad ædes.
O: felix longè ante alios, cui bellica facta
Et decus & nomen populos fecere per omnes!
Quem ſuper alta tulit facilis clementia Chriſti
Sublimem, & vita ſtatuit felice beatum.
Et nunc ille quidem ſupremo à vertice Mundi,
Longius evolvens noſtrum ventura ſub avum,
Proſpicit innumeros extrema in tempora (rerum

Maximus arbiriio donec mortalia Chriſtus
Fulta recognoſcent | teneant qui pectora tepores ,
Et ſanctis totam moderentur legibus orbem.

Haud minùs adverſi calbrorum parte fatigat,
Exercetque vires duro certamine Mavors.
Turris erat per dena leves tabulata ſub auras
Aſſurgens, quam cruda boüm circumdabat tectum
Terga dabant late, pretentisque lamina ferri
Sulphureo infuſtras arcebat pulvere tudes:
Arte cuius quam Licinius, multique virum vi
Muniérat: contis alij, levibuque ſagittis
Pinnarum ſummis ſtantes in parte minantur:
Per multos alij jaculantur tela ſonoſtras.

Flaviades illum belli nexiumque, morámque
Tollere, & ex imo ſtatuit convellere fundo.
Huc juvenes, ait, hic victoria vertitur. Ardens
Hac ubi dicta dedit tormenti grandia librans
Momenta, & ſpiras coelet, ſonoſque refolvit.
Ilicet ingenti veniens cum turbine ſaxum
Aëra per medium, ferrimque & tauros torpa
Difcuſſit, trepidæ nudatus latere omnia turris,
Hic animis Heros, ſuccelſique acrior ipſo
Cuſpide praſtitas, gravidaque hinuminer tetro
Molimus cannas, mediumam antemperat ictum,
Tractis. Et lenos ſtridens malimine flamma
Miſſilia, & toto longum trahit æthere ſulcum:
Tels macro trabem penetrat, mox ignia inhærens
Corripit, & rapido per rigna volumine ſurgens
Cum ſonitu, toto dominatur corpore victor.
Illa cadit tandem, & magno fabbiſſa fragore
Ingentes adimus caſtrorum in viſcera pandit.
Huc ecciues hoſtes, ſummique crepidine foſſæ,
Stant denſi, rectique armis ſuperat omnia complent.
Chriſtiada jactis illos depellere cuntant
Miſſilibus, torto Balearis verbere fundas.
Liventi plombo, & longo fallente ſagitta.

Vt paulæ a dimus ſummo militæ, latam
Portæ ſuper foſſam jacto, ſimul omnibus armis
Scandit equitus, ſimul & caſtris apparat ingens
Flaviades: olli fubito trepidare tumultu,

Au

Aut latebras captare, fugámve capeſſere turpem.
Ionio qualis ſe gurgite tollit Orion
Horridus in clavâ, atque auro radiantibus armis,
Arboribúsque, ſatisque illum tremuêre minantem
Agricolæ, & trepidi petierunt litora nautæ.
Parte aliâ Caium, Celtas, Francósque morantem
(Quos inter Conſtantiaden pugnare ferebant)
Saucius ora Phlegon, mediâque à cæde receptus
Admonet irrupiſſe hoſtem, jam caſtra teneri,
Omni parte fugam fieri: nil territus Heros,
Ecquid Flaviades (inquit) mox affore cernes,
Ille refert, te capta vocans per caſtra requirit.
Nil Caius ſuper his, tacitus ſed plurima volvens,
Bellatorem admiſit equum: ſeu protinus hoſti
Obvius æquatis veniens concurreret armis:
Effuſas ſive ut turmas, caſtrisque ruentes
Siſteret, aut dubiæ ſi ſpes jam nulla ſalutis,
Palantes deſerta viros ſub ſigna vocaret.
Hæc ſecum ipſe putans animo, cum robore toto
Militiæ, ſua dira fremens in caſtra redibat.
Flavius adversâ objicitur regione viarum,
Quem juvenum generoſa phalanx, vallóque ſuperba
Reſciſſo, circùm exultat: rectoribus acres
Igneſcunt animi, totúsque recurrit in ora
Et martis furor, & quæſitæ gloria palmæ.
Licinius prior. At, Flavi, certamine juſto
Arguet iſta dies, num falſo nomine totum
Fama tui, noſtrúmque decus compleverit orbem:
Cui dabit omnipotens Pater, aut ſua dextera tantum
Deferat Imperium, dominúmque Europa ſequatur,
Atque Aſia. Hæc contra ſubridens ille reponit.
Nunc demum, Valeri, juſto contendere marte
Eſt placitum tibi, cùm noſtris circùm undique ſepto
Præſidiis, letum nulla eſt exire poteſtas.
Vana tamen quantùm ſuperet tua Numina Chriſtus,
Quàm potior bellum regat, hæc per prælia noſſe
Iam dabitur. Vos ſtate viri: ſic ille. Cohortes
Chriſtiadûm interea fremuerunt murmure cæco
Indignum, qui marte novo, nova prælia tentet
Iam victus, jam fœdifragus. Velut æquora primo

Quando Aquilone fremunt, silvaque interfremit Eurus.
Fudatum tamen incipiant decumbere campo,
Et fortes medio Reges comprendere circo.

Quidnec Bithopum loca per deserta, leones
Sæpe dies, quos aut veneris, prædæve cupido,
Aut amor imperij truculenta in prælia mittit,
Ille utercque fibi repetito verbere caudæ
Tundit acerba tuens, & trifles excitat iras:
Abfistunt oculis flammæ, tum pectus acerbos
Dat gemitus, horrentque jubæ per colla, per armos:
Non alia eft Regum facies in bella ruentum.

Interea fortunam oculis fortuna uterque,
Ardua rata præfixum cupidis robur
Spargit agens, aër circum trepidantibus auris
Sibilat immotus: nunciam per mollia vincla,
Quæ galea extremum commitit, turbinis inflar
Licinio venit hafta, cutemque obliqua momordit.
Flavius obvolvo venientem umbone repellit:
Mox alium magnis connixus viribus ardens
Ingerit, illa volans clypei tranfverberat orae,
Et latere in lævo libravit adacta, micantem.
Hic Conftantiades hoftili fanguine vifo,
Lætitiâ fremit, & Chariti frementer phalanges.
Ipfi etiam Caio majori robore fuperat
Iræ, animisque: ergo vires collegit, & infit.
At non hæc magica vitabilis arte fagitta,
Nec mihi te vano fubducet Numine Chriftus.
Hæc ait, atque illam libratam pronus in ilium
Molinis, fummas excuffit vertice criftas.
Deripuit vagina enfes, luftralibus undis
Herbam Auxilius, verbisque penetribus illum
Chriftbaldus rito, fanctis de more piarat.
Tartareo hunc Vates refibus hoste canebant,
Impreffisque notis catefthesas: æthere toto
Ferri aces micat, & cædes, intimque minatur.
Licinius prior invadit, ferramque corufcans
Ob petit: objectum celer ille enfem enfe refutat,
Atque una rapulos colores dum curfibus inrat
Prætor equi, fremit averfum, mutavit utrumque
Cafus & fortem. Non ergo fe obvius ultra

Ferre

Ferre parat, torto ſed feſſum eludere gyro
Certus, cornipedem magnum circùm egit in orbem:
Quem flexo pariter curſu fortiſſimus Heros
Orbibus implectens orbes ſectatur; uterque
Et fugit, & ſequitur ſimul, atque urgetur & urget.
Licinij ſonipes totis cùm fertur habenis
Alta fremens, teli quod fortè jacebat, acumen
Calce premit nitens, penetratur cuſpide cornu
Altiùs, & vivo tentantur vulnere nervi.
Continuò quadrupes lævum revolutus in armum
Corruit in præceps. Heros ſe cum omnibus armis
Ilicet in terram ſaltu dedit: arduus, ingens,
Turbidus, inque pedes medio ſtetit æquore campi,
Fulmineam volvens aciem; cui Flavius ore
In placido. Nam quid trepidas? haud vincere ſorte
Flaviadæ fas eſt: tibi equum, ſortémque remitto.
Deſilit actutùm, & paribus ſe ſiſtit in armis.
Interea Aligeri, ſeu quos damnavit Averno
Omnipotens, ſeu quos æterni Regia cæli
Felices operum excepit, vitæque beatos,
Succincti nimbis, & multâ luce coruſci,
Inviti reſides ſpectant ex æthere bella,
Et quæ juſſa colunt, oderunt otia fortes.
Tartarei imprimis prædones, maxima quorum
Res agitur, ſtudiis ardent, animisque duellum
Tollere, & inſtanti Caium ſubducere fato.
Cælicolæ contra juvenes, certamine tanto
Res ſtygias fundo verti, ſævique ſuperbum
Regnatorem Orci longè ſub Tartara mitti
Et magnis optant animis, votisque ſequuntur:
Et ni magna Dei vetet, atque æterna poteſtas,
Infenſis utræque acies in prælia ſignis,
Vt quondam irruerent: mediâ quos Chriſtus in æthrâ
Talibus invaſit, tum facta ſilentia terris.
Me penes, & belli, pacísque æterna poteſtas:
Iudicium mundi, rerúmque arbitria ceſſit
Omnipotens Nato Pater: hæc eſt noſtra voluntas
Maxima, quam nulli poſthac reſcindere fas ſit.
Sat Stygiæ licitum genti, ſat magna dederunt
Funera, ſat noſtro virtus ſpectata cruore:

Hâc

Hâc ſæviſſe tenùs nimium eſt. Nunc integra morum
Et pietas & caſta fides, aſſertáque noſtro
Sanguine Relligio, totum dominentur in orbem.
Quod ſupereſt; iſthæc ſeſe in certamina nemo
Miſceat: is vincet, cælo quem vincere ſummus
Annuerit Pater, & præſens ſub pectore virtus.
Dixerat, & totum tremefecerat æthera nutu.
Aëriis ergo in campis cæleſtia ſurſum
Agmina, fatali ſtabant ſuſpenſa duello:
Mortales infra cingebant caſtra catervæ:
Totus in ancipiti trepidat certamine Mundus.
Interea magnos ſæva inter prælia Reges
Exercet ſub marte fero labor: advocat omnes
Ira animos: virtute, dolo, pugnatur & arte.
Ictibus ingeminant ictus, nunc aurea flictu
Scuta ſonant, nunc & repetito verbere caſſis,
Immiti ut quondam crepitant ſub grandine tecta.
Iam largum mittit Caius per multa cruorem
Vulnera, paulatim cedunt cum ſanguine vires.
Ipſe tamen ſuperans animis, & pectore firmo
Suſtentat mortem, & fatum virtute moratur.
Tot poſtquam traxiſſe moras, longíque laboris
Flaviaden puduit, collectum à corpore toto
Explicuit robur, ferrúmque reduxit ab alto.
Non ſecùs ac nemoris magnum decus, ardua pinus
Vertere quam durâ lignator fortè bipenni
Inſiſtit, ramos primùm tremit icta comantes,
Mox huc atque illuc duro ſub verbere nutans,
Et luctata diu, tandem concuſſa ruinam
Traxit, & ingenti ſtravit ſub pondere ſilvam.
Haud aliter Caius poſtremi vulneris ictum
Non tulit: ancipiti nitens veſtigia greſſu
Concidit, & toto conſtravit corpore campum.
Ingentem clamorem acies utræque dedêre,
Reſponſant valles, ſonitúmque ad ſidera jactant.
Flavius actutum lapſo ſuper aſtitit ingens,
Impreſsítque genu lævum, dextrâque comantem
Eripiens galeam, flammato hæc addidit ore.
Nunc ubi Licinius nobis ille eſt? Vbi ſævi
Effera vis animi? Chriſtique exoſa clientes

Impietas

Impietas? Vbi nunc nobis & Iupiter, & Mars?
Sic fatus, ſtricto gladium mucrone coruſcat.
Ille ferox, medio quamvis in limine mortis:
Túne minis terrere paras, & frangere leto,
Aut vitæ illecebris ſperas illudere, belli
Quem medias acies inter, cædésque cruentas
Miſit in imperium Mavors? Nec talia tecum
Iam pepigi: vitam nil deprecor, utere fatis.
Si te vera tamen, nec inanis gloria Chriſti
Omnes per populos oſtentat, reſpice tandem
Vt moriens tuus ille, tamen pacem hoſtibus oret:
Tu fratris jugulum petis, atque in cæde triumphas.
Torvus ad hæc Conſtantiades, poſt tanta piorum
Funera, poſt ſparſas ſceleratâ cæde tot urbes
Chriſtiadûm, ſanctóque undantem ſanguine Mundum,
Ten' Chriſti meminiſſe? Crucémque obtendere tantis
Auſibus? Has inter voces, dum nomine Chriſtum,
Atque Crucem toties repetit, ſubſidere viſi
Senſim animi tumido, & placidi ſuccedere ſenſus.
Ergo humili cælum teſtatus lumine, pauca
Subjicit hæc demum. Chriſtus te hoc funere, Chriſtus
Eximit, & vitam meliora in fata reſervat.
Dixit, & ex uno geminos tulit hoſte triumphos.

FINIS.

ΦΙΛΟΜΥΘΟΣ Ο ΦΙΛΟΣΟΦΟΣ;

ID EST,

IDEM AMATOR EST FABVLARVM,

ET SAPIENTIÆ.

Ariſt. I. Met. Cap. II.

DE EPICO CARMINE
DISSERTATIO
PERIPATETICA.

INDEX.

DISSERTATIONIS ANTECESSIO.

I. *Consilium de Poëmate Epico scribendo temerè capi non debet, cur ab Auctore susceptum; tum cur ad hanc Dissertationem scribendam aggressus sit.* II. *Veritas sine Aristotelis Philosophiâ, nequidem in re Poëtica teneri potest.* III. *Partitio hujus Dissertationis.* pag. 333.

DISSERTATIONIS PARS I.
De materiâ Epopœiæ.

QVÆSTIO PRIMA.

I *Mens Aristotelis de objecto cujusvis disciplinæ aperitur.* II. *Quæ sit in objecto ejusmodi materia.* III. *Quæ sit in eodem objecto forma.* IV. *Unde hæ voces petitæ sint.* pag. 337.

QVÆSTIO ALTERA.

Ostenditur ex Aristotele objectum Epicæ artis esse actionem unam, totam, illustrem, certæ magnitudinis, quæ narratione Dramaticâ, & versu hexametro exornari debet, ad viros Principes cum admiratione, & delectatione ad primarias virtutes excitandos. pag. 339.

ΦΙΛΟΜΥΘΟΣ Ο ΦΙΛΟΣΟΦΟΣ;

ID EST,

IDEM AMATOR EST FABVLARVM,

ET SAPIENTIÆ.

Ariſt. I. Met. Cap. II.

DE EPICO CARMINE
DISSERTATIO
PERIPATETICA.

INDEX.

DISSERTATIONIS ANTECESSIO.

I. *Consilium de Poëmate Epico scribendo temerè capi non debet, cur ab Auctore susceptum; tum cur ad hanc Dissertationem scribendam aggressus sit.* II. *Veritas sine Aristotelis Philosophiâ, nequidem in re Poëtica teneri potest.* III. *Partitio hujus Dissertationis.* pag. 333.

DISSERTATIONIS PARS I.
De materiâ Epopœiæ.

QVÆSTIO PRIMA.

I *Mens Aristotelis de objecto cujusvis disciplinæ aperitur.* II. *Quæ sit in objecto ejusmodi materia.* III. *Quæ sit in eodem objecto forma.* IV. *Vnde hæ voces petitæ sint.* pag. 337.

QVÆSTIO ALTERA.

Ostenditur ex Aristotele objectum Epicæ artis esse actionem unam, totam, illustrem, certæ magnitudinis, quæ narratione Dramaticâ, & versu hexametro exornari debet, ad viros Principes cum admiratione, & delectatione ad primarias virtutes excitandos. pag. 339.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Magnitudine Actionis.

I. *Magnitudo Epopœiæ tripliciter potest considerari.* II. *Magnitudo versuum quanta, & quot Tragœdias æquare possit.* III. *Magnitudo Fabulæ Tragicæ. Nostra de Heautontimarumeno Terentij sententia vindicata.* IV. *Magnitudo Fabulæ Epicæ. Quæ vegrandia, aut parva sunt, pulchra esse nequeunt. Quid pulchritudo.* V. *Magnitudo Fabulæ neque ex auditorum libidine, neque contentione, sed inclinatione rerum naturali.* VI. *Magnitudo Actionis primariæ quanta esse possit.* VII. *Actio Odysseæ est dierum* LV. pag. 377.

QVÆSTIO VLTIMA PRIMÆ PARTIS.

I. *Actio carmini Epico subjecta debet esse illustris.* II. *Heros Epici carminis præstantior debet esse iis hominibus, qui Poëtæ sunt coævi.* III. *Fœminæ actio potest esse argumentum Tragœdiæ.* IV. *Vtrum fœminæ Actio possit esse materia Epopœiæ.* V. *Vtrum fœminæ virtutibus Heroïcis præditæ possint esse.* VI. *Vtrum conatus licèt fortis, si exeat infeliciter, satis sit illustris, ut Epopœiæ serviat. Actionis etiam legitimæ gloriam corrumpi posse docetur in Virgilij Æneide.* pag. 386

DISSERTATIONIS PARS II.

De forma Epopœiæ.

QVÆSTIO PRIMA.

De Fabula.

I. *Ordo hujus secundæ partis.* II. *Variæ potestates hujus vocis* Fabula. III. *Definitio Fabulæ Epicæ explicatur.* IV. *Fabula est anima Poëmatis: sex rationes, cur id sit. Lucanus non est Poëta Epicus.* V. *Fabulam constituere qui velit, ejus primæ partes sunt, ut actionem Episodiis, & nominibus propriis spoliet.* VI. *Odysseæ argumentum ex placitis Aristotelicis absque nominibus, deinde cum nominibus, postremò cum Episodiis.* VII. *Iliadis argumentum ad imitationem Odysseæ.*

VIII. *Æneïdos argumentum ſimili arte compoſitum.* IX. *Godofredi, ſive Hieroſolymæ liberatæ argumentum ex eiſdem præceptis.* X. *Religionis, ſive Conſtantiniados argumentum ex ijſdem regulis.* XI. *Rationes, quamobrem actio ſuo ornatu ſpoliari debeat.* pag. 401.

QVÆSTIO ALTERA.

De Fabulæ compoſitione.

I. *Status quæſtionis.* II. *Ariſtotelis eâ de re præceptum.* III. *Horatius, Macrobius, Vida, Scaliger, & alij pro ordine perturbato.* IV. *Rationes eorum.* V. *Ariſtoteles, & ejus Interpretes pro recto & naturali ordine.* VI. *Rationes iſtorum.* VII. *Rationes à nobis pro eâdem ſententiâ.* VIII. *Homerus & Virgilius ſecuti ſunt ordinem naturalem.* IX. *Reſpondetur rationibus adverſariorum.* X. *Quid inter Hiſtoricum, & Poëtam interſit.* pag. 411.

QVÆSTIO TERTIA.

De unitate Fabulæ.

I. *Vnitatem in Fabulâ deſiderat Philoſophus.* II. *Quî Fabulâ una poſſit eſſe, quæ ſit πολυμερὴς, & πολύμυθος.* III. *Fabulas Homeri florere laude unitatis, ac maximè quidem Iliadis Fabulam.* IV. *Fabula Æneïdos una. Fabula Gothofredi non eſt ſatis una, quare nonnihil peccat in artem.* pag. 418.

QVÆSTIO QVARTA.

De Fabulæ alterâ virtute: Quòd ſit ſimplex.

I. *Ambigua poteſtas hujus vocis, τὸ ἁπλοῦν, detergitur; unde exiſtebat difficultas in Ariſtotele maxima.* II. *Quid Fabula ſimplex, quid implicita.* III. *Quid Peripetia.* IV *Quid Agnitio.* V. *Quid Fabula duplicis, & ſimplicis conſtitutionis.* VI. *Solvitur difficultas textûs Ariſtotelici initio propoſita.* VII. *Quî Fabula poſſit eſſe ſine Peripetiâ.* VIII. *Cur Fabula implexa ſit melior ſimplici.* IX. *Quid*

IX. *Quid* πάθος *in Fabulâ.* pag. 422.

QVÆSTIO QVINTA.

De partibus Fabulæ.
κατὰ τὸ ποσὸν.

I. *Partes Fabulæ* κατὰ τὸ ποσὸν. II. *Definitiones nexûs, & ſolutionis in Fabulâ.* III. *Epiſodia ſunt in nexu, non in ſolutione.* IV. *Solutio debet eſſe ſine machinâ.* V. *Benius tertiam partem nequidquam adducit.* VI. *Invocatio, & Propoſitio in Poëmate quænam eſſe debeant.* pag. 427.

QVÆSTIO SEXTA.

De Epiſodio.

I. *Ambiguitas vocis tollitur.* II. *Epiſodij definitio traditur.* III. *Quid ſit Fabula Epiſodica, & quid in illâ vitij.* pag. 430.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Machinâ. pag. 433.

QVÆSTIO OCTAVA.

De Moribus.

I. *Morum definitio.* II. *Prima laus morum, ut ſint boni in Heroë. Marini Adonis ſchola nequitiæ.* III. *Laus morum altera, ut congruant perſonis* κατὰ τὸ εἶδος, *in ſpecie. Torquati peccatum.* IV. *Laus morum tertia, ut ſint* ὅμοιοι, *ſimiles. Similitudo eſt perſonarum* καθ' ἕκαστον, *id eſt, ſingularium.* V. *Laus quarta morum, ut tenoris ſint æquabilis.* VI. *Quid ſit Poëſim eſſe moratam. Vulgi hallucinatio.* VII. *Viros fortes non dedecent lacrymæ, ſed ejulatus.* VIII. *Cur ſecundæ partes tribuantur moribus.* pag. 436.

QVÆST

QVÆSTIO NONA.

De Sententiâ.

I. *Sententiæ ambigua poteſtas. Aliquando pro Gnome, aliquando pro Dianœâ.* II. *Definitio ſententiæ, quæ eſt Gnome.* III. *Tres laudes, ſive conditiones ſententiæ.* IV. *Prima laus ſententiæ, ut ſit καθολικὴ, id eſt, univerſim pronunciata.* V. *Altera laus ſententiæ, ut ſit brevis.* VI. *Tertia laus, ut ſit morata.* VII. *Sex rationes quare ſententia placeat.* VIII. *An frequens uſus ſententiæ eſſe debeat. Auguſti Cæſaris eâ de re mens, & ſententia.* IX. *Quid inter ſententiam, & acutè dictum interſit.* X. *Cur acutè dicta placeant.* XI. *De ſententiâ, quæ eſt Dianœa.* XII. *Definitur, & ejus partes adducuntur.* XIII. *Inter partes formales tertius locus debetur ſententiæ.* pag. 441.

QVÆSTIO DECIMA.

De Dictione.

I. *Definitio Dictionis.* II. *Quid ſit Interpretatio apud Ariſtotelem.* III. *Verba multa in nominibus cenſentur.* IV. *Senſa animi eſſe παθήματα, quæ lateant, & vocibus proferantur.* V. *Qui nata ſit Hiſtrionica, & quomodo diſtincta à Poëſi.* VI. *In recitatione vis maxima.* VII. *Dictionis partes octo.* VIII. *Dictionis Poëticæ laudes quinque.* IX. *De perſpicuitate; cur primaria laus, quâ oriatur, quænam illi officiant.* X. *De majeſtate dictionis; quî fiat magna oratio Poëtica. Alia eſt dictio Poëtica, alia Oratoria. Poëſis Gallica nimis timida.* XII. *De æquabilitate dictionis. Cur fœdum ſit inæquabile dicendi genus.* XII. *De numeris dictionis Poëticæ.* XIII. *De concinnitate, & venuſtate dictionis. Concinnitas dictionis eſt θεῖόν τι diſtinctum à numeris & verbis, oritur ex metaphoris, & dialectis. Aurea, & divina mediocritas in uſu ornamentorum. Gallici ſermonis penuria.* XIV. *Non omnis pars Poëmatis ornari poſtulat.* XV. *Sitne potiùs Poëma ſcribendum Latino ſermone, quàm patrio?* XVI. *Quis locus inter partes formales debeatur dictioni?* pag. 451.

DISSER

DISSERTATIONIS PARS III.

De causâ efficiente Epici carminis.

QVÆSTIO PRIMA.

Quis habitus ſit Poëtica.

I. *Quid ſit Scientia.* II. *Quid Ars.* III. *Quid Prudentia.* IV. *Epica eſt Prudentia.* V. *Epica non eſt Hiſtoria.* VI. *Epica non eſt Ars.* VII. *Epica non eſt Logica.* pag. 464.

QVÆSTIO ALTERA.

De furore Poëtico.

I. *Definitio furoris in genere.* II. *Textus Ariſtotelis emendatus. Paccius & Ricobonus defenduntur contra Robortellum.* III. *Quotuplex ſit ſpecies furoris.* IV. *Platonica diviſio furoris.* V. *Quid Ariſtoteles de furore.* VI. *Tot furoris ſpecies, quot animorum perturbationes vehementiores.* VII. *Poëta Epicus in conſtitutione fabulæ furere non poteſt; quis furor in illo admitti poſſit, & quomodo naſcatur.* VIII. *An arte, an naturâ Poëta exiſtat.* pag. 469.

DISSERTATIONIS PARS IV.

De fine Poëſeos.

I. *Poëſeos finis non eſt voluptas.* II. *Animi voluptas, quæ ex imitatione oritur, ad Poëſim pertinet.* III. *Finis Poëſeos non eſt gloriæ rumuſculus.* IV. *Finis Epopœiæ eſt, viros Principes inſtituere, qui Rempublicam rectè conſtituant, & adminiſtrent.* pag. 475.

AD DISSERTATIONEM DE EPICA, APPENDIX.

DEFINITIO METAPHYSICA Epopœiæ.

I. *Etymologia Epopœiæ.* II. *Epopœia dicitur pictura.* III. *Epopœia quî mendacium dicatur.* IV. *Epopœiæ definitio Stoïca.* V. *Epopœiæ accurata definitio.* pag. 481.

DE EPICO CARMINE

DISSERTATIO PERIPATETICA.

DISSERTATIONIS ANTECESSIO.

I. *Consilium de Poëmate Epico scribendo temerè capi non debet; cur ab Auctore susceptum; tum, cur ad hoc opus sit aggressus.* II. *Veritas sine Aristotelis Philosophiâ ne in Poëticâ quidem locum habet.* III. *Partitio hujus Dissertationis.*

I.

QVM ego ante aliquot annos ad scribendum Epicum carmen animum appuli, id tantùm operis mihi suscipere visus sum, quò & genio utcunque indulgerem meo, & animum aliarum rerum fastidio gravem, quodammodo recreare possem. Verùm multò aliter evenisse sentio, atque olim credideram. Poëma quippe res est ingens, & ardua, quæque hominem actuosum, atque aliis studiis minimè implicitum desiderat. Me itaque susceptæ operæ identidem pertæsum est; vicissétque limæ, & laboris offensio, nisi pudor inclinantem inconstantiæ metu erexisset. Vt igitur est quorumdam hominum natura fortasse non pessima, quæ ubi se alicui applicuit arti, ejus est retinentissima: ita & mihi usu venit; ut, quæ animi causâ susceptа esset Poësis, ea deinde in partem officij, atque vitæ veniret. Id tantò antè sanè quàm diligenter caverat disertissimis istis verbis ingeniorum ille arbiter. *Multos carmen decepit. Nam ut quisque versum pedibus impraxit, sensumque teneriorem verborum ambitu intexuit; putavit continuò se in Heliconem venisse. Sic forensibus*

miniſteriis exercitati ad carminis tranquillitatem, tanquam ad portum faciliorem refugerunt ; credentes faciliùs Poëma extrui poſſe, quàm controverſiam ſententiolis vibrantibus pictam. Ceterùm neque generoſior ſpiritus vanitatem amat; neque concipere, aut edere partum mens poteſt ; niſi ingenti flumine verborum inundata. Effugiendum eſt ab omni verborum, ut ita dicam, vilitate, & ſumendæ voces à plebe ſummotæ, ut fiat : Odi profanum vulgus, & arceo. Præterea cavendum eſt, ne ſententiæ emineant extra corpus orationis expreſſæ; ſed intexto verſibus colore niteant. Homerus teſtis, & Lyrici, Romanúsque Virgilius, & Horatij curioſa felicitas. Cæteri enim aut non viderunt viam, quâ iretur ad carmen, aut viſam timuerunt calcare. Ecce belli civilis ingens opus quiſquis attigerit, niſi plenus literis, ſub onere labetur. Non enim res geſtæ verſibus comprehendendæ ſunt, quod melius Hiſtorici faciunt ; ſed per ambages, Deorumque miniſteria, & fabuloſum ſententiarum tormentum præcipitandus eſt liber ſpiritus : ut potiùs furentis animi vaticinatio appareat, quàm religioſæ orationis ſub teſtibus fides. Poterat etiam me deterrere rerum iſtarum callidiſſimus Horatius, qui libro de arte ſanctè monet.

O major juvenum, quamvis & voce paternâ
Fingeris ad rectum, & per te ſapis ; Hoc tibi dictum
Tolle memor. Certis medium, & tolerabile rebus
Recte concedi. Conſultus juris, & actor
Cauſarum mediocris abeſt virtute diſerti
Meſſalæ, nec ſcit quantum Caſſelius Aulus ;
Sed tamen in pretio eſt. Mediocribus eſſe Poëtis
Non homines, non Dij, non conceſsêre columnæ.
Vt gratas inter menſas ſymphonia diſcors
Et craſſum ingenium, & Sardo cum melle papaver
Offendunt, poterat duci quia cæna ſine iſtis :
Sic animis natum, inventumque Poëma juvandis
Si paullum ſummo decedit, vergit ad imum.

Bene multos inceſſit ſpes condendi Poëmatis, atque cupiditas ; quâ decepti de ſe ludos fecêre. Tantam rei difficultatem, ut id fatear quod in re eſt, non priùs ſenſi, quàm tum cùm pedem referre integrum non erat. Quamobrem nunc temporis hoc ſupereſt unum, ut incepto inſiſtam operi, & inſtituti à me ſtudij commemoratâ ratione, alios ad id

id literarum genus incitem, alios deterreum, vtrique pro-
fim. Tam inde ab ineunte pueritia, Homero, Virgilio,
Taſſo (illos ego in Epica Poëſia unus omnium prope-
modum conſuerim) aſſueuerans quorum ex conſuetudine,
& uſu, cum incredibilem animi voluptatem capiebam,
tum ad ipſorum imitationem mirifice accendebar. Ac pri-
mum quidem non tam præceptionibus, aut arte aliqua
accurari Poëma, quam ingenio bonitate, aut etiam affinia
quodam divino effici putarri: poſtquam tamen præpor
acceſſi, & in Poëtarum mentes intrauí penitius; facile ani-
madverti opus omni elegantia & cultu nitidum, omnibus-
que ſuis numeris abſolutum ſine præcepta, & doctrina
florere non poſſe, nedum ad maturitatem perduci. Vt Na-
tura fuerat excellens, ſine arte tamen ea eſt caca, & incuita.
Quare eruditi Ariſtoteles apud Laert. lib. v. pronunciat
virum à circumfuſo aëre lumen habere: mentem verò à
diſciplina, &ſtudio. Η δε ψυχη απο της μαθησεως εχειν λογι-
σμον το γαρ ειδεναι και συνιεναι εστι της μαθησεως.

Adjeci itaque continuò animum ad eas, qui de re poë-
tica Commentarios edidiſſent. Imprimis dedi & Hora-
tium, qui Poëtam naviter deterret à vitiis, & peccatis: quæ
prima eſt ſapientia: informat verò, & inſtituit mentem,
quæ res i me quærebatur. Quarum deinde & Hieronymus
Vida, qui verſa eruditio fane ille, ac mundo quadam
redit munet, ſed quæ ſic apta inter ſe non ſunt, ut in cor-
pus unum, & artem unam poſſint coaleſcere. Quod Scali-
geri fiet, qui ſeptem libros tuæ eruditionis variatæ di-
ſtinctos edidit? De ille id ego autem affirmo, quod in para-
doxis eſſe poteſt: eum quidem grammatica ſupellectile
libros illos luce de Poëtica locupletaſſe, & ornaſſe copio-
ſius: quibus tamen invidere eam eruditionis gloriam, quæ
ex natura, & earum, quæ appellant ἐνκύκλια, cognitione
petitur. Quod ejus factum ex ita, quæ pare ſuperſtione
tri, addacemus, nemo non intelliget. Non deſunt etiam ex
Italis, & Batavis doctiſſimi homines, qui de Poëti & Poëta
diſputarunt largiter, ſed plerique ſine arte & fine ordine,
ut interagrum, aut latinitatem potius ſcripti, quam viam aut
methodum, qui iretur ad Poëtim, indicare videantur.
Huic malo caput eſſe puto, quòd ex in parr magna à Phi-
loſophia parum inſtructi erant, ac proinde neque ſatis ido-

nei, qui in rerum naturam, & ϑεάσθω poſſent inſpicere.

II. Cogitanti hæc mihi, & diligentiùs intuenti venit in mentem operæ pretium fore, ſi ea præcepta, quæ ab Ariſtotele de Epopœiâ ſive Epico carmine tradita ſunt, in artem aliquam includerem, & legibus itidem ſancirem, ac rem Logicam, aut Phyſicam Peripatetica Schola ſolet conſtituere. Quâ re unâ duo mihi videor conſecuturus; alterum, ut peccem minimè, cùm ab ejus præceptis, qui unus omnium optimè novit quid ſit non ineptire, minimè diſcedam: alterum, ut iis placere poſſim, quibus non tam verborum fucus, & inanis cujuſdam πολυμαθείας rumuſculus placet, quàm virtus ſolida, & ſucci plena eſt cordi, atque venerationi.

At vereor non mediocriter, ne hic aditus triſtior hominibus politulis videatur, qui inter Sophiſtarum delicias nutriti, faſtidij ſunt delicati, & ſtomachi languidioris, quàm ut hæc Philoſophiæ Peripateticæ axiomata concoquere, & verborum quorumdam triſtitiam ferre queant. Adſint tamen animis, & à barbarie illâ, ac ſordibus, quibus adeò ſunt inimici, ſibi malè non timeant. Dabimus operam, ut quod fieri poterit, inſolens nihil obrepat, & à Latinis auribus abhorrens. Id ego eos viciſſim oratos velim, ut quoniam ipſorum causâ, ea quæ ſunt in Philoſophiâ duriuſcula, mollimus dictione; ipſi quoque veritatis gratiâ nimiam illam ingenij teneritudinem durent quodammodo, & animi ſui aciem, atque robur contendant. Perſuaſiſſimum enim mihi eſt, aliâ diſputandi ratione, quàm Peripateticâ, veritatem teneri non poſſe. Elegantiùs, copioſiùs, majori verborum apparatu, & ſententiarum lumine diſputari poteſt; tutiùs, & certiùs non poteſt. Trojam ludunt utplurimùm, qui Platonem ſequuntur: in umbrâ, & otio magnificè ſe oſtentant, & efferunt; qui Senecam imitantur: pugnant enimverò qui Ariſtoteli ſtudent. Illi vincere nec ſciunt, nec queunt. Hi poſſunt certè, & obtinent ſæpenumero.

III. Docet Ariſtoteles cùm aliàs ſæpe, tum imprimis libro primo Phyſicorum cap. primo, ſapientum omnium mentes in id congruere: ut is ſciens habeatur alicujus rei; cui prima illius principia, tum cauſæ, & elementa perſpecta fuerint. Quamobrem ejus, qui Epici carminis naturam noſſe

noſſe velit, partes primariæ eſſe debent: ut illius cauſas omnes probè cognitas, atque animo teneat comprehenſas. Sunt autem in Epopœiâ; ut in omni re, quæ quidem fit arte, cauſæ quatuor nemini obſcuræ: duæ intrinſecæ, totidem externæ. In intrinſecis ſunt Materia, & Forma: in externis, Efficiens, & Finis.

Materia Epopœiæ eſt Actio una, certæ cujuſdam magnitudinis, tota, perfecta, & illuſtris.

Ejuſdem forma eſt ornata Actionis illius conſtitutio.

Cauſa efficiens eſt Prudentia.

Finis eſt expulſio vitiorum, & virtutum ſatio quædam cum voluptate conjuncta.

Ex his quatuor cauſis tanquam ex quatuor partibus aſſurgit hæc diſputatio; cui ne quid deſit, appendicem de Metaphyſicâ Epopœiæ definitione attexemus.

DISSERTATIONIS PARS PRIMA.

Hac parte primâ explicatur materia Epopoeiæ, quæ comprehenditur octo quæſtionibus.

QVÆSTIO PRIMA.

I. *Mens Ariſtotelis de objecto cujuſvis diſciplinæ aperitur.* II. *Quæ ſit in objecto ejuſmodi materia.* III. *Quæ ſit in eodem objecto forma.* IV. *Vnde hæ voces petitæ ſint.*

CVm hæc quæſtio ex mediâ Philoſophiâ petita ſit, iis certè qui philoſophicè neſciunt, ſtomacho eſſe non poterit; quamobrem ſi tutò, & re incolumi meâ licitum fuiſſet, conſilium fuerat eam prætermittere. Sed quoniam id integrum non eſt, potius eſſe duxi, paucis ea comprehendere, quæ in Philoſophiâ pluribus diſputantur. Ita enim futurum eſt maximè id, cui nunc ſtudeo: nam & certæ fient, quæ ſubinde iſtis initiis nitentur quæſtiones; & ipsâ brevitate medebor eorum faſtidio, qui Philoſophicis minùs delectantur.

Cuilibet

Cuilibet diſciplinæ ſubjecta materia, ſive objectum quatuor laudibus ex Ariſtotelis decreto efflorescit. Prima eſt ἑνότης, ſive unitas generica. Altera, ut unitatem conciliet ei diſciplinæ, cujus objectum eſſe dicitur. Tertia, ut eandem diſciplinam ab omni aliâ ſecernat, atque ſegreget. Quarta, utea omnia de quibus illa ſcientia quærit & diſputat, eidem objecto accepta quodammodo referantur.

Primæ eſt aſſertor & vindex Philoſophus VI. Metaph. cap. I, his verbis: Πᾶσαι γὰρ αὗται περὶ ἕν τι, καὶ γένος παραγραφάμεναι περὶ τούτου πραγματεύονται. Id eſt, *omnes* (diſciplinæ) *uno quopiam genere circumſcriptæ in illo ſuam navant operam.*

Alterius proprietatis eſt auctor idem lib. IV. Metaph. cap. II. in hæc verba: Καθάπερ ὅσων καὶ τῶν οὐσιῶν ἁπάντων μία ἐπιστήμη ἐστὶν, ὁμοίως τοῦτο, καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. Id eſt, *Vt de iis quæ ſana ſunt una eſt ſcientia; ita de aliis ſentiendum eſt.* Vbi loci diſputat, Sitne Ens genus; eò ſanè, ſcientiæ unius uti eſſe demonſtret de illo diſſerere.

Tertiæ proprietatis meminit VI. Metaphyſicæ cap. I. Ἡ μὲν γὰρ φυσικὴ περὶ ἀχώριστα μέν, ἀλλ' οὐκ ἀκίνητα· τῆς δ' Μαθηματικῆς ἔνια περὶ ἀκίνητα μέν, οὐ χωριστὰ δ' ἴσως, ἀλλ' ὡς ἐν ὕλῃ. Ἡ δὲ πρώτη καὶ περὶ χωριστὰ καὶ ἀκίνητα. Id eſt, *Phyſica in iis occupatur rebus, quæ à materiâ ſegregari nequeunt, quæque moveri poſſunt: Mathematicæ pars quædam in iis, quæ motûs quidem, ſed non fortaſſis materiæ expertes ſunt. Prima verò Philoſophia* (quæ nobis Metaphyſica dicitur) *& in ſeparatis à materiâ, & omni motu caſſis.* Huc ſi quis animum advertere velit, facilè intelliget ſcientiam quamlibet ab aliâ ſecerni per objectum. Quamobrem à ſequioris minúsque latinæ ætatis auctoribus, *ſcientiæ dicuntur ſecari, ut res.*

Quartam laudem defendit, & vendicat Philoſophus IV. Metaph. cap. II. ubi diſputat quî negationes ſint poteſtatis Metaphyſicæ. Quia (inquit) communione quâdam entis gaudent. Nam dicimus negationes eſſe non ens.

Hæc ſunt Ariſtotelis placita de objecto cujuſvis diſciplinæ; quibus lux accedet ab exemplis. Phyſicæ objectum ex eodem Philoſopho VI. Metaph. cap. I. eſt ens φυσικὸν, quatenus moveri poteſt. At illud eſt unum genere, quæ prima fuit objecti laus: nam & corpora ſimplicia, ut elementa; & corpora mixta, ut plantæ & animantes, corpore naturali tanquam genere comprehenduntur. Vtrùm verò illud ſit

genus

genus συσιωμενον, an συμφωνον? Id est, utrum pari potestate ad inferiora defendat, an dispari; nolitá quidem nihil interesit.

Deinde Physica unitatem ducit ab illo ente naturali, Quæ cum eſt demonſtratio de ente naturali, eſt eadem Phyſica ditionis; & ſi quæ demonſtratio non eſt de ente naturali, eſt eadem extra Phyſicam poteſtatem. Terriò, per ens naturale Phyſica ſecernitur ab omni alia diſciplina: naturalis eſt enim alia, quæ ente naturali, quatenus naturale eſt, ſingat. Demum omnes, de quibus Phyſica diſputat, tribuuntur enti naturali, quá naturale eſt, ut jam monuimus.

II. At in illo objecto (quæ cautio eſt diligens) quippiam eſt, quod ὑλικὸν Græci, nos materiá dicimus, aliud verò quod τὸ εἶδος illis, à nobis Forma appellatur. Materia in objecto ſcientiæ cuiuſvis eſt id, de quo ſcientia quædam diſputandi non ſolet. Verùm in objecto Phyſico, quod ex Ariſtotele nonnumquam eſt corpus naturale, ut patentes eſt motio: materia eſto corpus naturale. Id enim una Phyſica tum eſt addicta, ſiquidem etiam ars medendi de corpore naturali differit.

III. Forma verò in objecto eſt id, quod uni ſcientiæ ſic affixum eſt, ut ad alteram adduci nequeat; verbi gratia, in objecto Phyſicæ, τὸ ut naturale, forma erit: nam ad unam Phyſicam id refringitur. Non enim ars medendi, corporis naturalis, ut naturalis, rationem habet; ſed ut medicinæ, & ſanationis patiens eſt.

IV. Alteri nomen materiæ, alteri forme appellatio quæritur eſt à re Phyſicâ per relationem. Nam ut ea pars compoſiti Phyſici, quæ pluribus formis ſit captiua facit, materia vocitatur; quæ verò pars materiam illam vagam & incertam ad unum certum compoſitum adigit, forma nomen habet: Ita in objectis diſciplinarum, quæ pars ad plures artes attingere poteſt, materia dicitur, quæ verò uni certæ illigatur, & addicitur, forma appellationem fortita eſt.

QUÆSTIO ALTERA.

Stamitur objectum Epicæ Artis.

Oſtendetur ex Ariſtotele obiectum Epicæ Artis eſſe actionem unam, totam, illuſtrem, certæ magnitudinis, quæ narratione Dramatica

Dramaticâ, & verſu hexametro exornari debeat, ad viros Principes cum admiratione, & delectatione ad primarias virtutes excitandos.

EX illo Ariſtotelis edicto, quod à nobis quæſtione primâ explicatum eſt, id conficitur, ut Epicæ (appello autem Epicam, illam Poëticæ partem, quæ Epopœiam conficit) objectum ſit actio una, tota, perfecta, illuſtris, & certæ cujuſdam magnitudinis, quæ narratione Dramaticâ, & verſu hexametro exornari debeat, ad viros Principes cum admiratione, & voluptate ad primarias virtutes excitandos.

Singulæ partes ſubinde accurabuntur diligenter; nunc temporis nobis ſatis erit auctoritate Philoſophi illas confirmare.

Apud Ariſtotelem lib. de Poëticâ cap. XXIII. id unum conatur Epica; ut actionem, qualem hic deſcripſimus, imitetur, & exhibeat. Pronunciat ſiquidem illo cap. eam verſari περὶ μίαν πρᾶξιν, ὅλην, καὶ τελείαν, ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ μέσον, καὶ τέλος. Id eſt, *Circa actionem unam, totam, integram, initio, medio, atque fine conſtantem.* Ex iis dotibus, quibus inſtruximus actionem, una hîc deſideratur, quòd ſit illuſtris. At illam ſufficit cap. v. Ἡ μὲν οὖν Ἐποποιία τῇ τραγῳδίᾳ μέχρι μόνου μέτρου μετὰ λόγου μίμησις εἶναι σπουδαίων ἠκολούθησεν.

De narratione Dramaticâ admonet, cùm ſancit fabulam etiam Epopœiæ debere eſſe Dramaticam, cap. XXIII. Δεῖ σους μύθους καθάπερ ἐν ταῖς τραγῳδίαις συνιστάναι δραματικούς. Hic τὸ Dramaticum auditur. De narratione non reliquit copiam dubitandi, qui Epopœiam eodem cap. XXIII. appellat διηγηματικὴν, *narrativam.*

Carmen hexametrum ita aſciſcit, ut omne aliud genus metri repudiet. Τὸ γὰρ Ἡρωϊκὸν στασιμώτερον, καὶ ὀγκωδέστατον τῶν μέτρων ἐστίν. Et ſubinde: Διὸ οὐδεὶς μακρὰν σύστασιν ἐν ἄλλῳ πεποίηκεν. Id eſt, *Verſus Heroïcus ſtatarius eſt, & dignitate magnus; quare nemo longiorem fabulam* (Epicam) *ſcripſit alio metro.*

Admirationem in Epopœiâ dominari jubet, cap. XXIV. *Oportet quidem* (inquit) *in Tragœdiis admirationem excitare, multò magis in Epopœiâ; quippe quæ ſupra plebis opinionem & rationem aſſurgat:* Μᾶλλον δ' ἐνδέχεται ἐν τῇ Ἐποποιίᾳ τὸ ἀνάλογον.

Delectatio

Delectatio ex admiratione naſcitur, eodem capite. Τὸ δ' θαυμαςὸν ἡδύ.

Principes viros adhortatur Epopœia. Nam ut ipſa eſt imitatrix actionum illuſtrium, quod monuimus; ita claros, & illuſtres viros adhortatur.

Virtutum primarum eſt conciliatrix, & expultrix vitiorum. Omnis quippe poëſis à vitiis deterret, & ad virtutes excitat: aque hic eſt finis Poëſeos. Ariſtoteles in Politicis, lib. ultimo, pollicetur ſe in Poëticis diſputaturum de expiatione, quæ fit per Muſicam, & Poëticam. Τί δ' λέγομεν τὴν κάθαρσιν, νῦν μὲν ἁπλῶς, πάλιν δ' ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς ἐρροῦμεν σαφέστερον. Ea verò pars libri de Poëticâ tempus non tulit, & excidit. Cùm itaque cujuſlibet Poëſis officium ſit à vitiis expiare; Epopœiæ partes erunt non tantùm à peccato deterrere, ſed etiam ad primarias virtutes adhortari.

Hæc ab Ariſtotele petita, in ſyllogiſmum placet concludere. Objectum cujuſlibet diſciplinæ quatuor proprietatibus florere debet, quas primâ quæſtione attulimus. At illud, quod Epicæ à nobis tributum eſt, iis floret. Nam actio genus eſt; cujus quidem multiplices ſunt ſpecies, ut ex iis clarebit, quæ infra dicentur; duæ nunc quidem ſatis erunt, quas ab Ariſtot. cap. x. adduco. Εισὶ δ' τῶν μύθων οἱ μὲν ἁπλοῖ, οἱ δὲ πεπλεγμένοι. Καὶ γὰρ αἱ πράξεις, ὧν μιμήσεις οἱ μῦθοί εἰσιν, ὑπάρχουσι δῆτις οὖσαι τοιαῦται. Id eſt, *Fabularum aliæ ſunt ſimplices, aliæ implexæ. Etenim actiones, quas fabulæ imitantur, tales ſunt.* Eſt hæc itaque prima proprietas. En alteram. Ab unitate actionis unitas Epicæ pendet, ex cap. VIII. ubi eâ de causâ diſputat de unitate Epopœiæ, & Actionis; de illâ nos diligenter ſuo loco quæremus. Tertia proprietas objecti eſt, ut per id quævis diſciplina ab omni aliâ ſegregetur; & hæc quoque in objecto noſtro locum habet. Neque enim Tragœdia, aut Comœdia, aut Poëſis alia quæcunque actionem ejuſmodi imitatur; quod pluribus ſigillatim deinde explicabitur. Quarta proprietas oſtenditur quàm facilè. Nihil eſt enim in totâ Epicâ, quod actioni ornandæ non ſerviat.

QVÆSTIO TERTIA.

De materiâ Epopœiæ.

I. *Statuitur quæ ſit Epopœiæ materia.* II. *Iulius Scaliger illuſtratur : tum & Ioannes Voſſius.*

I. POſtquam integrum Epopœiæ objectum eſt actio una, tota, cum cæteris dotibus, quæ primâ quæſtione laudatæ ſunt; nunc in controverſiâ eſt, quænam ſit objecti illius materia, quæ forma. De formâ quidem conſtituet pars hujus libri altera ; nunc de materiâ ſit diſputatio. In objecto cujuſcunque ſcientiæ id materiæ locum tenet, quod illi ſcientiæ commune eſt cum aliis, ut diſputatum fuit; erit igitur materia Epopœiæ actio una, tota, perfecta, illuſtris, & certæ magnitudinis. Nam in actionem ejuſmodi Tragœdia, & Epopœia conveniunt; atque in eâ operam ſuam ponunt. De Tragœdiâ auctor eſt Scholæ Dictator cap. VI. Ἔστι οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας & τελείας, &c. *Tragœdia igitur eſt imitatio actionis unius, illuſtris, perfectæ, & quæ magnitudinem habeat.*

De Epopœiâ idem decernit cap. XXIII. verſari illam περὶ μίαν πρᾶξιν ὅλην, & τελείαν, ἔχουσαν σύστασιν & μέσον, & τέλος, &c. *Circa unam actionem, totam, & perfectam, & habentem initium, medium, & finem.* Eſt itaque actio communis Epopœiæ, & Tragœdiæ ; Ea igitur eſt materia. Hæc ratio ex iis eſt, quas ἀπὸ Philoſophia paſſim appellat.

Eſto igitur materia Epopœiæ, Actio una, tota, illuſtris, &c.

Cùm verò in Poëmate Epico multiplices, variæque actiones ſint; non illæ omnes ſunt Poëmati ſubjecta materia; ſed una aliqua actio primaria, à quâ reliquæ veluti ſecundariæ ſunt aptæ, atque connexæ. Hujus actionis primariæ laudes quæſtionibus IV. V. VI. VII. VIII. explicabuntur accuratè. Nunc ſatis erit exemplo illam oſtendere. In Odyſſeam primaria actio eſt reditus Vlyſſis in patriam; bellum verò cum Ciconibus, antrum Polyphemi, Scyllæ & Charybdis præternavigatio, deſcenſus ad Inferos, ſunt actiones ſecundariæ.

Intercedit enimverò hic pro imperio vir exiſtimationis maximæ

maximæ Iulius Scaliger. In materiam Poëſeos omnis, & idcirco Epopœiæ, dat nobis literulas, ſyllabas, dictiones, pedes, verſus, rythmos, & totum illud Grammaticæ inſtrumentum: atque adeò librum alterum, quem inſcripſit Hylen, id eſt, materiam, iambis, choreis, anapæſtis & dactylis infercit. Id certè, quidquid eſt peccati, optaſſem ſilentio premere. Eſſe enim in auctoribus, quæ laudem, gaudeo; & ſi quæ ſunt, quæ reprehendi neceſſe ſit, doleo non mediocriter. Hæc tamen culpa eſt ejuſmodi, ut ſine ſummâ rei Poëticæ injuriâ & naufragio fœdiſſimo diſſimulari nequeat: tum illius eſt hominis, qui cenſuram in Poëtas omnes invaſit, qui ingratiis, & injuriâ primarum artium Principes levi de causâ, imò de nullâ ſæpè criminatur, qui auctoritate ſuâ, rerum iſtarum minùs callidos in errorem poſſit trahere, atque conjicere.

Et ne longè abeam, in re ipsâ, de quâ orta eſt diſputatio, cùm monuiſſet vulgò jactari à Græcis, & Latinis, rem quæ ſcribitur, Poëmatis appellari materiam; addidit: Cæterùm à veritate longè aberrant. Qui? Græci, & Latini. Et ne quem haberet eximium, ne præceptoribus quidem ſuis parcitum voluit: *Idcirco*, inquit lib. II. cap. I. *non rectè materiam dediſſe nobis aiebant præceptores propoſitis rebus, quæ nobis eſſent Poëmate deſcribendæ.* Quî tandem fidem faciet Græcos, ac Latinos omnes excutire? Colligamus vim argumentationis ejus. Ea eſt. In ſtatuâ aureâ, aurum eſt materia; igitur poëſeos materia erunt literæ, ſyllabæ, dictiones, pedes. Nam ut in aurum inducitur figura, putà Cæſaris; ita in literas, ſyllabas, dictiones inducitur poëſis. En cur peccent Græci, Latini, omnes omnium ætatum doctores. Verùm qui preſſiùs amat congredi Peripateticus; hæc negabit cohærere, & defendet hæc inter duo, nimiùm intereſſe. Nam auro ut materiæ inducitur figura; literis verò, & ſyllabis non inducitur forma Epopœiæ, aut tragœdiæ. Eſt enim forma poëmatis, σύνθεσις τῶν πραγμάτων, ex ſententiâ Philoſophi cap VI. & VII. Ordo quidam, & diſpoſitio rerum. Hic inquam rerum ordo, hæc Epiſodiorum, Eventuum (quos Περιπετείας appellant Græci) & agnitionum diſpoſitio in Actionem inducitur; ut jam dictum eſt, & explicabitur magis quæſtionibus conſequentibus; in literulas autem, & apices minimè: erit igitur Actio materia Poëmatis, non

verò literæ & ſyllabæ.

At ex literis ſyllabæ, ex ſyllabis verba, & nomina; tum pedes ac verſus, & tota denique Poëſis exiſtit? Pulchrè id ſanè quidem, ex iis tanquam partibus, quas integrantes appellat Schola; non autem tanquam ex partibus κατὰ διώσμων ἐντελέχειαν, de quibus lis excitata eſt. Vt enim nemo articulum, digitum, manum, brachium, humerum in materiam hominis acceperit, ſed in partes illas integrantes: ita de ſyllabis, nominibus, atque pedibus in re Poëticâ conſtitui decet, cùm ipſa ſint partes dictionis, de quâ alterâ hujus diſſertationis parte diſputabitur.

Atque hæc, de materiâ Epopœiæ & Poëſeos perturbata conſtitutio ſcriptis tanti viri non parum officit? Nihil ille de actione, de unitate, de magnitudine, de cæteris illius virtutibus; hoc eſt, de nobili, & διωδῆ atque ſubſtantiali, ſi fas eſt ita loqui, Epopœiæ parte ſancivit, neque lectorem ſuum ad contemplationem naturæ Epicæ adducit.

Sit itaque id ratum, & fixum, actionem, qualem quæſtione priori deſcripſimus, eſſe materiam Epopœiæ. Quamobrem nullo negotio intelligitur effatum illud Ariſtotelicum cap. VI. Ἄνευ μὲν πράξεως οὐκ ἂν γένοιτο τραγῳδία. Sine Actione non eſſet Tragœdia, aut Epopœia. Nullum enim compoſitum ſine materiâ eſſe poteſt.

III. Ioannes Voſſius, homo ingenij eruditi & mitis, eò fuit perſpicacior Scaligero, quòd Ariſtoteli ſe applicuit, quàm potuit, conſtantiſſimè. Non tamen Philoſophi mentem ſatis vidit. Dat ille nobis in materiam Epopœiæ res graves, ac perſonas. In hæc verba loquitur libro tertio Inſtitut. Poët. capite primo: *Materia* (Epopœiæ) *continet tum perſonas, tum res. Perſonæ potiſſimùm ſunt grandes, & illuſtres, ut Heroës, Reges, Duces; quandoque etiam Dij, quorum conſilia admiſcet. Res item ſunt graves, quales bellicæ. Interim nec aſpernatur perſonas tenuiores, &c.* Minus, inquam, peccati hîc eſt; eſt tamen aliquid. Nam Ariſtoteles ſanctè cavet, & docet diſertiſſimè Tragoediam & Epopoeiam non eſſe imitationes perſonarum, ſed actionum; quâ de re paulò poſt quæretur. Hac ratione nunc pugno, quæ profligari nequit. Materia Epopoeiæ eſt id, cui forma Epopoeiæ inducitur. Atqui Epopoeiæ forma, quæ eſt conſtitutio, & ornatus aliquis per Epiſodia, Agnitiones, Peripetias, Nexus, Solutiones

tiones, & ſimilia, non inducitur in perſonas, Reges, Heroës, Deos, neque in res quaſlibet; ſed duntaxat in actionem unam, totam, illuſtrem, &c. Actio igitur una, tota, illuſtris eſt materia Epopoeiæ; non autem perſonæ, aut res aliæ ab actione diſtinctæ. Neque illi favent Horatius, & Domitius Marſus: ab utroque enim oppugnatur. Horatij teſtimonium eſt in hæc verba:

Res geſtæ Regumque, Ducumque, & triſtia bella,
Quo ſcribi poſſent numero monſtravit Homerus.

Marſi verò auctoritas his verſibus continetur:

Te quoque Virgilium comitem non æqua Tibullo
Mors iuvenem campos miſit ad Elyſios:
Ne foret, aut Elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

Audio hîc Horatium, qui dicat res geſtas, & bella ab Homero celebrari; tum Marſum, qui amores, & bella cani velit, non Reges, vel Duces. Vellem equidem ejus ſententiam tueri Virgilij & Homeri facto, quorum ille ſic ſcribit:

Arma virûmque cano.

Homerus verò à Musâ cani rogat Vlyſſem. *Dic mihi Muſa virum. &c.*

Ἀνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα.

At id parum juvaret. Non enim Poëta Epicus præcepta ſcribit; quare perſonas pro rebus figuratâ uſurpat oratione. Longè ſapientiùs tum Horatius & Marſus laudati, tum Philoſophus, qui monet ſæpè quidem, atque adeò capite VI. libri de Poëticâ, Poëſim non eſſe imitationem perſonarum, ſed actionum; ut ſequenti quæſtione oſtendetur. Obteſtor hîc etiam atque etiam lectorem, ne putet me in re minimi pretij diſputare odioſiùs. Nam ex iſto peccato, quod leve videri poteſt; gravis ſæpè labes extitit, & vitium fecêre, & facient multorum Poëmata; ut vincent, quæ futuræ ſunt ſubinde quæſtiones.

QVEST. IV.

QVÆSTIO QVARTA.

De Actione, quæ eſt Epopœiæ Materia.

I. *De poteſtate hujus vocis, Actio.* II. *Epopœia eſt imitatio non perſonæ, aut morum, ſed actionis.* III. *Beatitudo hominis in actione, non in habitu, ſita eſt.* IV. *Georgica Virgilij, & ſimilia Opera non ſunt Epicum carmen.* V. *Qui verſum tantùm ad Epicum Poëma confert, non eſt Poëta, neque qui fabulam ſine verſu inſtruxerit. Non eſt Poëma ſine metro.* VI. *Actionis & Fabulæ diſcrimen.* VII. *Actionis ſpecies duæ.* VIII. *Qui actio eſſe poſſit ſine Peripetiâ. Paccij verſio incommoda.* IX. *Actio complexa quid.* X. *Poſſitne ficta eſſe actio, ſive argumentum Epopœiæ.* XI. *Gravis difficultas: Poſſitne actio, ſive argumentum Epopœiæ non eſſe veriſimile, licet ſit verum.* XII. *Ex comparatione actionis, ſive argumenti Odyſſeæ, cum Samſonis actione, oſtenditur hanc non eſſe aptam ad Epopœiæ argumentum.*

I. CVm Epopoeiæ ſubjecta materia ſit Actio; quæ ſit hujus vocis poteſtas, veſtigemus. Ea eſt ſanè multiplex.

Actionis nomine appellant Rhetores officium Oratoris illud, quod geſtum, motúmque corporis totius, & pronunciationem continet. Illam Tullius in Oratore ſic definit. *Eſt*, inquit, *actio quaſi corporis quædam eloquentia; cùm conſtet motu, atque voce.* Vt ſit ea non Oratorum duntaxat, ſed etiam Tragoedorum, & Comicorum: ad Epicum tamen Poëtam nihil attinet. Quare illi hîc non erit locus. Actio deinde à parum cautis, & Peripateticæ Philoſophiæ minùs prudentibus, accipitur in eam partem; vt ſit effectio quæcunque paulò dignior. Næ & hi errant ſplendidè. Aliud quippe eſt Ariſtoteli πρᾶξις, aliud ποίησις: Neque idem ποιητὸν cum πρακτῷ, aut ποιητικὸν cum πρακτικῷ. Nam ex VI. Eth. cap. IV. Ars eſt ἕξις μετὰ τοῦ λόγου ποιητική. Habitus cum ratione effectivus. At Prudentiam idem cap. v. ejuſdem libri definit ἕξιν ἀληθῆ μετὰ λόγου πρακτικήν. Habitum cum ratione activum. Πρᾶξις itaque, ſive actio, ad prudentiam, & mores; Ποίησις ad artem pertinet.

Cùm

Cùm igitur Philoſophus aſſeruit materiam Epopœiæ eſſe Πρᾶξιν, locutus eſt propriè, & κυρίως. Nempe voluit eſſe actionem moratam. Quid porro poëſim moribus imbuat; aut quî tandem Epopœia, vel poëſis eſſe poſſit abſque moribus, indicabit pars hujus diſputationis altera.

II. Nunc verò id venit in controverſiam; cur Philoſophus Epopœiam, & Tragœdiam velit eſſe imitationes actionum non morum. Οὐκοῦν, ὅπως ἤθη μιμήσονται πράττουσιν· ἀλλὰ τὰ ἤθη προσλαμβάνουσι διὰ τὰς πράξεις, *Non itaque*, inquit, *agunt*, Poetæ, *ut imitentur mores, ſed mores complectuntur propter actiones*, lib. de Poëticâ cap. VI. Et in definitione cùm Tragoediæ cap. VI. tum Epopœiæ cap. XXIII. conſtanter ait eas eſſe imitationes non morum, ſed actionum, immò ne hominum quidem. Ἡ γὰρ τραγῳδία μίμησίς ἐστιν οὐκ ἀνθρώπων ἀλλὰ πράξεως.

III. Rationem quidem affert hic Philoſophus, ſed concisè pro more, quæ paulò latiùs ſic fundi poteſt. Poëſis omnis, ſive imitatio eſt felicitatis gratiâ. At felicitas neque in hominis ἕξει ſita eſt, cùm non omnis homo ſit beatus, eſſet autem. Neque etiam in moribus poſita eſt: nam mores iſti ſunt habitus. In habitu autem non eſt felicitas. Εἰπεῖν δ' ὅτι οὐκ ἔστιν ἕξις· Καὶ γὰρ τῷ καθεύδοντι διὰ βίου ὑπάρχοι ἄν. *Decernimus* (inquit) *beatitudinem non eſſe habitum. Nam ſi ita eſſet, is beatus haberi poſſet, qui ætatem ſuam integram dormiret*, aut etiam ſimilis eſſet, τῷ φυτῷ βίον ζῶντι, *ei qui plantæ vitam viveret.* Quæ ſi ſtare nequeunt, erit beatitudo in actione. Εἰ δὴ ταῦτα μὴ ἀρέσκει, ἀλλὰ μᾶλλον εἰς ἐνέργειάν τινα τιθέον καθάπερ ἐν τοῖς πρότερον εἴρηται. Idem teſtatur ſæpè, neque obſcurè, & diſertis quidem verbis lib. VII. de Repub. Τὸ δ' μᾶλλον ἐπαινεῖν τὸ ἀπράττειν οὐκ ἀληθές. Ἡ γὰρ εὐδαιμονία πρᾶξις. *Non ij potiori loco habendi ſunt, qui à Republicâ abſtinent, iis qui Magiſtratus in eâ gerunt. Felicitas quippe eſt actio.* Quamobrem poëſis omnis actionem potiùs imitatur, quàm mores; cùm actio hominem beet, non mores, aut habitus. Atque hanc eſſe Philoſophi mentem contextus capitis ſexti de Poëticâ oſtendit; In quo ſic loquitur: Εἰσὶ δ' κατὰ μὲν τὰ ἤθη ποιοί τινες· κατὰ δὲ πράξεις, εὐδαίμονες. Οὐκοῦν ὅπως τὰ ἤθη μιμήσονται, πράττουσιν· ἀλλὰ τὰ ἤθη προσλαμβάνουσι διὰ τὰς πράξεις. *Homines certo quodammodo affecti, & quales dicuntur à moribus, ſed beati ab actionibus, quare non imitantur mores, qui agunt, ſed mores complectuntur*

tur

tur propter actiones. Accedit & ratio altera ab eodem Aristotele. Mores (inquit) sunt propter actiones : nam mores sunt habitus ; habitus verò sunt actionis causâ. Actio itaque melior moribus. Nam, ut ait, finis in re est id quod est optimum. Τὸ τέλος μέλιστον ἀπάντων. Imitatio autem est ejus, quod est optimum ; igitur & actionis. Robortellus falsus est, dum paginâ lviii. hac de re sic disputat : *Notandum verò, ut etiam antè diximus, imitationem duplici modo cõsiderari, aut quatenus scenica est, & ab histrionibus agitur, aut quatenus à poëtâ sit scribente: si quatenus à scribente poëtâ intelligas, dicamus primariũ in Tragœdiâ finẽ esse imitari habitum animi, & mores hominum per orationem scriptam, ex quâ descriptione homines cerni possint, an felices; an verò infelices sint.* Hæc ille: In quibus multa sunt quæ probari nequeunt; sed neque vacuus sum, ut singula persequar, neque si sim, satis velim. Nam & Poëta etiam Tragicus, & non Histrio tantùm, actiones imitatur. Fabula enim etiam Tragœdiæ est actionis imitatio; ut pronuntiat ibidem. Ἔστι δ' (inquit) ἡ μὺθος πράξεως ὁ μῦθος. At fabula, non est actoris, sed Poëtæ; cùm sit, ut eodem cap. vi. loquitur Philosophus, συνθεσις τ̃ πραγμάτων, rerum compositio. Id manifestum est ex Epopœiâ, quæ certè scenica non est, & tamen imitatur actionem. Occupatur enim, ut imitetur unam actionem, eamque perfectam, μίαν πρᾶξιν & τελείαν, ex capite xxiii. ut docuimus suprà. Deinde neque id rectè docet, homines esse felices, aut infelices ex moribus, secus ac Philosophus constituerat. Quamobrem cùm congruant inter se & Philosophi, & Theologi, beatitudinem in visione aut amore Dei positam esse, quæ sunt actiones, non habitus, aut mores : Epopoeia verò, ut quartâ parte differemus, sit eadem disciplina cum Politicâ, cujus finis est beatitudo civium, ex lib. Polit. Aristotelis; conficitur Epopoeiam non morum, aut habituum animi ; sed actionum esse imitationem.

IV. Hic quæstionibus aliquot locus est: prima quidem in hæc verba concipitur: Sitne in Poëtis Epicis numerandus, qui versum quidem dederit, sed illo versu neque Actionem celebrarit, neque constituerit, aut ornaverit fabulam. Negat Peripatetica Schola. Neque verò id vincere difficile est. Est enim Epopœia, sive Epicum carmen, imitatio actionis unius, perfectæ, illustris, &c. ut constitutum est. Quî fiet

fiet igitur, ut Epicum carmen ſit aliquando, in quo actio deſideretur? Ad hæc ex Ariſtotele fabula eſt ψυχὴ & ψυχή, caput & anima Poëmatis, quod oſtendimus quæſtione primâ partis ſecundæ hujus diſſertationis; at fabula eſt compoſitio, & ornatus quidam actionis, ut ibidem planum fiet. Non erit igitur Poëma Epicum ſine fabulâ, neque fabula ſine actione. Quamobrem ratum atque fixum ſit, Epicum Poëma nullum eſſe ſine actione. Non igitur Georgica Virgilij; non Heſiodi Ἡμέραι & Ἔργα; non aliorum Γεωπονικὰ, Αλιευτικὰ, & cætera quæ ſunt ejuſmodi plurima, erunt in Epicis Poëmatibus.

V. Dijudicatâ iſtâ lite inſtituitur alia, ab iis qui nomen Epici Poëtæ ſibi non arrogant quidem; Poëtæ tamen dici volunt, licèt Actionem non componant, neque locupletent. Duriter enim haberi, & minùs honeſtè queruntur à quibuſdam, qui non modò illos primo gradu movent; ſed ne in Poëtis quidem conſiſtere patiuntur. Atenim in eo nihil ego diſputo, cui vel abundè ſit, in Epicis illos minimè cenſeri. Litigent illi cum Luiſino in artem Horatij; cum Achille Statio, cum Iſidoro, cum Servio, cum Platone, cum Ariſtotele, atque aliis in re Poëticâ Principibus. Adeſt Luiſinus, qui paginâ 4. ſic loquatur. *Poëtæ ſibi nomen aſciſcunt, non propter carmen, ſed propter fabulam, & fictionem.* Atque iterum, ne parum conſtantem ſe præbeat, paginâ 34. *Poëta enim eſt non propter metrum, ſed propter fabulam.* Adeſt Statius, qui teſtimonium in hæc verba dicat, paginâ 7. *Sunt enim quatenus fingunt, non autem quòd verſus faciant, Poëtæ. Id ita eſſe græviſſimus auctor Ariſtoteles in eo libro, quem de Poëticâ reliquit, dilucidè docuit.* Adeſt Robortellus, qui ſub initium Comment. in Poëticam Ariſt. inquit. *Unde patet vulgi error, quia eos appellat Poëtas, qui metrìs ſcribunt aliquid ἰαμβικὸν, aut μουσικὸν, aut ἱστορικὸν, ſimplici utentes narratione, & explicatione rerum. Nam ij Poëtæ non ſunt appellandi, quia non imitantur. Idem probat Ariſtoteles alio exemplo. Homerus imitatur, ergo Poëta. Empedocles non imitatur, quamvis verſu ſcripſerit res Phyſicas, ergo non eſt Poëta.* Næ hic ego nimius ſim, ſi omnibus auctoribus, qui ab iſtâ ſententiâ faciunt, locum dare velim: ſine prævaricatione tamen præteriri non poſſunt tres Philoſophi, non modò ſcientiſſimi rerum iſtarum, ſed etiam omnium quotquot extiterunt facilè principes. Plato quippe

in Phædone ita pronunciat. Ποιητὴν δεῖ εἶπερ μέλλει ποιητὴς εἶναι, ποιεῖν μύθους, ἀλλ' οὐ λόγους. *Neceſſe eſt Poëtam, ſi tamen Poëta vult eſſe, fingere fabulas, non verò verba tantùm.* Suffragatur Plutarchus lib. de audiendis Poëtis, qui multis id diſputat; aitque ſe poëſim non cognoſcere, quæ fabulâ careat. Οὐκ ἴσμεν ὅ ἄμυθον, οὐδὲ ἀψυδῆ ποίησιν. Ariſtotelem mox audiemus. Accipit etiam hæc ſententia auctoritatem à nominis notatione: nam ποιεῖν, unde ποιητὴς, fingere ſignificat: quare Tranquillo de Poëtis nemo aſſentitur, qui ποιητὴν ἀπὸ τῆς ποιότητος derivat. Hanc litem qui ſequi velit, habet quibus diem dicat, & quos vadetur.

Nonnihil etiam ſupereſt ratiunculæ cum infimis eorum, qui Poëtæ videri poſſunt. In veteribus exemplum facio. Titi Livij hiſtoriam verſu expreſſit Rufus Avienus, auctore Servio: num Rufus Poëta cenſebitur? Vidi ego, qui Achillis Statij Ἐφηβικὰ pedibus metricis inſtruere ſtuderet, à quo ſtudio deinde victus ratione abſtinuit: num inter Poëtas iſti numerarentur? De ſententiâ Philoſophi non modò Poëtæ non ſunt, ſed etiam ſunt infra eos, qui nequidquam Poëtæ videri ambibant. Ariſtoteles cap. IX. lib. de Poëticâ, Herodoti hiſtoriam verſu illigatam negat eſſe Poëma, aſſeritque eſſe Hiſtoriam; non igitur Herodotus fuerit Poëta, licèt ſuam illam hiſtoriam ſtrictâ oratione comprehendiſſet. Verba Philoſophi ſunt. Ὁ γὰρ ἱστορικὸς, καὶ ὁ ποιητὴς οὐ τῷ ἢ ἔμμετρα λέγειν, ἢ ἄμετρα διαφέρουσιν· εἰ γὰρ τὰ Ἡροδότου εἰς μέτρα τεθείη, καὶ οὐδὲν ἧττον ἂν εἴη ἱστορία. τὸν μετὰ μέτρου, ἢ ἄνευ μέτρων. Id eſt, *Non differt Hiſtoricus à Poëtâ, quòd alter verſu ſcripſerit, alter verò non. Nam etſi Herodoti opera in verſum forent incluſa, nihilominus tamen eſſet hiſtoria.* Quamobrem non eſſet Herodotus Poëta, etſi verſu ſcripſiſſet hiſtoriam, qui tamen à ſe & res, & verſus dediſſet; quantò minùs Poëta dicendus eſt, qui non compoſuerit actionem, quam deſcribit; ſed ab alio compoſitam verſu illigarit.

Ad Avienum, & Livium redeat oratio. Vter Hiſtoricus eſt dicendus? Si quid eſt in me judicij, certè Livius, non Avienus: ille enim opus illud digeſſit, compoſuit, ornavit; non Avienus. Quorſum, inquies, hæc interrogatio? eò ſcilicet; ut, ſi Avienus non ſit Hiſtoricus, qui hiſtoriam ab alio digeſtam pedibus inſtruxerit; is Poëta non habeatur, qui fabulam ab aliquo auctore compoſitam verſu ornaverit

rit. Fac Ερωτικὰ Achillis Stratij eſſe fabulam Epicam, in quo jam nihil diſputo ; aliquem verò opus illud verſibus inſtruere : num iſte poſtremus Epicus Poëta erit, an Achilles ? At minùs prudenter fictitia, & commentitia exempla produco, cui vera ſuppetunt, nec longè petita. Iliadem Homeri Latino verſu nobis dedit Helius Eobanus Heſſius. Cùm Ilias unum ſit Poëma, cujum erit, Homeri, an Helij ? Certè ſi quid eſt auctoritatis in Ariſtotele, Homerus & Achilles Poëtæ dicendi ſunt ; non Eobanus, aut iſte ἀμώνυμος, cùm Achilles & Homerus fabulam digeſſerint. At quâ laude efferendi ſunt Avienus & Eobanus ? Moroſi ſanè videntur, qui illos, non tantùm non laudant, ſed etiam vituperant. Tardi, inquiunt, eſt ingenij, & infirmi, marte ſuo nihil excogitare poſſe, aut pueri adhuc rudis, qui ne quâ aberret, doctoris voce, & nutu regatur. Tum, addunt, ab illis unis in rem literariam peccari videtur. Nam qui Odas, qui Elegos, qui Dithyrambos, qui Comœdias, qui Tragœdias, & carmen Epicum dant in lucem, claros viros laudant, objurgant ſceleratos, informant mores, rerum naturam, vires, & dotes explicant, aut aliquid quod ſit in Rempublicam moliuntur: at iſti homines de ſe nihil adducunt, præter verba & tropos, quibus mens auctorum utplurimùm corrumpitur. Cùm enim difficile ſit in mentem auctorum venire, tum verſu illam explicare, non tam difficile eſt, quàm ἀδυνάτον. Hæc, inquam, oratio fortaſſe durior eſt. Cur enim tribuitur tarditati & ſtupori, quod elegantiæ poterat concedi?

Nunc verò quo nomine Avienum compellabimus? Hiſtoricum? minimè. Nam Livius Hiſtorici nomine gaudere debet, qui res geſtas compoſuit, & in lucem protulit. Poëtam? neque id placet, cùm metra tantùm attulerit. Παραφραστὴν ? non licet. Παραφραστὴς quippe eſt, qui anguſtam alicujus orationem laxat quodammodo, & copiosè explicat. Μεταφραστὴν ? vetat ratio : eſt enim μεταφραστὴς, qui alio idiomate, quàm quo ſcripta eſt, lucubrationem ediderit. Oratorem? neque ipſe velit, neque æquum eſt. Quo tandem nomine appellabimus, ſi neque Poëta, neque Hiſtoricus, neque Paraphraſtes, neque Metaphraſtes, neque Orator ? Eſto μιλροποιὸς, hoc eſt verſificator.

Sine actione Epopœiam eſſe non poſſe utcunque pro

noſtrâ tenuitate dijudicatum eſt. Nunc verò, poſſitne ea eſſe ἄμετρος, eſto controverſia. Robortellus, & Victorius viri doctiſſimi ab Ariſtotele jubent Epopœiam eſſe poſſe, quæ ſolutâ oratione ſcripta ſit. Ariſtoteles cap. 1. Poët. illorum animum dubium fecit, qui docet partes omnes, ſeu ſpecies Poëſis opus ſuum imitatione conari. Aliæ, inquit, harmoniâ, & rhytmo imitantur, ut αὐλητικὴ & κιθαριστικὴ: aliæ rhythmo duntaxat, ut quæ ſaltationi moderatur: Epopœia ſolùm oratione tenui, ſive metro. Ἡ δ' Ἐποποιία μόνον τοῖς λόγοις ψιλοῖς ἢ μέτροις. Ex quibus illi confici putant Epopœiam liberâ oratione ſcribi poſſe, cùm ψιλοὶ λόγοι, tum hoc loco, tum tertio Rhet. ab Ariſtotele μέτροις opponantur. Ad hæc Epopœiæ nomine comprehenduntur à Philoſopho ibidem Sophronis, & Xenarchi Mimi, necnon & Socratici ſermones, qui numeris expediti ſunt, & ſoluti. De Sophronis Mimis auctor eſt luculentus Suidas: de Socraticis ſermonibus, Ariſtoteles, ut loco laudato rectè oſtendit Robortellus. Deinde ex Philoſopho is potiùs in Poëtis cenſendus eſt, qui ornaverit fabulam, quàm qui verſus ſine fabulâ fecerit. Hæc ſunt fundamenta hujus ſententiæ, quæ ſuffodi, & everti facilè queunt. Atenim Epopœia una eſt quidem nomine; vi tamen, & poteſtate multiplex. Significationis eſt aliquando latioris quodammodo, & comprehendit generatim, quidquid oratione fingitur, veluti dialogos omnes, & inſigniter Socraticos ſive à Platone, ſive ab Alaxamene editos; in quam partem, & poteſtatem hoc loco accepit Philoſophus. Aliàs verò Epopœia accuratiùs, & ſpeciatim magis ſignificat carmen Epicum, ut mox planum faciemus. Epopœia itaque illa universè accepta, numeris ſoluta eſſe poteſt, & Mimos Sophronis, & Dialogos omnes complectitur: hæc autem non poteſt. Ex eo verò quòd fabulæ inſtructor potiùs Poëta ſit cenſendus, quàm μιμητικὸς, non fit ut ſit Poëta, ſiquidem ne hic quidem in Poëtis locum habet.

Pace itaque Robortelli cenſeo Epicum Poëma, ſive Epopœiam κυρίως acceptam non eſſe, quæ non ſit eadem verſu inſtructa. Ariſtoteles cap. XXIV. ab Epopœiâ omne aliud genus verſuum habet ſegregatum, præter hexametrum, & huius quidem causâ, quòd ſolùm hexametrum tantæ dignitati ferendæ ſuppar eſſe poſſit. Nam, inquit,

τὸ

τὸ ἰαμβικὸν & τετράμετρον κινητικὰ, τὸ μὲν ὀρχηστικὸν, τὸ δὲ πρακτικόν. Siquidem iambicum & tetrametrum mobilia ſunt & leviora; hoc quidem ſaltationi, illud verò rebus agendis idoneum. Ecquidnam cauſæ erit, cur in familiari ſermone ſatis ſit dignitatis, & roboris; non ſit verò in iambo, & tetrametro? Metrorum omnium σεμνώτερον & ὀγκωδέστατον, ſtatarium maximè, & maximè tumidum (grande malim ego dicere, quia tumor noſtrâ hâc ætate calumniam patitur) Epopœiæ quæritur ab Ariſtotele, & erit, qui putet ἄμετρον ſermonem ſatis eſſe poſſe? Qui potuit Philoſophus diligentiùs, & ſanctè magis conſtituere, non poſſe Epopœiam ſine verſu conſiſtere, quàm ſi metrum in ejus definitionem includeret? Incluſit verò non ſemel, & quidem cap. XXIII. quàm diſertiſſimè. Cùm in definitione altera pars dicatur genus, altera differentia, hæc intimior eſt, & ᾠδοποιΐας magis conſetur: differt autem Epopœia à Tragœdiâ, etiam verſu. Διαφέρει δὲ κατὰ τὸ ἁπλοῦν συστάσεως τὸ μῆκος ἡ ἐποποιΐα, & τὸ μέτρον. Auctoritate etiam fidem ſibi conciliat Philoſophus, ex eo quòd ne unus quidem omnium alio metri genere, quàm hexametro Epopœiam ſcripſerit.

VI. Actionem inter, & fabulam id intereſt. Actio eſt materia Epopœiæ; fabula verò eſt actionis prima informatio, ac proinde forma. *Sic definit Ariſtoteles*, ἔστι δὲ ἡ μὲν πράξεως ὁ μῦθος μίμησις. Id eſt, *Eſt verò fabula imitatio actionis* Subnectit deinde, λέγω γὰρ μῦθον τοῦτον τὴν σύνθεσιν τῶν πραγμάτων. Id eſt, *Definio fabulam eſſe compoſitionem rerum.* Si ad fabulam acceſſerint ejus laudes omnes, ac virtutes; tum efflorebit Epopœia omni ſuo mundo pulcherrima. Sit igitur actio, argumentum rude, ſive materia indigeſta Epopœiæ. Fabula vero, prima ejus declineatio, ſive forma. Mores, dictio, ſententia, erunt fabulæ ornatus. Quidquid hujus eſt, à ſimilitudine picturæ, quâ Ariſtoteles hoc in libro non ſemel uſus eſt, clarebit. Picturæ materia eſt Socrates, qui pingi debet; is actionem in Epopœiâ repræſentat. Membrorum prima deſcriptio cum aptâ diſpoſitione eſt forma; atque hæc fabulæ comparatur. Colorum varietas, & temperamentum, quod eſt ornatus picturæ, cum fabulæ ornamentis conferetur. Ea porro ſimilitudo, quæ à picturâ ducitur, nemini non placuit; quâ poſt Simonidem uſus eſt Plutarchus, lib. Quomodo ſint audiendi Poëtæ. Decet enim

enim ζωγραφίαν μέν εἶναι. φθεγγομένην τὴν ποίησιν. ποίησιν δ' ἄφωνον τὴν ζωγραφίαν. Ideſt, *Poëſin eſſe picturam loquacem, picturam Poëſim mutam.* Accedunt Plato, Horatius, Cicero, & quotquot deinde ſcripsêre viri docti.

VII. Actionis porro duas eſſe ſpecies auctor eſt Philoſophus capite x. alteram appellat ἁπλῆν, ſimplicem; alteram πεπλεγμένην, implexam. Illam his verbis definit eodem capite. Λέγω δ' ἁπλῆν μέν πρᾶξιν, ἧς γενομένης, ὥσπερ ὥρισται, συνεχοῦς, ἢ μιᾶς δεῖ περιπετείας, ἢ ἀναγνωρισμοῦ ἡ μετάβασις γίνεται. Id eſt, *Appello ſimplicem actionem eam, ex quâ unâ, & continuâ exiſtente, ut dictum eſt, abſque peripetiâ, aut agnitione fit tranſitus.* Implexam verò ibidem deſcribit Πεπλεγμένην δ' ἐξ ἧς μετὰ ἀναγνωρισμοῦ, ἢ περιπετείας, ἢ ἀμφοῖν ἡ μετάβασις ἐστιν. Id eſt, *Implexam verò eam, ex quâ cum agnitione, & peripetiâ, aut utráque ſimul fit tranſitus.*

VIII. At hic difficultas eſt non levis, qui fieri poſſit; ut Epopœia, aut Tragœdia, aut Fabula quæcunque eſſe poſſit ſine peripetiâ; cùm exitus fabulæ ſit commutatio fortunæ: commutatio verò fortunæ videatur eſſe Peripetia. Eſt enim Peripetia ex cap. xi. Rerum tranſitus in contrariam partem. εἰς τὸ ἐναντίον τῶν πεπραγμένων μεταβολή. Paccius hic occaſionem peccandi multis dedit, qui rem implicuit. Incommodus enim eſt, qui vocem iſtam, μετάβασιν, quæ eſt in definitione utriuſque actionis, vertat in iſtam, *mutationem.* Quare ex ejus tralatione conficitur, in actione ſimplici eſſe mutationem, ſiquidem eſt μετάβασις. Erit igitur in actione ſimplici Peripetia, ſecùs ac docuerat Philoſophus. Hinc tenebræ, & labes, quæ ſic detergentur. Aliud eſt apud Ariſtotelem hoc in libro μετάβασις, aliud μεταβολή. Nam μετάβασις eſt inclinatio fortunæ in ipſo fabulæ tranſitu: Μεταβολὴ autem inclinatio fortunæ ante tranſitum. Eſt igitur in omni actione etiam ſimplici μετάβασις, ſiquidem in omni actione ad finem fit tranſitus, & in illo tranſitu fortuna mutatur; non eſt tamen μεταβολή, quia ante tranſitum non erat mutatio fortunæ. Exemplum facio: In Iliade eſt μετάβασις, non μεταβολή. Nam in totâ Iliade idem eſt tenor uſque ad finem, & æquabilis perſonarum dignitas. Quare meritò cap. xxiv. de Iliade pronunciavit Ariſtoteles. Ἡ μὲν Ἰλιὰς ἁπλοῦν ἐστι καὶ παθητικόν· ἡ δ' Ὀδύσσεια πεπλεγμένον. *Ilias eſt ſimplex quiddam, & patheticum: Odyſſea*

verò

verò implexum. De Peripetiâ verò, & Agnitione, & Fabulâ ſubinde diſputabitur accuratiùs. At hic meritò quæri poteſt explicatio facilior mutationis & tranſitûs. Aio itaque tranſitum hic ab Ariſtot. accipi pro commutatione fortunæ in alterum ſtatum, in quo fortuna ſtet & conſiſtat quodammodo; verbi gratiâ, quia in Odyſſeâ poſt necem procorum, & pacem inter Vlyſſem, & primarios Ithacenſes ſtat fortuna, commutatio talis dici debet tranſitus. At mutatio dicitur de priori commutatione, quæ eſt ante tranſitum. Vt cùm Vlyſſes ſe egenum finxit & emendicavit, eſt mutatio, non tranſitus, quia in illo ſtatu manere non debuit.

IX. Actio porro implexa eſt ea, quæ per Agnitionem, & Peripetiam, vel utramque, vel alterutram habet tranſitum, ita ut ſit nexus quidam aut neceſſarius, aut veriſimilis, quo unum ex altero aptum ſit, atque pendeat. Atque hic quoque indiligens fuit Paccius. Cavet enim Ariſtoteles cap. x. διαφέρει ὃ πολὺ γίνεσθαι τάδε διὰ τάδε, ἢ μετὰ τάδε. *Differt* (inquit) *multùm hæc eſſe propter hæc, an poſt hæc.* Vertit Paccius. *Differt multùm fiant hæc per hæc, an ex his.* Nam μετὰ τάδε non ſignificat ex his, ſed poſt hæc. Non autem id, quod eſt poſt aliud, eſt propterea ex alio, ut Logici docentur in libro de Categoriis capite de priori. Caſtigat verò Ariſtoteles Poëtas illos, qui Peripetias, & Agnitiones, tanquam aliena membra in fabulæ corpus inſerunt. Vult itaque cap. x. partes omnes inter ſe ſic aptas eſſe, atque commiſſas; uti neceſſarium ſit, aut ſaltem veriſimile unam cum alterâ, ut fert natura, congruere. Ὡσε ἐκ τῶν προγεγενημένων συμβαίνῃ ἢ ἐξ ἀνάγκης, ἢ κατὰ τὸ εἰκὸς γίνεσθαι ταῦτα. Quod etiam cavet Horatius initio de arte. At de nexu accommodatè magis in alterâ diſſertationis parte quæretur.

X. De veritate actionis, ſive argumenti, id in quæſtionem vocari poteſt; poſſitne actio fingi in ſolidum. Parum peritè vulgus putat materiam omnis Poëmatis fictam eſſe debere; atque adeò inſcitè magis, quia fabulam accipit in eam partem, quaſi ſit uſquequaque commentitium quiddam, quo ineptum nihil eſt magis. Illud itaque Peluſiotæ lib. 2. Epiſt. 228. Ἡ ποιητικὴ ὕλῃ ἔχει τὸ ψεῦδος. Id eſt, *Poëticæ materia eſt mendacium.* Qui de puro putóque mendacio interpretatus fuerit, is non cum Philoſophis, ſed cum imperitâ

peritâ plebe ſenſerit. Deinde quæ ab iſtis epithetis, quibus Poëtica dicitur μιμητικὴ, εἰκαστικὴ, εἰκωνικὸς, εἰδωλοποιητικὴ, petitur ratio, levis eſt, & diluta. Quia etſi actio vera ſit, quam ornat; tamen nullum à ſe aſpernatur ex iſtis nominibus. Imitatur enim actionem, quæ verè contigit, ſed illam ita ornat, quaſi pingat imaginem, & illius ſimilitudinem exprimat. Philoſophiæ nos reddamus. Quæſtio eſt; An quæ fabulæ ſubjecta eſt actio, debeat eſſe uſquequaque ficta. In Comœdiâ cenſet Ariſtoteles poſſe; & utplurimùm debere: In Tragœdiâ minùs libenter conceſſerit; ſinit tamen,& laudat Agathonis Poëtæ fabulam, cui nomen Ἄνθος,in quâ omnia ficta erant.Sic enim pronunciat cap. VII. Ἐν ἐνίαις ὃ οὐδέν' οἷον ἐν τῷ Ἀγάθωνος Ἄνθει. Ὁμοίως γὰρ ἐν τούτῳ, τά τε πράγματα, καὶ τὰ ὀνόματα πεποίηται, καὶ οὐδὲν ἧττον ἡδύνει. Id eſt, *In quibuſdam* (Tragœdiis) *nihil retinetur, ut in Agathonis flore. Nam in hâc Tragœdiâ pariter, & res, & nomina ficta ſunt; & nihilo tamen minùs placet.* Rationem adducit,cur id minùs liceat in Tragœdiâ,quàm in Comœdiâ; quia res & perſonæ in Comœdiâ obſcuriores ſunt, neque admodum ſeſe parietibus domeſticis efferunt.Quamobrem veriſimiliùs ignorantur; neque tamen carent probabilitate, ſi peritè fabula fingatur. At cùm in Tragœdiâ perſonæ, & actiones ſint illuſtres; probabiliter ignorari nequeunt.In Epico carmine me auctore nemo id audebit; cùm nullius ex antiquis exemplo ſe tutari queat.

XI. Id verò longè graviſſimum. Quid? ſi actio vera quidem ſit, ſed non veriſimilis: nihil diligentiùs, nihil accuratiùs monet Philoſophus; quàm ut veriſimili ſtudeatur. Neutiquam (inquit cap. IX.) eſt in officio Poëtæ; ut ea, quæ facta ſunt, canat; neque ea, quæ fieri, aut etiam qui fieri poſſunt,niſi cum veriſimili congruant. Tum ab Hiſtorico diſtinguit Poëtam,non metro tantùm,aut numeris; ἀλλὰ τῷ τὸν μὲν τὰ γενόμενα λέγειν· τὸν δ' οἷα ἂν γένοιτο. *Sed propterea quòd Hiſtoricus ea narret, quæ facta ſunt; Poëta verò qualia fieri potuerant κατὰ τὸ εἰκὸς*, ut qui veriſimili ſtudeat. Tum Poëſim Hiſtoriæ prætulit, aitque eſſe φιλοσοφώτερον & σπουδαιότερόν τι, *ſapientius atque melius aliquid*, quia Hiſtoria hominis ſingularis veluti Alcibiadis facta proſequitur: Poëſis verò ea, quæ ab homine quopiam univerſè & καθόλου non facta, ſed quæ ſecundùm veriſimilitudinem

dinem potuêre fieri. Conſtitui itaque primò jubet actionem fabulæ ſubjectam, ſine nominibus, quò, poſitâ omni perturbatione, ſive odij, ſive amoris, veriſimilitudini conſulatur meliùs. Tum perſonis nomina induci jubet, quæ etiam τῷ δυλόγῳ & probabili ſubſerviant. Enimverò ridet eos, qui ſe purgant quaſi fabula ornari non poſſit, niſi aliquid contra veriſimile inferatur. Ωσε τὸ λέγειν ὅτι ἐδύνατο ἐπὶ μῦθος, γελοῖον. Oportuit enim abſtinere ſe, & ſtudium ſuum ab iis actionibus; quæ legis, & formæ patientes non erant. Ἐξ ἀρχῆς γὰρ οὐ δεῖ σωίστασθαι τοιούτους. Atque hîc Paccij tranſlatio deficit. Sic enim reddit verba illa. Ωσε τὸ λέγειν, ὅτι ἐδύνατο ἐπὶ ὁ μῦθος, γελοῖον. *Quapropter locutum fuiſſe dicere, fabula quidem ridicula eſſet.* Hæc verba ſenſu, & intelligentiâ caſſa ſunt.

Hoc ipſum cum Ariſtotele monuerat Horatius in arte.

Nec deſilies imitator in arctum,
Vnde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex.

Sed redeat oratio, unde progreſſa eſt. Si Philoſophus ab eâ actione temperandum putat, quæ per fabulam exornari nequit cum veriſimili; quantùm ab eâ abhorrebit, quæ ex ſeſe cum veriſimili pugnat? Vix dici poteſt, quàm inepta ſit ad Epopœiam. Si quid tamen in Epopœiâ ſit parum veriſimile, illud in Epiſodiis ferri utcunque poteſt, & extra fabulæ conſtitutionem, quam μύθευμα, non μῦθον vocat. Εἰ δ' μὴ (inquit) ἔξω τῆ μεθόμενος.

Ad hæc, in quo plurimum eſſe momenti neceſſe eſt, id quod fieri non poteſt, & eſt in ἀδυνάτοις, ſi tamen ſit veriſimile, ipſi Vero anteponit Philoſophus. Προαιρεῖσθαι τὰ ἀδύνατα ἃ εἰκότα μᾶλλον, ἢ δυνατὰ ἃ ἀπίθανα, cap. XXIV. Quæ verba deficiunt & abundant; deficiunt quidem iſtâ particulâ, δεῖ: abundant iſtâ, ἃ; ut rectè monuit Robortellus. Quare mirum non eſt Ricoboni verſionem nitore caruiſſe. Græcè itaque ſic ille legit ex manuſcr. Προαιρεῖσθαί τε δεῖ ἀδύνατα εἰκότα μᾶλλον, ἢ δυνατὰ ἀπίθανα. Id eſt, *Oportet eligere potiùs ea quæ fieri nequeunt, ſi tamen veriſimilia ſunt, &c.* Auctor tamen eſt Philoſophus, ea quæ ab antiquis excogitata ſunt, licèt minùs ſint veriſimilia, tolerari poſſe; ut de expoſitione Vlyſſis à Phæacibus in litore Ithaco; quia fortaſſe priſcæ illius ætatis aut patientiâ, aut oſcitantiâ, veriſimilitudinis ſpeciem merentur. Id tamen

diligenter monet, ſi quid tale eſt apud antiquos, illud minimè in actionem: ſed in Epiſodia, & fabulæ ornamenta cadere.

XII. Licet ea quæ diſputata ſunt, è Peripateticis nullus in dubium vocet; tamen ea fient magis illuſtria ex variis actionibus, quas Poëtarum Epicorum principes ſibi delegêre; quásque alterâ hujus libri parte adducemus. Nunc fuerit ſatis, actionem Odyſſeæ ab Ariſtotele proferre, & cum illâ committere actionem Samſonis, de quâ Epopœia fingi poteſt, ut ex utriuſque comparatione dijudicare poſſimus, quid cum veriſimili pugnet, quid congruat.

Odyſſeæ itaque materia, ſive actio ex Ariſtotele, capite XVII. ſic ſe habet. *Quidam peregrè profectus, claſſe & ſociis per varia naufragia exutus, multos annos aberat domo. Interim non tantùm illi res domeſtica à procis, conjugis ipſius victis pulchritudine decoquebat: ſed etiam ejus filius petebatur inſidiis. Ille autem poſt multiplices iniquiſſimi maris tempeſtates, tandem patriæ redditus, procos ex inſidiis occupat; & illis extinctis uxorem, filium, ac bona recipit.* Addit porro Philoſophus. *Atque hæc fabulæ propria ſunt, reliqua in Epiſodiis numerari debent.* Quid hîc inſolens? Quid non veriſimile? Nunc experiamur Samſonicam actionem. Vir quidam à popularibus ſuis, non odio, ſed metu hoſtium, quibus miſeram ſervitutem ſerviebant, vinculis conſtrictus inimicorum poteſtati permittitur. Is robore animi, & corporis præſtantiſſimus nullo negotio rupit vincula; & aſininâ maxillâ, quæ fortè humi jacebat, arreptâ, ſolus ingentem cladem hoſtium edidit, séque & patriam in libertatem aſſeruit. Licèt hæc Samſonis actio vera ſit, non tamen eſt veriſimilis: Vlyſſis è contra actio non admodum fortaſſe vera, veriſimilis tamen. Quare hæc Epopœiæ accommodata eſt, illa minimè. Neque huic medetur incommodo, quòd divinâ ope, & auxilio illæ Samſoni vires accreverint. Nam id ſimile eſt machinæ, quam in Epiſodia, non in actionem Poëtæ debent conjicere. Neque faciet ſatis, qui dicat, eam rem Iudaïco, & Chriſtiano populo haberi pro verâ, & proinde illis eſſe veriſimilem. Nam licèt hæc ſint; ſublatis tamen nominibus cùm perſonarum, tum regionum, quod Ariſtoteles fieri jubet, carent veriſimilitudine. Tum ſi veriſimilis non eſt actio, niſi appoſitis nominibus, non habebit illud

illud ὁμοούσιον ἕν σπάσιμον, de quo supra diximus. Nam qua ratione fanè quidquam personis dico, generaliter, & universè dici nequeunt. Quemobrem eam legem fixam, & sanctam pono, ne quod in abonem fabula capi possit, quod idem non sit verisimile.

QVÆSTIO QVINTA.

De unitate Adjonis.

I. *Adhuc debet esse una.* II. *Posset non periire ab una Herse.* III. *Neque ab una tempore.* IV. *Neque ab una Herse, & una tempore conjunctis.* V. *Ex adversis Adjo ipsa non debet esse unitas ens, seu principium.* VI. *Rationes dissentientes de hac re sententiæ.* VII. *Ab una Herse unitas potest fieri ab eadem parte.* VIII. *Temporaliter pars unitatis, quæ essentialis Entitatis potest esse.* IX. *Adversis, & Stanj in Aristotelis praxin lapsus.*

1. PRIMA lanx Adjonis est, ἑνὸς, unitate Philosopho cap. XXIII. Tota enim quanta est Proposita, unus Adjoni ornandus habitus: Πᾶν ὃ τὰ διαιρετικὰ ᾖ ἀ μέρη μερικὰ, ἓν δὲ τὰ μέρη μόνον καθ' ἓν τινὰ τρόπον συνεχῆ ἐστιν, ἕνα ἀριθμὸν, ἢ τὸ μὲν πρῶτον, &c. De uno, & unitate, neque uno in loco, neque paucis ambigit Philosophus, ex quibus hæc sunt in rem nostram. Primum est, quædam habere unum, τὰ συνεχῆ, cap. IV. lib. V. Metaphysic. Exemplum ponit in Corde, quæ unitate fieri scire. Et quidem effet unus homo, & unus Musicus, sed unus tamen unum constituunt. Nam Cordacæ effe potest, qui musicæ nesciat. Alia vero esse ait unum καθ' ἑαυτὰ, secundum se, quorum facit exemplum in facie colligatione, & linea. Neque enim effe facie fine colligatione earum rerum, quæ vinciuntur, aut linea, nisi fit συνεχὲς, id eft, continua. Alterum, cujus vindex eft Ariftoteles, eft ut illud, quod unum fit, idem tenuis effe neqeant. ἀδύνατον (inquit eodem cap.) ἓν εἶναι τὰ πολλὰ ἀπεσχοινισμένα ἀπ' ἀλλήλων. Hæc quidem, & alia longè plura in Metaphyficis fubtilitas difputata fatis: illa tamen nobis inftituto fanior fatis.

II. Mea nunc partes funt voffigare, à quo unitas Epoptæ petatur. Negat Philofophus illam ab unitate Herse

duci." Μῦθός ἐστιν εἷς, ὐχ ὥσπερ τινές οἴονται, ἑνὶ περὶ ἕνα ἅπ, cap. VIII. Id est, *Non eò fabula est una, ut quibusdam temerè venit in mentem, quòd de uno Heroë sit.* Nam ut sunt res numero propemodum infinitæ, quæ in unum corpus coïre non possunt: ita unius hominis actiones sunt benè multæ, ex quibus vna actio commodè nequit existere. Οὕτω ὃ ἓ πράξεως ἑνὸς πολλαί εἰσιν, ἐξ ὧν μία οὐδεμία γίνεται πρᾶξις. Quamobrem (addit) peccatum est maximè ab antiquis Poëtis, qui Heracleïdem, & Theseïdem ita cecinêre; ut ab Hercule, vel Theseo res omnes præclarè gestas, uno Poëmate definiri posse putaverint; eâ quidem gratiâ, quia in Heroïs unius laude id positum esset. Διὸ πολῖται εἰκαίαν ἁμαρτάνουσιν, ὅσοι τῶν ποιητῶν Ηρακλείδα, ἓ Θησείδα, ἓ τὰ τοιαῦτα ποιήματα πεποιήκασιν, οἴονται γὰρ ἐπεὶ εἷς ἦν ὁ Ηρακλῆς, ἕνα ἓ τὸν μῦθον εἶναι προσήκειν. Quantò (pergit) sapientiùs ab Homero factum est, cùm in aliis; tum in eo maximè, de quo lis est, & controversia. Neque enim ille omnia, quæ Vlysses vel tulit fortiter, vel egit callidè, in Odysseâ complexus est. Nam pressit silentio, qui in Parnasso vulnus acceperit, & qui in habito exercitûs delectu, per simulatam insaniam Græcorum sagacitati illudere conatus sit; Siquidem ea non congruebant in reditum ipsius tanquam partes necessariæ, in quem tamen unum animi vires intenderat. Atque ut Odysseam concluſit in actionem vnam, ita & Iliadem. Vidi ego, qui in unam, & eandem Tragœdiam dederit Neronem puerum pueris colludentem; tum adolescentem pium in Deos, & patriam; denique virum omni scelere, atque flagitio perditissimum. Alios audio, qui Epicos inter profiteri nomen suum gestiant, cùm Maximilianos à cunis ad tumulum usque perpetuâ oratione prosequantur. Quorum de imperitiâ dici, ut dignum est, non potest.

Atenim Virgilius (inquiunt) ἄλωσιν Trojæ, & multiplices, atque varios Heroïs sui eventus in Æneïde; tum Homerus in Odysseâ, & Iliade quàm multas actiones accumulant. Sanè quidem; sed quidquid illud fuit variegati operis, & ut ita dicam tessellati, in primariam actionem illam, quæ est totius Epopœiæ argumentum, minimè cadit, sed in ornamentum fabulæ. Quâ verò arte id accuretur, docebit pars hujus libri altera; cùm de unitate fabulæ disputabitur.

III. Quam

III. Quàm turpiter verò ſe dant illi, qui ab unitate temporis unitatem Epopœiæ trahunt. Id enim maximè Hiſtoriam inter, & Epopœiam intereſt, quòd Hiſtoria complecti poſſit ea, quæ unum in tempus incidunt facinora, à diverſis licèt Heroïbus, & diversâ in locorum regione fuerint edita; nullóque inter ſe nexu, quàm temporis, commiſſa. Epopœia verò ab iis abhorreat quàm maximè. Licebit cum laude Hiſtorico pugnam navalem, quâ ad Salaminam ab Athenienſibus contra Barbaros; & eam, quâ in Siciliâ à Gelone contra Carthaginienſes pugnatum eſt, eâdem hiſtoriâ proſequi; propterea quòd in idem tempus utrumque incurriſſe dicitur. At idipſum Epico Poëtæ dabitur vitio. Sic pronunciat Ariſtoteles cap. XXIII. Δῆλον δὲ μὴ ὁμοίας ἱστορίας συνίστᾶς εἶναι, &c.

IV. Hallucinatos eſſe tum eos, qui ab unitate Herois; tum illos, qui ab unitate temporis, Epopœiam unam eſſe volunt, ab Ariſtotele accepimus. Decepti quoque videntur, qui ab utroque, & Heroe, & tempore unitatem illam derivari crediderunt. Nam etſi fortaſſis neceſſe ſit, actionem illam unam eſſe, quæ ſit ab uno Heroë, & uno in tempore; nihilominus non omnis, quæ eſſet ejuſmodi, ſatis digna foret, quæ fabulæ Epicæ daret argumentum.

V. Oportet enim fabulam talem eſſe πολυμερῆ, ut hic loquitur Ariſtoteles, id eſt, ex multis membris coaleſcere; quorum unumquodque uni Tragœdiæ par eſſe poſſit. Si quæ ſit igitur actio, quæ neque partes ejuſmodi habeat; neque eas poſſit Poëtæ ſufficere, quibus fabulam exornet, ea eſt ad Epopœiam inepta. Qui verò partes illæ connecti inter ſe poſſint, deinde exponemus. Hoc peccârunt, qui Cypriaca, & Iliadem parvam cecinerunt Poëtæ. Non enim illi unam aliquam ſingularem actionem celebrandam ſuſceperant, quæ fabulæ πολυμερεῖ daret locum; ſed quæ ipſamet eſſet πολυμερὴς. Nam non tantùm fabula, quod datur laudi; ſed etiam Actio parvæ Iliadis decem partes continet, quod vituperatur. Partes illæ ſunt, Armorum judicium, Philoctetes, Neoptolemus, Eurypylus, Emendicatio, Lacæna, Ilij excidium, Reditus, Sinon, Troades. Verba Philoſophi habentur, cap. XXIII. Οἱ δ' ἄλλοι περὶ ἕνα πάσῶν, καὶ περὶ ἕνα χρόνον, καὶ μίαν πρᾶξιν πολυμερῆ. οἷον ὁ τὰ Κυπριακὰ, &c. Hic multa Interpreti ſeges eſt, veluti quis Poëta Cypriaca, quis

quis Iliadem parvam cecinerit. Conſulantur Athenæus, lib. VIII. Pauſanias in Laconicis,& ex nuperis hominibus, qui hiſtoriam rei poëticæ ſcripsêre.

Occurret hic aliquis, & inquiet. Atenim Iliadi, Odyſſeæ, & Æneïdi actio ſubjecta πολυμερὴς eſt. Id enimverò nego. Nam actiones iſtorum Poëmatum ſunt ſimplices, & ſine iis partibus, quæ multis Tragœdiis argumenta dare poſſint. Actiones illas eò ſufficimus hâc diſſertationis parte alterâ, quæſt. 1. quò hujus præceptionis periculum fiat. Certè ut quis maximè velit, ex ſingulis multas Tragœdias facere, operam ludet.

Litigant hic inter ſe Ariſtotelis Interpretes, cur vetet Philoſophus actionem eſſe πολυμερῆ; cùm fabula multarum ſit partium. Victorio commovit ſtomachum hæc præceptio; quare vocem illam πολυμερῆ expunxit,& ejus loco repoſuit πολύμυθον. Sic loquitur. *Eoſdem labi dicit* (Ariſtoteles) *qui unam actionem multis partibus præditam argumentum faciunt ſui Poëmatis.* Πρᾶξιν πολυμερῆ *ipſe appellavit. Videtur autem* πολυμερῆ *dicens intelligere, quàm ſuprà junctο itidem verbo vocavit* πολύμυθον, &c. Piccolomineus per πρᾶξιν πολυμερῆ intelligit actionem, quæ multis aliis actionibus quodammodo ſit gravida. Benius utrique iniquior eſt, & acriùs in eos invehitur. Contendit illo pronunciato caviſſe Ariſtotelem tantùm de actione, quæ πολυμερὴς eſſet, id eſt, ut ipſe jubet, quæ nimiâ partium multitudine laboraret: ita ut Philoſophus multitudinem partium in actione primariâ non reprehenderit, ſed copiam, & abundantiam. Pace Benij dictum ſit. Non ea fuit mens Philoſophi. Hic enim docet unam ex virtutibus actionis eſſe, ut ſit ἁπλῆ, & ἀμερὴς, & prohibet fieri πολυμερῆ, quod eſt multarum partium. Nam in actione primariâ partes non ſunt multæ, quæ ſingulæ totidem Tragœdiis ſerviant, ut diſputatum eſt. Deceptus eſt quoque Benius, qui exiſtimavit actionem Epopœiæ minùs eſſe unam, quàm Tragœdiæ, & opinionem illam Ariſtoteli affinxit. Nam Philoſophus, cap. illo à nobis laudato, quo ſe tuetur Benius, non inſtituit comparationem actionum inter ſe, ſed fabularum. Committit ſiquidē fabulam totam, ſive Epopœiam, cum Tragœdiâ. Liquet verò propter Epiſodia Epopœiam minùs eſſe unam, quàm ſit Tragœdia. Verbis Ariſtotelis conceptis hoc vincitur. Επι ἡπαν μία ὁποιασῶν

ὁπιοσοῦν μίμησις, ἡ τῶν ἐποποιῶν. σημεῖον δ'. ἐκ γὰρ ὁποιασοῦν μιμήσεως πλείους τραγῳδίαι γίνονται, &c. Id eſt, *Ad hæc minùs eſt una qualiſcunque imitatio Epica; argumento eſt, quòd ex qualicunque imitatione plures Tragœdiæ fiunt.* Surdus eſt, qui non audiat Philoſophum loqui de imitatione, quæ Epopœia ſit, non de actione. Epopœia ſiquidem eſt imitatio actionis, non igitur actio.

VI. Vnitate actionis primariæ gaudet. At quamobrem, & quâ de causâ, ſilentio id preſſiſſe Philoſophus videri potuit; niſi acriùs mens, & ingenium in ejus verba intendantur. Hinc expoſtulatio quorumdam de verſatili, & tortuoſo ejus ingenio, quod difficultates vel lubrico lapſu ſubterfugiat, aut prætereat ſimulatione. Enimverò merito non ſuo. Nam fidem ſuæ ſententiæ facit primò à ſimili. Vt aliæ artes, quæ imitatione quippiam moliuntur, in actione unâ duntaxat elaborant; ita & Epica Poëſis unam actionem ornat, & locupletat. Χρὴ οὖν, καθάπερ ἐν ταῖς ἄλλαις μιμητικαῖς ἡ μία μίμησις ἑνός. ὅτω δὲ τὸν μῦθον εἶναι ἐπεὶ πράξεως μίμησίς ἐστι, μιᾶς τε εἶναι, &c. cap. VIII. Aliæ porro artes imitatrices ſunt pingendi, fingendi, ſaltandi, quæque Hiſtrionica dicitur, necnon Tragica, Comica, & Dithyrambica, quæ omnes actionem unam imitatione conantur.

Qui enim pictor Iphigeniam in Aulide coloribus adumbrare ſuſcipiet, alienum nihil ab eâ actione immiſcebit. Aderit pater Agamemnon, & cultu corporis, vultûs, animique mœſtitiæ inſignis: tum Græcorum viri Principes variâ corporis quidem geſtione, triſti tamen omnes; deinde ara, & ſacrificuli: non verò Thebarum expugnator Capaneus, aut Theſeus Athenarum fundator. Deinde probat hoc ipſum, cùm ait unam imitationem eſſe unius actionis, & quidem totius, cum reliquis dotibus, quæ mox afferentur ex cap. VIII. Nam ſi imitatio poteſt eſſe duarum actionum, qui ſatis Odyſſea ab Iliade ſecerni poterit? Ad hæc, cap. XXXIII. docet opus eſſe; ut ea omnia, quæ in fabulæ ſubſtructione continentur, unum quiddam ſpectent: at id, quod ſpectant, & in quod nituntur, quid aliud eſt, quàm actio? cui fabula, & Epiſodia omnia obſequuntur. Demum, eodem cap. VIII. fabulæ modum ponit, & inſolentem granditatis molem circumcidit; ne auditorum

expectatio-

expectationem, & mentis aciem unitas eluderet. Sic enim loquitur, οὐχ ἑλαφ τοῖς θεωρῶσι τὸ ὅν. Quantò magis si esset actio multiplex, eáque disparata? Nam dum in unam partem intenderet, & conniteretur animus, alia pars aliorsum elaberetur.

Atque hîc ambigi potest, & certè necesse est, quî unitas actionis in cognitionem, atque notitiam venire possit. Id nos latere minimè passus est Aristoteles, qui sic pronunciet. Si quid est in actione, sine quo tota actio consistere queat, id unitati officit, non enim est actionis pars. Ὁ γὰρ πρόσον ἢ μὴ πρόσον μηδὲν ποιεῖ, ἐπίδηλον ὅδε μόριον τοῦτο. At id nihil ad fabulam, sed ad actionem: nam à fabulâ partes aliquæ abesse possunt, cùm ipsius unitas minimè violetur. Absit enim ab Æneïde Episodium de Nisi, & Euryali amicitiâ, & nece: quidni fabula sit unâ? In actione verò præcidi nihil potest, quin actio tota intereat: ut cuilibet experiri licèt in actionibus quæ part. II. q. I. adducentur. Esto itaque actio fabulæ subjecta, una. Hactenus de unitate actionis primariæ quæsitum sit. De unitate fabulæ constituet pars disputationis secunda.

VII. Numnam unius Heroïs debet esse Actio, quasi ab eâdem parte plures Heroës esse nequeant? Non desunt quibus ea injecta sit religio; ut non modò virtute, & fortitudine suppares Heroï suo non admittant; sed ne socios quidem, & administros ferre possint. Alij non eos patiuntur tantùm, qui auxilio sint, & in secundis partibus; sed etiam rei gerendæ gloriâ pares, & velut æmulos obtrudunt. Næ utrosque meo judicio fallit animus. Detur tamen utrisque locus, ut pro se dicant. Ac primi illi pugnant auctoritate summorum Poëtarum, qui unius, & singularis Heroïs unam actionem laudare inceptent. Homerus in utroque Poëmate id præ se fert; In Iliade quidem:

Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληιάδεω Ἀχιλῆος
Οὐλομένην, ἣ μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκε.
Iram cane Dea Pelidæ Achillis
Perniciosam, quæ infinitos Achivis dolores peperit.

En unius Achillis unam iram, quæ ad alios adhæsit minimè, canere aggreditur: neque aliorum meminit in hac propositione, quæ est totius Poëmatis compendiosa quædam comprehensio, & Poëtæ ipsius mens, atque consilium.

Achilles

Achilles pugnaturus cum Hectore exercitum ab armis jubet abstinere, ut solius sit actio illa; Iliade x.

Λαοῖσιν δ' ἀνέγνυε καρήατι δῖος Ἀχιλλεύς,
Οὐδ' εἴα ἔμμεναι ἐπὶ Ἕκτορι πικρὰ βέλεμνα.
Populis innuebat capite divinus Achilles,
Neque sinebat mittere in Hectorem gravia jacula.

In Odysseâ vnus Vlysses ornandus suscipitur, qui unus procos interemit.

Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
Πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσεν.
Virum mihi celebra Musa versutum, qui valde multùm
Erravit, postquam Trojæ sacrum oppidum evertit.

Tum ipse unus procos extinxit. Pondus, & momentum ab Aristotele arcessunt, qui diligenter in argumento Odysseæ id observat, ac monet: nam disertè ait Vlyssem solum extitisse (μόνου ὄντος) ut in Odysseæ argumento videre est, quod non ita post adducemus. Eadem fuit Virgilio mens, idem consilium, cùm cecinit:

Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, &c.

Vnius meminit viri, non multorum. Patrocinatur auctoritati ratio non una. Nam cùm Epopœia admirabilitatis habere plurimùm debeat, & θαυμάσιον τι; ut loquitur Aristoteles cap. XXIV. Ecquid est ad admirationem magis, quàm ab uno homine effici rem magnam? aut quid admirationis habet ea res, quæ à multis, iisque præstantibus viris edatur? Goliathum à Davide uno perimi, qui toti exercitui metus erat; aut ab Hercule Hydram confici, toti quæ regioni vastitatem inferebat, id magnum, & admirationem habet. At civitatem ab exercitu florenti capi, & exscindi, nihil est cur mireris. Hujus sententiæ principes censentur Mutinensis Interpres in suâ Poëticâ, Speronus in Dialogo de Historiâ, Mazzonius in Aldigherij defensione, Riccobonus in Paraphrasi suâ.

Non desunt, qui alteram in partem nimij sint, & in eo peccent, quòd non milites, aut socios, sed præstantes viros, & primarum artium principes arcessere ament, nimio quodam rerum magnarum studio illusi.

Id ego æquius censuerim, unum aliquem Heroëm in Epopœiæ argumentum deligendum esse; cui milites, &

ſocij, non tamen rerum gloriâ pares, nedum ſuperiores adjungantur. Nam Æneas Trojanis ſuis Arcades duce Pallante; & Hetruſcos duce Tarchonte aſcivit. Vlyſſes etiam confecto bello Trojano naves ſociorum duodecim reducebat, & licèt ſolus in Ithacum litus ejectus ſit, expugnat tamen procos inermes, neque adeò multos cum Telemacho, & ſervitio; atque iterum turbam illam Ithacenſium, cum eodem Telemacho, Philœtio, Eumæo, ipſo etiam Laërte parente, atque aliis numero duodecim ſuſtinuit; ne quid de Minervâ dicam, quæ primo in ordine pugnabat. Nam iſta Deorum miniſteria plebi lactandæ inventa ſunt; quæ veritati, & veriſimili apud cordatos viros parum ſunt idonea. Quamobrem homini Philoſopho de naturâ rerum diſputanti negligenda ſunt. Achilles Myrmidonum vim ingentem habuit, Græcum exercitum inſtruxit, & præ ordinibus pugnaturum ſe recepit, Iliados τ. Ὡς ἔπος αὖτ' Ἀχιλῆα μετὰ πρώτοισιν ἴδοιτο.

Neque vis ulla eſt objectioni, quòd is pugnaturus in Hectorem, capitis nutu ſociis bello interdixerit. In duello quippe id nefas. Hoc ipſum XII. Æneidos Turnus factitavit.

Significátque manu, & magno ſimul incipit ore.
Parcite jam Rutuli, & vos tela inhibete Latini.

Necnon apud Taſſum cantu XIX. Tancredus cum Argante pugnaturus.

Ceſſate pur di moleſtarlo hor voi;
Ch' è proprio mio, piu che comun nemico
Queſti, & à lui mi ſtringe obligo antico.

At & Turnus, & Tancredus milites ac ſocios in armis habuêre. Hac de re decidi poteſt, & tota controverſia tolli iſtâ ratione. Non enim Heros ille, cujus ex vitâ Principes inſtituendi ſunt, fortitudinis tantùm; ſed etiam conſilij, atque prudentiæ exempla debet edere. Quî verò, ſi ſolus extiterit, ſpecimen iſtarum virtutum dabit?

VIII. Quid Torquato faciemus noſtro, cujus causâ multùm nos volumus, quem tota Italorum natio miris effert laudibus, cui hæc noſtra ætas omnis ſtudet? Quid? ſi cum Ariſtotele in re ſimili, ſimile aliquid ſapimus. Amicus magni fieri debet; pluris etiam veritas. Dent arbitros, qui ſecùs exiſtimant, eorum judicio rem credimus. Sic itaque

que rem mecum puto. Quidquid in Hierosolymâ Torquati arduum est, quidquid magnum, & illustre; id Reginaldo, id Tancredo indulgetur. Hostium Principes sunt Aladinus, Argantus, Solymannus, Clorinda, Adrastus, Thyssaphernus, Emyrenus. Argantem, & Clorindam Tancredus perimit; hanc quidem cantu XII. tanto apparatu, tantâ affectuum vi, atque varietate, ut illo in loco Poëta se deamasse facilè intelligi possit: Argantem verò interficit cantu XIX. cui primæ fortitudinis partes totó illo Poëmate conceduntur. Adrastum inter fortissimos qui recensetur; tum Tyssaphernum Armidæ defensorem, & Solymannum illum partium inimicarum velut Hectorem cantu vltimo Reginaldus interficit choragio verborum, sententiarum, comparationum superbissimo; uti nemo sit, qui hæc legerit, idem qui non intelligat, victoriam in illorum nece consistere. Supererat Aladinus Hierosolymorum Rex; palmam illam invidit Heroï suo Godofredo,& eam Rœmundo concessit. Tandem Torquatum haud dubiè puduit sui judicij, atque illud contempsit. Nam sub finem libri ultimi, ne nihil egisse videretur Godofredus, Emyrenum illi mactandum objicit frigidè, obscurè, & paucis omninò versibus; ut vel invitus, & ingratiis id concessisse videatur. Atque ut aliquid illâ ex gloriolâ derueret, illum ab hoste certo vulnus accepisse canit: &, quod turpius est, cantu XI. à Clorindâ vulnerari; quæ duo sunt præter morem summorum Poëtarum. Scilicet dum nationi, & Mecœnati suo plus æquo studet, non animadvertit Poëmati suo se injuriam facere.

Verùm enimverò illud mihi pluris est, quo uno causæ totius caput continetur. Primum, spectatur in Poëmate Epico actio Heroïs, utpote quæ sit argumentum Epopœiæ. Quid igitur invenustum magis, aut ἀλογώτερον; quàm ejus actionis, quæ tota Heroï consecrata est, laudes alterius cujusdam virtuti odiosè adscribere? In Homero θεῖόν τι suspexit Philosophus, & omnium temporum literati omnes præter paucos ἀφιλοσόφους, qui è sordibus Grammaticæ caput non extulêre. At cùm in aliis laude sit dignus tantus Poëta; tum in actione ornandâ, hoc est, in fabulâ fuit eximius. Divinæ illius Iliadis hic est nodus, & δέσις; atque ea λύσις, & solutio. Homero consilium fuit Achillis fortitu-

dinem laude aliquâ ſingulari efferre. Quò itaque eum non Trojanis tantùm, quæ laus futura erat magna; ſed etiam Græcis anteponeret quæ, gloria erat cumulatiſſima: finxit illum præ irâ à bello ad tempus ſibi temperaſſe; tum legitimâ causâ placatum iterum induiſſe arma. Quo is tempore à prælio manus continet, cæduntur Græci, triumphant Trojani, de ſolvendâ obſidione conſilia habentur, afflictæ, & deſperatæ jacent res Græcorum: Vt iterum in certamen atque prælium rediit, inclinata Græcorum fortuna erigitur, affligitur exultans illa Trojanorum gloria. Ecquid dici poteſt Heroï ornando magis accommodatũ, quàm ſi utrique parti, non inimicæ tantùm, quod ab aliis Poëtis factitatum legimus; ſed etiam amicæ, quod à nemine tantâ cum gloria uſurpatum eſt, is præferatur: ut in eo uno partis utriuſque ſalus, atque cædes, gloria, atque dedecus, necnon victoria eſſe videatur. Hoc Alexandro Macedoni lacrymas extorſit. Hoc Græci omnes, & Latinorum peritiſſimi admiratione proſecuti ſunt. Nunc Taſſi factum cum Homerico committamus. Actio Poëmatis Taſſiani eſt Hieroſolymæ receptio. At non Godofredi, non totius exercitûs viribus ſine Reginaldo recipi potuit. Reginaldo abſente de obſidione ſolvendâ, de reditu in Gallias deliberatur, nedum civitas capi poteſt. Vt redit, inſtaurantur omnia; commeatus exercitui, animus militi, victoria Imperatori acceſſit, urbs ipſa capta eſt. Quid tam alienum ab Homerico Poëmate? Quid tam diſpar? Quid tam à ratione ſeiunctum? Gloriam ſummam, ſolidam, atque unicam Heroï ſuo præripere, & ad alterum deferre, ἀδικώτατον eſt. Torquatum ipſum audiamus cantu XIII. Silva fuerat ab inſigni Mago diris religionibus conſecrata. In eâ lignatio fieri nulla potuit, & debuit tamen. Nam ejus opus erat ad machinas, quibus civitatis muri, & turres verberarentur. Multi nequidquam ſuæ virtutis periculum fecerant, qui cantatæ illius ſilvæ difficultates perrumperent, etiam Tancredus animi præſentiſſimus; exercitum habebat ea curâ, Godofredus ipſe id per ſeſe diſcriminis ſubire meditabatur. En illum his verbis deterret Propheta Petrus, homo divini particeps conſilij, atque adeò falſi minimè patiens.

Laſcia il penſiero audace, altri conviene
Che de le piante ſue la ſelva ſpoglie.

Già

Già, già la fatal nave a l'orme arme
La prua ancôra, e se l'aure vele accoglia.
Già vuote l'ondeggianfiue catene
L'ospitato guerrier dal lido scioglie
Non è lontana homai l'hora prescritta
Che sia presa Sion, l'hoste finnisca.

Audin rem esse arduam magis, quàm ut Godofredo conveniat, quasi fit aliquid supra vires Heroïs ipsius? Audin fata id Reginaldo concedere, & ipso reduce fore, ut Sion capiatur, & debellatum hostis ferrum in coelo; ne dubio sit locus? monet Vigo Godofredum civitatem capi non posse, nisi exercitum debellatum iri, nisi adfit Reginaldus. Ita canta XIV.

Sol che richiama dal lontano ostello
Il Vecchierel de' borchidi, e'n consiglio.
Perche, s'è fatta Provvidenza eterna
Ne l'imperio fermata cristiano,
Destino inclinone, che egli ogni disastro
De suoi consigli allontani lontano:
ed in ultimo parti, a lui concesse
Sion le segnale: tu sei capo, ei mano
Di questo campo, e se sofferse fin ora
ch'imo non pianti, fortia a te non lece.
ed hai fol da troncar non fia difficile
Il Hoste, che già in cenere in fua difesa.
Ei da loro il cenno: ma, che per difetto
De genti inhabili fembra a tanta impresa,
Et par che fia da vittoria astretta,
Prenderà maggior forza à nova impresa,
Et vorà cui man, e dittatura
Sopverrà Tyrrhenia pressura.

Quò spectant illa verba? *A lui fol, etc.* tum *ch'imo non pianti.* Deinde, an id tolerari possit? *Et da loro il cenno tuo: che per difetto de genti inhabili fembra à tanta impresa, & par che fia da vittoria astretta.* Quæ sequuntur etiam odiosa funt magis. Nempe neque fitva illa exstendi, neque languor pelli ab exercitu, neque muri civitatis dirui, neque ulla civitates in Oriente capi possunt, nisi Reginaldi viribus. Exercitus *pelle fia da vittoria astretto.* Id in fuis carminibus inculcat, & obtrudit nobis identidem, ne nos fit Reginaldi caput oblivio

oblivio. Certè inglorij est Imperatoris, id expeditionis suscipere, quod nequeat ad exitum adduci sine uno aliquo singulari homine, præsertim adolescentulo, qualem his versibus prædicat Reginaldum, cantu tertio:

Questi hà nel pregio de la spada eguali
Pochi, ò nessuno, & è fanciullo ancora.

Neque satis purgari potest Torquatus, quòd Godofredum dicat caput exercitûs, quæ pars est nobilissima corporis, cùm manum ibidem pronunciet esse Reginaldum. Tum quia victum & effœtum videtur nobis dare Ducem, qui per se id perficere non possit ad quod aggreditur: tum quia & consilij & armorum gloriâ pares, aut etiam superiores producit cantu tertio.

Nè fra turba si grande huom più guerriero
O più saggio di luy potrei mostrarti:
Sol Raimundo in consiglio, & in battaglia
Sol Rinaldo, e Tancredi a luy s'aggualia.

Accedit Episodia nobilissima, & pulcherrima tribui Reginaldo, & Tancredo, aut aliis Heroïbus. Si quid triste, si quid jejunum; id Godofredo in partem cedit. Pluviam precibus impetrat, supplicationes indicit, fruitur divinis somniis, & alloquio Angelorum. Pontificem putes, non Imperatorem. Si vacuus essem, & per tempus liceret, esset quàm facile ostendere in Episodiis istis, ubi nulla Godofredi mentio est, bene magnam partem Poëmatis occupari. Nam cantus integros solidos, & non paucos suis illis Tancredo, & Reginaldo dicavit. His rationibus putatis Næ potiori jure Reginaldus inscribi debuit illud Poëma, quàm Godofredus.

Parum commodè Torquatum excuset, qui exemplo Homeri illum tegi posse crediderit. Sic enim Iliadem cum Hierosolymâ quidam componunt: ut partes Agamemnonis Godofredus sustineat, Nestoris Raimundus, Achillis Reginaldus, Ajacis Tancredus, Vlyssis Guelpho, Calchantis Petrus Eremita, Armidæ Circe. Parum, inquam, illum juvant. Nam ut ista conveniant, quæ dissident plurimùm; tamen id vitij semper residet; quòd Heros Homericus sit Achilles, cujus est actio tota, quæ celebratur; non Agamemnonis, qui inglorius est apud Homerum. Nequitiâ, & inertiâ nobilitatur Imperator, qui bello illi præficitur

tur, cui gerendo praelatione effe nequit. Tum quid torpius, aut fordius effe poteft ? quam expeditioni unum aliquem e militibus non focium tantùm, & annulum, aut etiam fuparem, fed fuperiorem afciícere, cujus animi magnitudine ea conficiatur felicitas, & quo fine illam turpiter acceíTe fit eius. Tacco Herois praetorium laudem, & vulte adoream in animi fortitudine, & virtute bellica ftam effe. Tacco in unum Reginaldum vix puberem totam Francorum, & exercitus falutem atque gloriam incumbere. Hxc, quae magna funt, miía facio. Homerum, & ejus faftum appellant; fequor: & unde illi me in ipra nomen confertum vocant, inde ibi eos revoco. Agamemnon Dux eft exercitus Graci, & caput: inidem Godofredus Dux eft, & caput exercitus Galli. Peliacus id fane. Ita fane eft: eft, & fcutum exercitus Graci; Reginaldus Franci. Pulchre. Achille abfente caci nequit ftare, Reginaldo abfente nequit caci Herofolyma. Canè. Achille reduce res Crecorum affiftere cxiguntur; Reginaldo reduce res Francorum perdite inftauratur. Mirifici. Achilles Troianorum fortiffimos cadit, & necat; Reginaldus robuftiffimum quemque barbarorum permittit. Nihil fupra. Amo te, quidni pergis? nam belle procedifti. Achilles eft Heros Peiamatis Homerici, Reginaldus Taffiani. Inglorius eft Agamemnon apud Homerum, inglorius eft Godofredus apud Taffum. Hac certe ea illis confici debent, fi quid fapit Philofophia.

At (inquit non nemo) aliter eadem ducrum Herofum effe poteft, cum duo in illam unam conniuntur, veluti Godofredus, & Reginaldus. Nunc mifcret me Homeri, qui de praecepto ifto nihil audivit: pudet Maronis, qui tanto poft nihil fapere didicit, quique ducnec fuo adolefcentem non dedit, quo res fuas tueretur. Iam etiam tradet me Philofophi, qui Actionem Epici carminis unam, & unius Herois effe jufferit. Quid ego hic nuperos homines Italos, Batavos, atque Gallos compellem, qui pricis iifdem fuffragantur.

Te, te (inquam) appello, Torquate, te judicem in hac causa nil nihil reformido. Tuum effo arbitrium, tua poteftas. Quz mens tua fuit quod confilium hoc in Poemate? quid tandem conatus? Audite quotquot ab antiquorum-

ribus defeciſtis :

Canto l'arme pietoſe e'l capitano,
Che'l gran ſepolcro liberò de Chriſto:
Molto egli oprò co'l ſenno, e con la mano, &c.

Quid ais te arma Ducis canere? Vide quid dicas. Cur unius? cur non duorum? Tum ſi unius, cur Godofredi? Enimverò (inquit) id tantùm de me profiteor:

Canto l'arme pietoſe e'l capitano, &c.

Ac meritò quidem id tantùm audet. Nam Homeri,& Virgilij ſecutus exemplum, unius Heroïs actionem unam aggreditur. Bene itaque exorſus eſt Torquatus; ſed ſtudio partium à viâ deflexit.

IX. Nunc verò quis Arioſtum ferat? qui de ſe pollicetur:

Le donne, i Cavalier, l'arme, gli amori
Le Corteſie, l'audaſi impreſi io canto, &c.

Neque Statius vacat culpâ in Achilleïde, qui non unam actionem Heroïs,ſed vitam ejus totam uno Poëmate complecti ſe putavit.

Magnanimum Æacidam, formidatámque Tonantis
Progeniem, & patrio vetitam ſuccedere cœlo
Diva refer. Quanquam acta viri multùm inclyta cantu
Mæonio, ſed plura vacant. Nos ire per omnem
(Sic amor eſt) Heroa velis, Scyrôque latentem
Dulichiâ proferre tubâ, nec in Hectore tracto
Siſtere; ſed totâ juvenem deducere Troiâ.

Atque hîc præterire non licet quorundam hominum, præſertim eorum qui Platonici audire volunt, ineptam planè ſententiam, qui Poëmata omnia Iliadem,Odyſſeam, Æneïdem, Hieroſolymam ad intelligentiam vel facultatum animi, aut vitæ, quæ aſcetica dicitur, trahere non verentur. Hoc habent à ludo ſuo, & præceptore; ut inanibus quibuſdam ludibriis mentes atque animos oblectent.

Cætera, quæ de unitate diſputari poſſunt; ad fabulam magis, quàm ad actionem pertinent; de quibus alterâ hujus libri parte quæſtio ponetur.

QVÆSTIO

QVÆSTIO SEXTA.

ACTIONIS ΟΛΟΤΗΣ & ΤΕΛΕΙΟΤΗΣ explicatur.

I. *Totius definitio.* II. *Initij definitio.* III. *Finis definitio.* IV. *Medij definitio.* V. *Discrimen inter Totum & Perfectum.* VI. *Æneidos Actio tota, & perfecta. Maphæi hallucinatio.* VII. *Odysseæ, & Iliadis Actio tota, & perfecta. Tryphiodori, & Calabri conatus inanes.*

I. PHilosophus capite VII. Poët. quid sit Totum, his verbis definit: Ὅλον δ' ἐστὶ τὸ ἔχον ἀρχὴν, καὶ μέσον, καὶ τελευτήν. Id est, Totum est illud, quod initio, medio, & fine constat. Nunc quid rei est? cur Riccobonus animum minimè advertit ad illa verba, quæ Aristoteles præmiserat, ἔστι γὰρ ὅλον, καὶ μηδὲν ἔχον μέγεθος: ut illorum non meminerit. *Est enim aliquod totum, quod caret magnitudine.* Atqui eò illud Philosophi dictum pertinet; ut eximias ostenderet intelligentias ἀπὸ τῆς ὁλότητος illius, sive à definitione totius, quam mox erat adducturus. Nam in his neque initium, neque medium, neque finis aut est, aut fingi potest. Nequidquam etiam se animi cruciat Benius, quî hæc definitio circulo, globóve, aut orbi congruere possit; hujus enim rei, & difficultatis prudens Aristoteles illi rectè consuluit; cùm addidit in definitione initij, τὸ εἶναι, ἢ γίνεσθαι. Nam τὸ εἶναι conveniet, si res quanta sit extra orbem; γίνεσθαι, si cum orbe. Etsi enim in orbe nusquam principium, & finis sit, ubique tamen principium & finis à vi & potestate rationis fieri potest; quæ res in intelligentias non cadit. Cùm enim molis expertes sint, non est cur in illis initium, medium, & finis esse fingatur.

II. Initium definit eodem capite. Ἀρχὴ δέ ἐστι ὃ αὐτὸ μὲν ἐξ ἀνάγκης μὴ μετὰ ἄλλο ἐστὶ, μετὰ δ' ἐκεῖνο ἕτερον πέφυκεν εἶναι, ἢ γίνεσθαι. Id est, *Principium est res ipsa, quæ ex necessitate post aliud quippiam non est; at post ipsam aliud quippiam ex rei naturâ aut est, aut fit.* Paccij versio est. *Principium illud esse dicimus, quod non necessariò post aliud est, contra posterius aliquod esse, vel fieri natum est.* Contaminat, & labefacit sententiam hæc

tralatio. Nam ex Paccianâ verſione conficitur, ut principium poſſit eſſe poſt aliud. At cùm ex verbis Ariſtotelis principium ita ſit, ut neceſſariò non ſit poſt aliud. Poſteriorem iſtam partem nihilo meliùs Riccobonus vertit. Ait enim. Poſt illud autem aliud eſſe contingit; quaſi hæc cum iſtis conveniant, μετὰ δ' ἐκεῖνο ἕτερον πέφυκεν εἶναι, ἢ γίνεσθαι. Sed in iſtis interpretationibus diutiùs morari non licet. Ad rem redeo. Schola noſtra bene, & ad mentem Ariſtotelis ſic definit initium rei quantæ; Eſt ipſa res quanta, quatenus non extenditur in anteriora. Atque hæc definitio in utramque quantitatem continuam, & diſcretam quadrat.

III. Finem ſic definit Ariſtoteles. Τελευτὴ δ' τοιοῦτον, ὃ αὐτὸ μετ' ἄλλο πέφυκεν εἶναι, ἢ ἐξ ἀνάγκης, ἢ ὡς ἐπιπολύ. Μετὰ δ' τοῦτο, οὐδὲν ἄλλο. Id eſt, *Finis contrariam ſortitur definitionem, quippe eſt res ipſa, cui præeſt aliquid, aut ex neceſſitate, aut ut plurimùm; & quam ponè ſequitur nihil.* Rectè monet hic Robortellus τὸ ἐπιπολὺ additum eſſe cauſæ finalis gratiâ, in iis quæ agunt ex intelligentiâ.

IV. Medij definitio hæc eſt. Μέσον δ' ὃ αὐτὸ μετὰ ἄλλο, καὶ μετ' ἐκεῖνο ἕτερον. Medium eſt, quod poſt aliud eſt; & poſt ipſum eſt alterum quiddam.

V. Quantum Toti præſtet, id quod perfectum dicitur, Philoſophus docet. Nam ea res, cui nulla pars deeſt, tota eſt; etſi ejus partes malè inter ſe cohæreant, & ἀσύστατοι fuerint. At perfectum id dicitur, ut vox latina indicat, quod ultimam manum recepit, & rei eſt non rudis adumbratio aliqua, & conatus; ſed perfectio ipſa, & abſolutio. Quare ſapienter, & egregiè Ariſtoteles hic cavet. Δεῖ ἄρα τοὺς συνεστῶτας εὖ μύθους, μήθ' ὁπόθεν ἔτυχεν ἄρχεσθαι, μήθ' ὅπου ἔτυχε τελευτᾶν· ἀλλὰ χρῆσθαι τοῖς εἰρημένοις ἰδέαις. Id eſt, *Neceſſe eſt igitur Poëtam, qui fabulam rectè conſtituere velit, neque temerè eam incipere, aut temerè finire; ſed formis traditis inſiſtere.*

Hic meminiſſe oportet, à nobis de actione, non fabulâ diſputari; & ideò de ordine, qui totus ad fabulam pertinet, & in quo pulchritudo ſita eſt, nunc temporis verba nulla fieri. Id Ariſtoteles cap. iſto VII. ut ſenſit rectè, ita & monuit. Nam in Pulchro duo eſſe pronunciat, magnitudinem, & ordinem. Τὸ γὰρ καλὸν ἐν μεγέθει, καὶ τάξει ἐστίν. Magnitudo juſta non eſt, ſi tota non ſit: & eo quidem de toto

to hic diſputat; de magnitudine, & pulchritudine ſubinde.

VI. Quæ definitiones cùm ita ſe habeant, edictum eſt à Philoſopho tum alibi quidem, ſed imprimis cap. XXIII. actionem Epicam debere eſſe totam & perfectam. Audio dubitari etiam à viris, qui iſtarum rerum periti habentur, utrùm Virgilij & Homeri Poëmata iſta laude floruerint. Nam & Maphæus Æneïdi, & Iliadi Tryphiodorus, aut Quintus Calaber ſupplementum inſtituerunt facere.

De Æneïde ut primùm dicam; taceo id, quod nemini obſcurum eſt, mortem invidiſſe Æneïdi ultimum conatum. Multos verſus tibicinum inſtar ſuppoſitos, qui adductis columnis marmoreis ſummoverentur, apud Donatum Virgilius præ ſe tulit.

Id quæro, Sítne Æneïs Poëma mancum, & aliquâ parte ſui captum; quam reciperet, ſi Virgilio ævi longioris data fuiſſet copia.

Quid ſibi cum Maphæo Vegio volunt quidam? Iſti ſibi videntur idonei, qui ad Æneïdem addant dolorem Rutulorum, Dauni flectum de morte filij, nuptias Laviniæ, & Æneæ ἀποθέωσιν.

Quantum ad ἀποθέωσιν illam pertinet; eam eruditè, magnificè atque ut Poëtam decuit, ſuo loco Virgilius cecinit. Iupiter enim Venerem his verbis alloquitur lib. I. *Parce metu Cytherea*; & inter cætera, quæ pollicetur plurima:

Sublimémque feres ad ſidera cæli
Magnanimum Æneam.

Et libro XII. Iunoni idem revocat in mentem.

Quæ jam finis erit conjux? quid denique reſtat?
Indigetem Æneam ſcis ipſa, & ſcire fateris
Deberi cælo, fatiſque ad ſidera tolli.

Dolor verò Rutulorum, lacrymæ Dauni uſque adeò cum morte Turni conjuncta ſunt, & nuptiæ Laviniæ cum victoriâ; ut nemo homo ſit tam parum intelligens, quem hoc prætereat; præſertim cùm monitorem habeat Virgilium, qui identidem id repetit. Turnus ipſe XII. Æneïdos:

Noſtro dirimatur ſanguine bellum.
Illo quæratur conjux Lavinia campo.

Æneidem integram, & perfectam exiſtere hæc fidem faciunt. Epopœiam neceſſe eſt eam eſſe totam, & integram; quæ actionem totam, & integram explicat. Cùm enim fa-

bula ſit conſtitutio actionis vnius, integræ, atque perfectæ; ea certè fabula erit integra, quæ actionem integram complectetur. At Virgilius actionem Æneïdi ſubjectam evolvit totam uſque ad finem. Eſt enim actio Æneïdis ejuſmodi. Quidam incensâ ab hoſtibus patriâ cum aliquot popularibus, eam in regionem cogitat, è quâ oriundi erant majores ejus. Poſt multos terrâ marique exhauſtos labores, tandem eò pervenit. Accipitur amicè à Dynaſtâ loci, & in generum aſciſcitur. Ægrè id tulit vicini cujuſdam regis filius, qui jamdudum nuptias illas ambibat. Grave inter rivales bellum oritur, pugnatum eſt ſæpè, & atrociter. Victor tandem extorris ille, virgine, & regno potitus eſt. Reliqua ſunt in Epiſodiis.

Quæ pars Actionis hujus in Æneïde deficit? quæ deſideratur?

De Odyſſeâ nemo, quem quidem ego audiverim, dubium fecit. Quare nihil eſt, cur operam hîc ponamus.

VII. Iliadem Quintus Smyrnæus ſeu Calaber, & Tryphiodorus aut inperfectam putaverunt, aut occaſionem dedêre, cur id putaſſe crederentur.

Iliadis argumentum, ſeu Actio, eſt hæc. Vir Princeps fortitudine eximiâ ab Imperatore citra dignitatem habitus, bello & armis abſtinuit: quo abſente, copiæ Imperatoris ab hoſtibus accidebantur. At ille neque amicorum precibus; neque adeò ipſius Imperatoris præmiis molliri, aut flecti potuit. Illi erat ſummus quidam amicus, qui in prælio ab hoſtium duce cecidit. Amici nece is graviter commotus eſt, atque eâ causâ cum Imperatore in gratiam rediit, & hoſtes adortus illos graviter obtrivit, atque hoſtium ducem, quo uno nitebatur illorum ſalus, occidit.

En Iliados actionem. Quam partem intactam reliquit Homerus, quam eleganter, & magnificè non tractarit?

Nunc Tryphiodore ἅλωσιν, aut Quinto τὰ παραλειπόμενα nihil invidemus; At partes eſſe, quæ in Iliade deſiderari poſſint, hoc negamus. Quid? Ilij excidium non cecinit Homerus. At id non eſt aggreſſus, non eſt conatus. En quid profitetur.

Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος, &c.

Totam illam propoſitionem expende, nihil hic pollicetur de Ilij excidio, illud in ſe non recipit: quanquam ne id quidem

quidem omnino omisit. Nam cæso Hectore Troja stare non potuit.

De istâ controversiâ vide quæ infra disputantur, quæstione ultimâ. Occasione enim actionis illustris iterum quæremus περὶ τὸ ὁλόκληρος. Propterea quòd, quæ manca est actio, non satis illustris est ad Epopœiam.

QVÆSTIO SEPTMA.

De Magnitudine Actionis.

I. *Magnitudo Epopœiæ tripliciter potest considerari.* II. *Magnitudo versuum in Epopœiâ quanta, & quòt Tragœdias æquare possit.* III. *Magnitudo Fabulæ Tragicæ.* IV. *Magnitudo Fabulæ Epicæ. Quæ vegrandia, aut parva sunt, pulchra esse nequeunt. Quid pulchritudo.* V. *Magnitudo Fabulæ, neque ex auditorum libidine, neque contentione, sed inclinatione rerum naturali.* VI. *Magnitudo actionis primariæ quanta esse possit.* VII. *Actio Odysseæ est dierum tantùm* lv.

I. TVrbæ hîc plurimum est, & tumultûs; neque ex iis nullo negotio se expedire licet. Enitendum tamen est, utì non modò nos, sed etiam alios liberemus.

Magnitudo Epopœiæ aut est κατὰ τὸ πρᾶγμα, id est, *secundùm Actionem*: vel κατὰ τὸ ποσόν, id est, *secundùm quantitatem.* Hæc ad magnitudinem, & numerum metri pertinet: Illa est Actionis vel nudæ; vel suis exaggeratæ, & auctæ Episodiis quædam granditas. De singulis instituenda erit quæstio.

II. Ac primò quidem de magnitudine carminis Philosophus cap. xxiv. disertè docet, Epopœiam magnitudine supparem esse illis Tragœdiis, quæ in agonibus unâ audientiâ exciperentur; breviorem tamen esse debere iis Epopœis, quæ ab antiquis celebratæ essent: quo præcepto id confici putavit; Epopœiæ utì finis, & medium, atque initium in unum conspectum venirent, quæ est magnitudinis ratio legitima. Verba Aristotelis sunt: Διαφέρει δ' κατά τι ἡ συστάσεως τὸ μῆκος ἡ ἐποποιία, καὶ τὸ μέτρον· τὸ μὲν οὖν μήκους ὅρος ἱκανὸς ὁ εἰρημένος, δύνασθαι γὰρ δεῖ συνορᾶσθαι τήν τε ἀρχὴν, καὶ τὸ τέλος. Εἴη δ' ἂν τοῦτο εἰ τὰ μὲν ἀρχαίων ἐλάττους αἱ συστάσεις

συστάσεως

συγκάσας εἶεν, πρός τε τὸ πλῆθος τ̃ τραγῳδιῶν, τ̃ εἰς μίαν ἀκρόασιν πθεμιῶν περιέχοιεν.

Edicto illi lux erit à more antiquorum. Priſcis cùm apud Græcos, tum apud Romanos non licuit Rhetoribus niſi præfinitò loqui. Lege Pomp. Romæ Actori horæ duæ, Reo tres dabantur. In ludis verò publicis, Tragico Poëtæ, cùm ſui periculum faceret, & cum aliis certaret, tempus ad Clepſydram dari in more fuiſſe apud Græcos, auctor eſt Philoſophus cap. ſeptimo, πρὸς Κλεψύδρας ἠγωνίζοντο. Quot verò Tragœdiæ unâ auditione excipi *poſſent*, certè mihi non liquet. Ait quidem Ariſtoteles cap. XIV. πρὸς τὸ πλῆθος τ̃ τραγῳδιῶν, ad multitudinem Tragœdiarum accedere. Multitudo autem apud Græcos à numero ternario incipit, quibus duæ res multæ non ſunt. Octo vel novem Tragœdias numero verſuum æquare poteſt una Epopœia; ab experientiâ ſuaderi poteſt. Hecuba verbi causâ apud Euripidem eſt verſuum plus, minúsve trecentorum ſupra mille. Odyſſea verò circiter, ſupra duodecies *mille*: ex quo conficitur illam ab hac octies, & eò ampliùs comprehendi.

Alia Ariſtotelis edicta de magnitudine ſunt. Ne memoriæ vitium offerat. Tum utì conſpectum unum ſubire poſſit. At neutrum ad magnitudinem carminis facit. Quis enim in lectore tantum memoriæ deſideret, quantum ad omnes Epopœiæ verſus memoriâ tenendos ſatis ſit? Neque etiam uno proſpectu omnes verſus, ſed res verſibus incluſæ videndæ ſunt. Reprehendit verò Philoſophus περιοδείας antiquos, ut quidem ego conjicio, qui Theſeïdas & Heracleïdas ſcripſiſſent. Hîc Benius ferri non poteſt, qui Iliadem, & Odyſſeam ab Ariſtotele hoc loco notari vult. Fidem facere ſibi nititur, & à Proverbio; quo, ſi quid odiosè longum fuerit, dicitur μακρότερον τ̃ς Ἰλιάδος; & ab Ariſtotele, qui Odyſſeam dixerit eſſe longum ſermonem. De Odyſſeâ purgavimus locum illum; μακρὸς enim λόγος dictus eſt, non μακρός; de Proverbio verò, neque illud eſt ab Ariſtotele, & de toto bello ad Ilium dicitur. At ſuavis eſt, qui dicat Torquatum brevioribus coagmentaſſe Poëma ſuum verſibus, quàm ſit Æneïs, Odyſſea, vel Ilias. En Æneis eſt verſuum 9855. Odyſſea 12300. aut circiter; at Hieruſalem liberata, eſt 13088. Hæc de metri magnitudine diſputata ſint.

De

De magnitudine Epopœiæ κατὰ τὸ πρᾶγμα cum Episodiis; hoc est, de magnitudine fabulæ instructæ, & ornatæ; quantum scilicet temporis fabula sibi postulet, nobis quærendum est.

III. De Tragicis meritus est sanè quàm optimè Aristoteles, qui cap. v. concedit Tragœdiæ unam Solis conversionem, aut eò ampliùs aliquantùm, minúsve. Η μὲν (τραγωδία) ὅτι μάλιστα πειρᾶται ὑπὸ μίαν περίοδον ἡλίου εἶναι, ἢ μικρὸν ἐξαλλάττειν. Vtinam esset, de Epopœiæ nostræ magnitudine uti nos ita certos reddidisset. Nunc rem impeditissimam nobis reliquit, cui priusquam animum applicem, scrupulus eximendus est quibusdam de Tragœdiâ injectus. Audio enim aliquos in eo maximè altercari, quæ sit verborum Aristotelis mens, quæ potestas vocum ejusmodi, ὑπὸ μίαν περίοδον. Pugnant enim quidam significationem illis subjectam esse; ut diem τεχνικὸν, id est, lucem ortu solis, & ejus occasu definitam desideret Philosophus, non diem φυσικὸν, sive spatium viginti quatuor horarum; quo, conversione factâ, ad idem punctum sol redit. Cum iis facit Robortellus, qui de se profitetur sic: *Putarim tamen ego* (inquit) *ab Aristotele intelligi artificialem, quia cùm Tragœdia sit imitatio unius actionis, quæ quàm primùm perducitur ad exitum, neque Poëta quidquam suæ narrationis intermisceat: quod in Epopœiâ longissimo Poëmate fit, & ad spectatores tota ejus referatur imitatio; maximè æquum est, ut actionis sit, quæ uno die videatur absoluta; noctu enim homines quiescunt, indulgéntque somno, nec quidquam agunt.* Profert deinde in exemplum Oedipodem Sophoclis, & concludit tandem. *Quod verò de Tragœdiâ dicit, id etiam ad Comœdiam omnino referendum. Nam non longiore spatio suam imitationem conficit Comœdia, quàm Tragœdia.* Pace illius dixerim, mentem Philosophi non intravit. Aristoteles abstinuit ab istâ voce ἡμέρας, vulgo receptâ, & populari; quia ancipitis erat potestatis, & ad definitionem diei Physici adjunxit animum. Quorsum hoc? certè quò vitaret diem τεχνικὸν, & Physicum assereret; & eò magis id suadetur, quòd homo verborum parcus, & in dictione religiosus, definitionem diei accuraverit, qui μίαν περίοδον ἡλίου dixerit. Tum Robortelli ratio est infirma: *Quia homines noctu neque loquuntur inter se, neque quippiam agunt.* Apud quos tandem hæc loquitur? Multam

etiam

etiam Robortellus deinde dat operam, quî in Sophoclis Oedipode diem πηχυὸν ſcrutetur, & demonſtret. At, quid tum? non ij ſumus, qui negemus intra lucem unam, Tragœdiæ actionem contineri poſſe: ſed nobis auctoribus poteſt illa ad viginti quatuor horas tantùm produci: veluti ab inclinante die unâ incipere, & ſequenti peragi. En in Heautontimoroumeno Terentij, duo primi actus ſunt unius diei; tres ultimi ad alterum diem pertinent. Si tamen norat, quid ſcriberet Terentius, apud quem Syrus ſic Chremetem alloquitur. *Equidem te demiror, Chreme, tam mane, qui herè tamùm biberis.* At non Servus ſolũ, verum etiam herus ipſe Chremes actu III. Scenâ itidem III. His verbis filium increpat: *Vel herè in vino quàm immoderatus fuiſti.* Atqui ſi quid ſapimus, heri & hodie non cadunt in unum diem. Hæc qui vituperant, *cælum vituperant, ut ſapere videantur.* At, inquit is, qui nominari refugit. Tu doces Comœdiam illam duobus diebus comprehendi? Miratus ſum potuiſſe alicui eam mentem de me oriri, qui tam ſanctè & religiosè contrarium caveram. At, quæcunque in eâ Comœdiâ peracta ſunt, nocte peracta ſunt. Itáne verò & Bacchis voluptaria meretrix, & Antiphila ſcortillum, & tota illa pompa muliebris, immò & ipſa ſoſtrata matrona, omnes benè potæ, & ad multam noctem; ante lucem ſurgunt omnes, & plateas urbis obambulant? Credo, ut eſſet qui homini poſt M. DC. LVII. annos laboranti opitularetur. At Dionyſia celebrabant, nocturna ſcilicet feſta. Papæ religioſos Mœchos & Mœchas. Vnde tam repentè iſta Religio illos & illas inceſſit. Qui, vel nocte totâ vigilarent pluſculum poti, aut de nocte ſurgerent, ne Dionyſio doleret.

IV. Ad noſtram Epopœiam revocetur oratio. Vt quid certi conſtitui queat, diligens cautio ſit, de qua jam monuimus, atque tertiò alterâ hujus libri parte monebimus, actionem à conſtitutione fabulæ diſtingui. Nam illa nobis appellata eſt materia Epopœiæ, cui inducitur fabula, ſive ornatus totius Poëmatis. Quare duplex erit magnitudo præter illam quæ metris convenit; altera quidem, quæ actioni illi, ſive materiæ congruit; altera, quæ in fabulam conſtitutam cadit; illa minor, hæc longè major. Ab exemplo lux erit.

Exemplum

Exemplum utriuſque magnitudinis, fabulæ ſcilicet conſtitutæ, & actionis. Fabulæ conſtitutæ partes in Odyſſeâ ſunt actiones iſtæ ſecundariæ; ab expugnato Ilio bellum cum Ciconibus; Polyphemi antrum; Æoli Regia, & beneficium; Leſtrigonum ſævitia; Circes vis magica; deſcenſus ad Inferos; Sirenum cantus; Scylla, & Charybdis; naufragium quo ſocios amiſit, & his affines, atque cognatæ actiones, quæ ſunt Epiſodia, fabulæ prima ornamenta.

Actio verò primaria, cui inducitur ille ornatus, eſt Navigatio à Calypſo in Ithacam, Procorum nex, & pax cum Ithacenſibus.

Si quæritur καθόλου & generatim magnitudo fabulæ coagmentatæ ex ſuis Epiſodiis, id certum eſt, eam nullo certo tempore definiri poſſe. Diſertè id docuit Ariſtoteles: nam cùm diem unum tribuiſſet Tragœdiæ, de Epopœiâ dixit. Ἡ δ' ἐποποιϊα ἀόριστος τῷ χρόνῳ τοῦτῳ διαφέρῃ· *Epopœia verò nullo certo finitur tempore, atque eo diſcrepat à Tragœdiâ.* Hoc præceptum non cadit in magnitudinem verſuum, ſed fabulæ ornatæ, quod res ipſa loquitur. Et quidem nullo comprehendi certo tempore ornatum fabulæ, Poëtarum omnium Epicorum demonſtrant exempla. Odyſſea ſupra XIX. annorum res geſtas; Ilias novem, Æneïs octo & eo ampliùs continet. Nam cùm in Africam Æneas venit, ſeptem erant anni ab excidio Trojano: monet enim Dido in fine lib. primi.

Nam te ſeptima portat
Omnibus errantem terris, & fluctibus æſtas.

Quid? ille ornatus fabulæ præter eas, quæ antecedunt actiones; etiam eas quæ longè in futurum tempus retrocedunt, recipit. Quantùm amabo temporis, & annorum fluxit ab Æneâ ad Auguſtum? Quidquid interjectum eſt, id Æneïs quâ VI. quâ VIII. libro complectitur. Quantùm Hector à Carolo IX. Francorum rege diſtat? Id tempus Francias Ronſardi comprehendit. Quare bene pronunciat Ariſtoteles Epopœiam eſſe ἀόριστον τῷ χρόνῳ, ſi habetur ratio fabulæ ornatæ.

Turgebit (inquis) & excreſcet turpiter fabulæ conſtitutio, quales ſunt, qui Amadiſiorum Romaniſci appellantur. Minimè gentium. Cavet enim Ariſtoteles cap. VII. de Epopœiæ magnitudine; & comparatione cum animali

factâ, illam constituit. Animal, inquit, perparvum, bellulum esse potest, pulchrum esse non potest; quando pulchritudinis duæ sunt laudes, ordo partium, & magnitudo. Quæ exilia sunt, & exigua; animum, & oculos sui parvitate differunt, & confundunt. Neque etiam animal florebit pulchritudine, quod erit παμμέγεθες, vægrande, & immensum, quódque, ut loquitur hic Philosophus, ad sexcenta stadia se protenderet. Spargeret enim visum, & ægrè possent colligi partes illius, atque inter se comparari. Careret itaque pulchritudine, quæ ex partium inter se comparatione oritur. Tum (inquit) in rem aliquam oculos, & animum qui intendit, εἰς τὸ ἓν, & ὅλον convertitur. Id igitur ratum esto; ut neque illa fabulæ constitutio parvitate suâ confundat aciem animi, neque vastitate fugiat intuitum, & memoriam obruat. Verba Aristotelis sunt: Επ δ' ἐπεὶ τὸ καλὸν & ζῶον, & ἅπαν πρᾶγμα, ὃ συνέστηκεν ἔκ τινων, ἢ μόνον ταῦτα τεταγμένα δεῖ ἔχειν, ἀλλὰ & μέγεθος ὑπάρχειν μὴ τὸ τυχόν, &c. Ista comparatio ab animante ducta non Aristotelis est unius, sed etiam Platonis, qui hæc in verba in Phædro loquitur: Αλλὰ τό δέ γε ἄμαί σε φάναι ἀὼ, δεῖν πάντα λόγον ὥσπερ ζῶον συνεστάναι, &c. Tum & illud dictum de pulchritudine, nam in Symposio definit pulchritudinem esse συμμετρίαν: Symmetria verò, & proportio μεγέθους, & τάξεως opus est. Ex eâ comparatione duo confici videntur: alterum, quòd neque brevior, aut contracta plus æquo sit fabula, neque grandior, & longior sit justo. At quanta sit, accuratè non docetur. Quòd si quis odiosè id quærat, meminerit verbi Aristotelici, qui Moralium initio pronunciat eum esse ἀπαίδευτον, qui requirat in re morali, & politicâ exquisitam illam disputandi rationem, quæ rem ἀποδείξει conficit. Alterum, quod ex comparatione illâ conficitur, est; quòd quemadmodum in animali singulæ partes alicujus sunt magnitudinis, quæ cum aliis comparatæ unum animal oculis subjiciunt; ita in Epopœiâ partes eâ sint magnitudine, quæ spectaculum pulchrum sine memoriæ incommodo proponant.

V. Quanquam Philosophus monet, justam illam magnitudinem neque petendam esse ex libidine vulgi, quod sensu, & voluptate metitur omnia; neque etiam ex longitudine temporis, quæ in ludis, & agonibus, ad clepsydram

Poëtis

Poëtis dabatur. Non (inquit) petenda eſt ex libidine eorum, qui voluptati omnia indulgent,voluptate quippe corrumpitur judicium: neque ex imperio eorum , qui præſunt ludis:nam omnibus fabulis idem tempus dare iniquum eſt; cùm aliis alia plus temporis ſibi poſtulent , τῶ δ' μήκους ὅρος πρὸς μὲν τὴν, &c. eodem capite.

Definit itaque juſtam illam magnitudinem peti debere ex commodo,& naturali tranſitu unius fortunæ in alteram, ἢ κατὰ τὸ εἰκὸς, ἢ ἀναγκαῖον. Verba ſunt: Ὡς δ' τὸ ἁπλῶς,&c.

Poſtremò, monet eam fabulam eſſe perfectiſſimam,quæ intra naturæ modum ſit maxima. Hæc de Tragœdiâ præcepta ſunt; quæ tamen ad Epopœiam traducit capite XXIV.

VI. Nunc quidem de magnitudine actionis hæc eadem propemodum conſtitui videntur ; ſecùs tamen eſt. Nam neque memoriæ ſublatis Epiſodiis ullum ſit periculum , in actione verò Epiſodia nulla ſunt. Neque in illâ peripetiæ & agnitiones continentur; quamobrem ejus magnitudini nihil officiunt.

Etſi tempus actionis accuratè definiri non poſſit;tamen quemadmodum unius diei ſpatium debetur Tragœdiæ:ita Epopœiæ annus, & non admodum ampliùs tribui poteſt. Iliadi annum conceſſit Poëta Græcus ; Æneïdi menſes IV. ſupra annum; aut circiter Virgilius, quanquam difficile eſt in Æneïde id decidere.

VII. In Odyſſeam placuit inquirere. Illi dies duntaxat quinquaginta quinque addicti ſunt , qui ſic putantur.

Viginti poſiti ſunt in nave compingendâ poſt legationem Mercurij. Ita Homerus canit lib. V.

Εἴκοσι δ' ἔκβαλε πάντα, πολύκριστεν δ' ἄρα χαλκῷ.

Id eſt , *viginti* (diebus) *omnia ligna dejecit, atque dolavit ferro,* & cætera , quæ fuſiùs proſequitur.

Quatuor dati ſunt dies velis aptandis , eodem libro.

Τέτρατον ἦμαρ ἔην , καὶ τῷ τετέλεστο ἅπαντα.

Τῷ δ' ἄρα πέμπτῳ πέμψε ἀπὸ νήσου δῖα Καλυψώ.

Id eſt, *Quartus dies aderat, & ei perfecta ſunt omnia.*

Quinto verò dimiſit eum ab Inſulâ divina Calypſo.

Octodecim dies navigat proſperè Vlyſſes uſque ad Scheriam Phæacum regionem. Ita ipſe profitetur lib. VII. oratione ad Aretem.

Ἑπταικαιδεκάτῃ μὲν πλόον ἤματα ποντοπορίων

Ογδωκαιδεκάτη δ' ἐφάνη ὄρεα σκιόεντα
Γαίης ἠμετέρης.

Id eſt, *Septemdecim navigabam dies per mare, decimâ verò octavâ die apparuêre montes umbroſi terræ veſtræ.*

Neque tamen octavâ illâ ſupra decimam die terræ appulit; nam duos dies malâ uſus tempeſtate tandem naufragium fecit. Quod liquet, quia duos illos verſus jam laudatos iterum repetit, quibus addit deſcriptionem tempeſtatis à Neptuno immiſſæ; duos itaque dies vexatus eſt adversâ tempeſtate, quibus fractâ naviculâ in tabulâ enatavit. Sic Poëta lib. v.

Ἔνθα δύω νύκτας, δύο δ' ἤματα κύμαλι πηγῷ
Πλάζετο, πολλὰ δὲ οἱ κραδίη προπάροιθε ὄλεθρον.
Hinc duas noctes, & duos dies in fluctu nigro
Errabat; ſæpè ei cor proponebat mortem.

Atque ita ſurgunt xx. dies, quibus Iupiter initio libri quinti edixerat, ut Scheriæ applicaret.

Αλλ' ὅ γ' ἐπὶ σχεδίης πολυδέσμου πήματα πασχων
Ηματι δ' εἰκοστῷ Σχερίλω ἐρίβωλον ἵκοιτο.

Id eſt, *Sed ipſe in rate colligatâ dolores patiens*
Die vigeſimâ in Scheriam glebоſam perveniat.

Manſit autem apud Alcinoüm dies IV. Primus dies conſtat libro ſexto in fine.

Δύσετο δ' ἠέλιος, καὶ τὶ κλυτὸν ἄλσος ἵκοντο
Ιρον Αθηναίης.
Occidit autem ſol, & illi inclytum nemus pervenerunt
Sacrum Minervæ.

Alter dies incipit cum lib. VIII.

Ημος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλος ἠώς.
Quando verò mane genita apparuit roſeis digitis aurora.

Tertius dies lib. XIII.

Δύσετο δ' ἠέλιος, καὶ τῷ κλυτὰ δῶρα πάρησαν.
Occubuit verò ſol, & illi inclyta dona aderant.

Atque nocte illâ Vlyſſes ſuper menſam narrat varias peregrinationes, & caſus quibus jactatus eſt. Incipit narratio lib. VIII. ad initium XIII.

Ως ἔφατ' Αλκίνοος, τοῖσιν δ' ἐπιῴδμε μῦθος,
Οἱ μὰλ' κακκείοντες ἔδυ οἶκονδε ἕκαστος.
Ημος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλος ἠώς.
Sic locutus eſt Alcinoüs, & illis placuit ſermo;

Ipſe

Ipſi quidem dormituri abiêre domum unuſquiſque.
Quando autem mane genita apparuit roſeis digitis aurora.

Sequenti nocte navigavit, & in Ithacam ſummo mane appulit lib. decimo tertio. Ad Eumæum divertit eodem die, initio libri decimi quarti.

Apud Eumæum tres poſuit dies: ut Eumæus ipſe teſtatur lib. XVII. his verbis.

Τρεῖς γὰρ δή μοι νύκτας ἔχων, τρία δ' ἤματα ἔρυξα
Ἐν' κλισίῃ, &c.
Tres enim illum noctes habens, & tres dies detinui in ſtabulo.

Tres dies domi ſuæ fuit perſonatus. Primo die habitu mendici procos obſervat, & ille dies continet libros XVII. XVIII. & XIX. Secundus dies incipit ſub initium libri XX. quo procis inſidias facit, & quis ipſe ſit, Penelopem edocet. Incipit autem dies iſte ſecundus, his verbis:

Ὡς ἔφατ', αὐτίκα δ' χρυσόθρονος ἦλυθεν ἠώς.
Vt locuta eſt, ſtatim aureæ ſellæ inſidens venit aurora.

Tertio die interficit procos in convivio.

Quarto die, qui incipit ſub finem libri XXIII.

Exièrunt (inquit) *armati ex urbe in agrum ad Laërtem.* Ἤδη μὲν φάος ἦεν ἐπὶ χθόνα. *Et jam lux erat ſuper terram.* Vltimo illo die, & libro continetur tumultus Ithacenſium, & qui Pallas pacem conſtituerit.

SVMMA.

In nave compingendâ dies	XX
In velis aptandis dies	IV
In Navigatione proſperâ à Calypſo,	XVIII
In naufragio,	II
Apud Alcinoum,	IV
Apud Eumæum,	XII
Domi,	XII
Apud Laërtem patrem,	I.
Omnes,	IV.

Id temporis per tranſennam à me notatum eſt; cui plus otij ſuppetet, accurabit, & ſubducet diligentiùs temporis illius rationes.

QVÆSTIO VLTIMA
Partis primæ.

I. *Actio carmini Epico ſubjecta debet eſſe illuſtris.* II. *Heros Epici carminis præſtantior debet eſſe iis hominibus, qui Poëtæ coævi ſunt.* III. *Fœminæ actio poteſt eſſe materia Tragœdiæ.* IV. *Vtrùm fœminæ actio poſſit eſſe materia Epopœiæ.* V. *Vtrùm fœminæ virtutibus heroïcis præditæ poſſint eſſe.* VI. *Vtrùm conatus licèt fortis, ſi exeat infeliciter, ſit ſatis illuſtris, ut Epopœiæ ſerviat.*

I. OPortere illuſtrem eſſe actionem, cui ornandæ ſerviat Epopœia, is unus minimè omnium ignorat, quicum Ariſtoteli ſit familiaritas aliqua. Illo monitore, & Poëſis imitatione continetur, & imitatio omnis eſt eorum hominum, qui nobis de morum dignitate vel concedunt, vel præſtant, vel etiam ſunt pares. A picturæ exemplo ipſe ſibi fidem, & ſententiæ ſuæ lucem conciliat. Nam ut Polygnotus præſtantiores, Pauſo deteriores, & Dionyſius æquales ſuis coloribus pingebant; ita ab Homero meliores, ab Hegemone pejores, à Cleophonte ſimiles verſibus adumbrati ſunt. Οἷον Ὁμηρος μὲν βελτίους, Κλεοφῶν δ' ὁμοίους, Ηγήμων ὁ Θάσιος, ὁ τὰς παρῳδίας ποιήσας πρῶτος, & Νικόχαρις ὁ τὴν Δηλιάδα, χείρους, &c. cap. altero.

Deinde cap. IV. ubi diſputavit uberiùs, quibus initiis orta ſit Poëſis, & quæ ſubinde ceperit incrementa; tum illam pro vario Poëtarum ingenio multiplicem facit; nam (inquit) cùm nobis à naturâ inſita ſit ea vis, quæ in imitatione poſita eſt; initio, qui plurimùm illâ valebant, paulatim per difficiles, atque adeò rudes conatus Poëſim enitebantur; quam demum politiſſimâ emendatam arte, in lucem edidêre. Οἱ μὲν σεμνότεροι τὰς καλὰς ἐμιμοῦντο πράξεις, & τὰς τοιούτων τύχας. Οἱ δ' εὐτελέστεροι τὰς τῶν φαύλων. Id eſt, Ex Poëtis, qui auguſtæ, & erectæ erant indolis, generoſas clarorum virorum actiones, & fortunas imitatione conabantur: qui verò ingenio erant humili, humilium hominum actionibus animum intendebant. Poſt illa docet cap. V. Epopœiæ cum Tragœdiâ præclarè convenire, quòd utraque ſit imitatio illuſtrium, aut actionum, aut virorum.

Sitne

Sitne Epopœia in imitatione hominum, aut actionum posita, disputatum est quæst. IV.

Nunc vocetur in controversiam, quæ sit vis, & potestas huic voci σπουδαῖος subjecta. Aristoteles actionem nunc καλὴν, nunc σπουδαίαν celebrat; homines itidem, quorum actiones illæ sunt, appellat aliquando σπουδαίους, aliquando βελτίους. Vertunt Interpretum alij actiones, sive homines bonos, alij honestos, serios quidam, graves nonnulli; malim ego cum Paccio illustres; neque Heinsius admodum negaverit, qui præclaras actiones appellat.

II. Atqui dicuntur illustres comparatione initâ, tum cum coævis suis, tum etiam cum iis, quorum ætate scribit Poëta, auctore & principe hujus sententiæ Philosopho. Ἡ μὲν γὰρ (inquit capite altero) χείρους, ἡ δὲ βελτίους μιμεῖσθαι βούλεται τῶν νῦν. Id est, *Comœdia deteriores, Tragœdia verò meliores imitari conatur, quàm nunc sint.* Eâ gratiâ Virgilius ubique Heroës suos hominibus sui temporis, & fortitudine animi, & corporis robore præcellentes canit. Turnus inquit XII. Æneidos.

Saxum circumspicit ingens,
Saxum antiquum ingens, campo qui fortè jacebat
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis:
Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Quos versus ab Hom. Iliad. ε. nobis rescripsit.

ὁ γὰρ χερμάδιον λάβε χειρὶ
Τυδείδης, μέγα ἔργον, ὁ δ' δύο γ' ἄνδρε φέροιεν
Οἷοι νῦν βροτοί εἰσι; ὁ δέ μιν ῥέα πάλλε, καὶ οἶος.

Hyperbole Virgilij grandior videri poterat, sed grandi-tati illi modum quendam ponere visus est, qui addidit ægrè saxum illud à Turno torqueri. Nam,

Ille manu raptum trepidâ torquebat in hostem,
Tum lapis ipse viri vacuum per inane volutus
Nec spatium evasit totum, nec pertulit ictum.

E contra Homericus Ajax.

ὁ δέ μιν ῥέα πάλλε, καὶ οἶος.

Dijudicatum itaque sit actionem, cui serviat Epopœia, illustrem esse oportere.

Gravis nunc nec una quæstio poni potest.

Prima esto. Possitne actio fœminæ adeò esse magnifica,

ut

ut digna ſit, quæ carmine Epico celebretur.

III. Næ fœmina, ſive marita, ſive virgo fuerit, Tragœdiæ dare poteſt argumentum. Teſtis eſt omnium ætatum, atque populorum Poëſis. Hoc Iphigenia, hoc Medæa, hoc Rhodogune, hoc pugnant, & vincunt innumeræ viragines; quæ materiam, & nomen Tragœdiis fecêre. Vt tamen id Poëtis liceat in Tragœdiæ causâ; intercedi certè poteſt de Epopœiâ. Nam inter Tragœdiam, & fœminæ indolem, atque ingenium congruit quàm aptiſſimè. Tragœdia ſiquidem ex edicto Philoſophi cap. VI. de Poëticâ teneritudini mulierum; quas miſericordia, & metus vehementiùs percellunt, & vexant impotentiùs; per ipſummet metum, & miſericordiam medetur.

IV. At in Epico carmine certi aliquid conſtituere paulò difficilius eſt. Licèt enim illis quoque vitiis medicinam faciat Epopœia, quibus Tragœdiam mederi diximus; primæ tamen ejus partes ſunt ad magna quæque, & ardua facinora informare viros principes: quibus inſtituendis cùm fœmina impar videri poſſit; neceſſe eſt quoque Epopœiam illam videri ſuo fine caſſam eſſe, atque adeò, quod conſequens eſt, eſſe vitioſam. Enimverò quo fine Epopœia illis morata moribus ſcribi poteſt? Eo ſcilicet, uti principes ſive viros, ſive fœminas, heroïcis imbuat virtutibus. De fœminis ut primùm quæram. Qui tandem illas inſtituet? quibus extra pomœrium armis interdicitur. Docebuntur nempe promiſcuè, & ἀδιαφόρως virgines, qui expeditiones ſuſcipi, qui prælia committi, qui inſidiæ fieri & queant, & debeant; quæ partes ſunt Heroüm præcipuæ. Facilè mores, uti puto, tutabuntur, quæ ab Indis ad nos cum Angelicâ Arioſti medias inter acies puellæ penetraverint. Sed ne Arioſto quidem arbitro id monſtri cuiquam bene cordato viro ſuadebitur. Angelicam is de ſe hæc profitentem inducit cantu primo.

Et come Orlando la guardo ſouvente
Da morte, da diſnor, da caſi rei:
Et chè'l fior virginal così havea ſalvo,
Come ſe lo porto dal materno alvo.

Quam ejus orationem ita corrigit Poëta.

Forſe era ver, ma non però credibile
A chi del ſenſo ſuo foſſe Signore.

atqui

Atqui, ſi credibile id non eſt homini bene ſanæ mentis, certum eſſe debet illi fœminæ fucum factum fuiſſe. Infeliciter huic cauſæ patrocinabitur Plato, qui lib. VII. de legibus ait fuiſſe præter æquum, & rationem, atque in ἀνοητοτάτοις, quòd mulieres apud Græcos non militarent; cùm apud Sauromatas in Ponto præliarentur gnaviter. Sic enim (inquit) Reipublicæ fit injuria, cujus vires infringuntur, & mediâ ſui parte mulctantur. Demum eodem libro ſanxit puellas exerceri arcu, ſagittâ, palæſtrâ omni, mulieres etiam dimicare, movere caſtra, exercitum ducere, & alia ejuſmodi non pauca facere, & pati, quæ pudor eſt in medium adducere. Quamobrem in re muliebri ineptire Plato ſapientibus ſemper viſus eſt. Quantò æquiùs Ariſtoteles mulieri curam rei domeſticæ attribuit; arma, & ea, quæ non extra civitatem modò, ſed etiam extra privatos parietes fieri neceſſe eſt, viris concedit; adeóque religiosè ſancit, ut ne virum quidem velit à muliere domum admitti ſine mariti imperio. Molliùs tamen reprehendi debet Plato, qui velit mulieres pro muris armari, infrequentiùs verò extra civitatem; quàm ij Poëtæ, qui fœminas in armis orbem peragrare docent, atque in exemplum diſciplinæ militaris vagam, & erronem puellam proponunt. At Chlorindam, & Erminiam Torquatus; Camillam Virgilius; Pentheſilæam Quintus, ſive Calaber celebrârunt ſuis Epopoeiis. De Erminiâ (quam amore perditam ille nobis dedit) quanto periculo id factitatum ſit, & res ipſa indicio eſt, & Poëta nimiùm monet. Chlorindæ & Camillæ cùm ſit una cauſa, idem quoque erit arbitrium. In Epiſodiis verſantur illæ, non in Actione. Enimverò foeminæ patiens eſt quodammodo Epiſodium, non Actio. Ad hæc qui Poëtæ ſummi ſunt, Virgilius, & Taſſus (de Homero mox dicetur) tam parum mores illos mulierum, vel in Epiſodiis, ſpectatos voluêre; vt ſi quas foeminas adhibuerint; illas velut in poenam temeritatis, morte, & quidem obſcurâ mulctarint; ne imbelli, & indigno cruore Heroüm aliquem contaminarent. Chlorindam de nocte, & ab imprudenti Tancredo Taſſus perimit; Camillam ab ignobili Virgilius. Puduit ſiquidem illos Calabri, apud quem Pentheſilæam Achilles necat. Nam auctore Philoſopho ſectione XIX. probl. XI. vecordis eſt, & ignavi hominis,

mulieri mortem inferre. Latino Poëtæ datur laudi, quòd ab eo piaculo ſe abſtinuerit. Promeritam enim Helenam, quæ moreretur, Æneas vel in æſtu iræ, & mediâ in cæde Trojanorum, atque urbis incendio non interficit. Eſt etiam quod ſine prævaricatione præteriri nequit. Fictitiæ illæ Heroïnæ nuſquam faciunt ab Heroë, cujus laudi obſequitur Epopoeia; ſed ſemper ſtant à partibus hoſtium. Chlorinda & Erminia Mahometanis, Camilla Turno, Pentheſilæa Trojanis adverſariis Heroï adſunt; Chriſtianis, Æneadis, Græcis Heroïbus nulla. Ad hæc unam Camillam uno in libro militantem adducit Virgilius; quæ venatorem, & Sacerdotem interimat, Heroëm nullum. Neque enim illam cum Heroë commiſit; quem vinci à virgine turpe eſſet, vincere parum honeſtum.

Nunc quibus laudibus Homerum efferemus, qui virginem nullam, nullam mulierem in caſtris ſive Græcorum, ſive Barbarorum verſari voluerit. Obſervatum eſt à viris doctis verba quædam, trita licèt, & in ore omnium poſita, ab Homero tamen nuſquam fuiſſe vſurpata, ut Τύχω, Ὀργάω, Πλοῖον, Τύρβωνον, Νόμον, Δακτύλιον, Ἀλεκτρύωνα. Quanquam Τύχω in hymno, quem cecinit Cereri, legi doceat Pauſanias in Arcad. Animadverterunt alij à rebus quibuſdam eum ſibi temperaſſe, quarum uſus eſſet familiaris; Heroïbus veluti neque carnes elixas, neque piſces, neque condimenta uſquam appoſuiſſe. Annulorum certè, aut fontium calidorum, aut ſellæ curulis, aut teſtamentorum, aut elephantum nullibi meminit. Illa jampridem alij notaverint: Hæc ſit notatio mea, & obſervatio. Homerus licèt non ignoraret Amazones eſſe, earúmque meminiſſet in Iliade; nullam tamen foeminam voluit militare, aut etiam in exercitu verſari.

Sapienter enimverò illi Poëtarum antiſtites quò, fœminas à re bellicâ deterrerent, nulli victoriam, nulli palmam detulêre. Neque enim minùs indecorum eſt à fœminâ vibrari haſtam; quàm à viro fuſum torqueri. Quamobrem videant etiam atque etiam quantam nequitiæ feneſtram pateſaciant, qui jubent mulieres promiſcuè militare. Id quidem neque Athenæ decori magiſtræ, neque Gallia elegantiæ parens, nedum Roma majeſtatis retinens aliquando conceſſerit. Fuerit illud ſanè quidem Amadiſiorum, fuerit

Arioſti

Arioſti inepti, & inverecundi Poëtæ, & eorum omnium, qui virtuti perniciem meditati ſunt, ut adoleſcentum animos objectâ ſpecie virginum frangerent.

Eſto (inquies) fœmina non ſit exemplo fœminis, quando illis militare minùs honeſtum eſt, erit viris. Nam quò fortiùs foemina in bello fecerit, cò turpius erit viro languere otio, & inertiâ corrumpi. Atque hæc eſt altera ratiocinationis pars, quæ jam ſuprà in medium adducta fuit. Erit igitur Imperator aliquis vir fortis, & animi praſtans, qui præclarè ſecum actum putet, cùm mulieris fortitudinem imitatione aſſecutus fuerit? Cæſari lacrymas virtus Alexandri, & Alexandro Achillis gloria expreſſiſſe dicitur; iſti verò Heroï fortiſſimo foemina lacrymas imperabit. Miltiadi victoriæ Themiſtoclis ſomnum ademere: â Xenophonte Cyrus expreſſus eſt, in quem omnes Principes, tanquam in ſpeculum intenti eſſent: duces exercituum bene multos, virorum fortium ſive invidiâ uſtos, ſive æmulatione excitatos legimus: unam verò aliquam ex omnibus fœminam aut extitiſſe, aut etiam à Poëtis eſſe fictam, cujus gloriâ Principes viri ad omnes Imperatoris partes obeundas incenderentur, certè non legimus. Næ hæc miſerè hallucinarentur, qui ſic colligerent. Fœminæ actio increpandæ in viro inertiæ accommoda eſt; igitur & Principi inſtituendo apta. Res longè alia eſt ad ſingulare aliquod facinus cohortari hominem unum aliquem otio corruptum: Alia, exemplum omnium virtutum Principibus viris proponere, in quod defixi animo, omnia Imperatoris ornamenta notent, atque in ſe transferant. Habita eſt certè vehemens, & ad excitandam virtutem accommoda Tarchontis oratio apud Virgil. Æneid. xi. quâ militem ignavum, quique virgini Camillæ cederet, objurgat. Eſt hoc quidem argumentum, quod à comparatione minorum appellant Rhetores, cuique ſuam fidem, robur atque dignitatem nolim detrahere: at fœminam certo conſilio, in ſpecimen virtutis cùm militaris, tum civilis Heroïbus ante oculos conſtituere adeò videtur à ratione abhorrens, ut cùm penes Poëtas magna ſemper fuerit audendi poteſtas, nemo tamen in tantâ Poëtarum antiquorum multitudine repertus ſit, qui fœminam Epopœiâ laudandam ſuſceperit. Nam quod de Marſi Amazonide ſuſpicantur aliqui, non

adeò liquet: fueritne Epopœia, an secus; & adhuc sub Iudice lis est. Tum vt fuerit, à leviſſimo opere gravis auctoritas peti non potest. Nihil verò nos è novis hominibus, viri Opt. Valerandi Varanij factum commovere debet; qui in ornandâ Virgine Aurelianensi, suæ potiùs pietati velificari suaviter, quàm justi Poëmatis numeros & partes implere voluerit. Quamobrem ejus pietati pretium ita ponimus, ut nolimus tamen illum Epico Poëtæ in exemplum extare.

Neque huic causæ Regina Semiramis præsidio videtur esse; tum quia ut militaret, sexum mentita est, rata, id quod erat, non esse se imperio parem, nisi à viri specie sibi conciliaret dignitatem; tum quia turpissimo exitu vitæ, flagitiosos fuisse mores ostendit; & unà docuit quanti sit periculi, virili veste tegere mulierem. Denique historiæ, non fabulæ argumentum est Semiramis. Congruenter magis finem huic quæstioni ponere non licet, quàm verbis Aristotelis cap. xv. Poëticæ, ubi de moribus disputat. Verba sunt aurea, & rem conficiunt. Δεύτερον δ', τὰ ἁρμόττοντα. Ἔστι γὰρ ἀνδρεῖον μὲν τὸ ἦθος, ἀλλ' οὐχ ἁρμόττον γυναικὶ, τὸ ἀνδρείαν ἢ δεινὴν εἶναι. Id est, Secunda proprietas morum est, ut sint congruentes; ut esse fortem, mos est aliquis: at non congruit mulieri fortem esse, aut terribilem, vt vertit Riccobonus; vel prudentem, ut Paccius. Quàm constans sit in sententiâ Aristoteles, & quàm longè abhorrere putet Epopœiam à fœminâ, ex eodem capite xv. intelligitur; in quo priùs dixerat mores fœminæ malos esse, licèt non ἁπλῶς & usquequaque, cùm ea χρηστὴ & bona sit quodammodo. Bona enim est, si pudica, si casta, si viri amans, si rei domesticæ attenta, & pia: at est planè mala, quæ viris fortibus & Imperatoribus ἀνδρείας & δεινότητος exempla præbeat.

V. His de Epopœiâ constitutis, de Heroïnâ ipsâ quæramus: possitne aliqua mulier heroïcis virtutibus esse instructa; atque ut viri sunt, qui Heroës dicuntur, ita possint esse fœminæ, quæ Heroïnæ appellentur. At ne satis quidem ista quæstio videtur posse decidi, nisi priùs certiores simus, quid tandem sit illud, quo Heroës fiant. Non desunt qui putent unicâ actione Heroës fieri. Nescio quis præclarum aliquod facinus edidit; en subitò Heroëm. Errat sanè, hæc qui putaverit. De Heroïbus aliter prisca illa

ætas

ætas ſtatuebat. Adeſt Euſtathius, qui in Homerum Iliad. α. ſic loquitur: Ηρῶας ὑ παλαιὰ σοφία γένος τι θεῖον εἶναι δοξάζῃ, μέσον θεῶν, ϛ ἀνθρώπων, &c. quæ fusè proſequitur. Quorum vis & ſignificatio hæc eſt. Priſci illi Philoſophi Heroas ſuos putaverunt eſſe genus quoddam inter Deos, & homines interjectum. Natos enim perhibebant aut ex Deâ, & viro mortali, quales fuêre Achilles, & Æneas; aut ex Deo, & muliere, qualem extitiſſe Hectorem docet Lycophron. Hactenus Euſtathius. Diſertè etiam magis Plutarchus in libello, cur Oracula ceſſaverint, idipſum ediſſerit. Apud quem Xenocrates Platonis coævus, homines, Heroas, & Deos tribus triangulorum naturis ingeniosè comparat; Deum quidem triangulo ἰσοπλεύρῳ, ſive æquilatero, qui nuſquam deficiat, ac proinde adumbratio ſit immortalitatis, quâ Dij frui credebantur: hominem Scaleno, cujus latera ἄνισα ſint omnia, & proinde ſimulachrum humanæ vitæ, quæ ſibi conſtet nuſquam eadem, & tandem aliquando concidat. Heroëm Iſoſceli, cujus latera duo ἴσα, æqualia, & tertium ἄνισον, indicio ſunt Heroëm aliquâ ſui parte, quâ Deos attingit, immortalem eſſe; & aliâ, quâ homines attinet, morti eſſe obnoxium. Non itaque Heroës uno, aut altero ſive impetu, ſive conatu fieri putavit priſca illa ætas, ſed æquabili quodam tenore virtutis, quæ in omnes vitæ partes fuſa, illos à Diis genitos eſſe teſtaretur. Etiam in cunis Heroës fuerunt Hercules, & Achilles, cæteríque à puero. Verùm hæc priſcæ illius, & inanis Theologiæ miſſa facimus; quæ à nobis eò allatæ ſunt, quò opinionem illam convelleremus, quæ heroïcam illam naturam furori, & impetui vel ſingulari concedit. Multò verò magis à grammaticis reculis temperandum putarem; niſi eſſent, qui ab illis Philoſophiæ pondus & momenta quærerent. Herois nomine cohoneſtandum quidam opinantur illum, qui amoris, & iræ impetu cieatur impotentiùs, eâ gratiâ; quòd in Heroë bilis flava, diluta ſanguine dominetur; atque hæc humorum κρᾶσις amorem & iram concipiat quàm citiſſimè. Fidem verò facere nituntur à Grammaticis, quibus Ηρως nomen habet ab amore, qui vocitatur Ερως. Et quoniam illud temperamentum fœminis maximè congruit, imprimis illas idoneas eſſe putant, quæ virtutibus heroicis imbuantur. Nam quid aitis? Fla-

vam

vam bilem ſanguine attemperatam magnis rebus gerendis, & quæ Deum deceant, aptam prædicatis? Quâ fide? quo auctore? Id negant Medici, id Philoſophi pernegant. Ariſtoteles probl. ſect. xxx. edidit πάντας, ὅσοι περιττοὶ γεγόναστν ἄνδρες, &c. Id eſt, Quotquot præſtantes ſive in re Philoſophicâ, ſive Politicâ, ſive Poëticâ, aut etiam virtute heroicâ fuerunt, atrâ bile abundaſſe; & ne locum ambigendi de mente ſuâ relinqueret, in illis Platonem, Socratem, Empedoclem recenſet, atque unà Heroüm præſtantiſſimos Bellerophontem, Ajacem, Herculem. Atram verò bilem cùm laudat Philoſophus, nemo inertem illam, & frigidam putet. Eam quippe intelligit, quæ concepto calore igneſcat, & flammâ micet puriſſimâ. Hæc bonitatem ingenij, hæc animi magnitudinem, hæc conſortium illud cum Superis facit. Cùm enim è duobus confletur bilis hæc; igneâ quâdam luce, & mole corporeâ denſiore; à luce, intelligentiam; à denſitate molis, conſtantiam trahit. Hactenus conati ſumus potiùs dicere quid Heroëm non faciat; quàm conſtituere, quid ſit illud, quo Heroës fieri dicantur.

Quæ Heroëm faciant, tria putantur eſſe maximè: corporis habitudo quædam firma, ac laborum patiens, quæ atrâ bile ſparſa ſit: tum animus præſens, erectus, & robuſtus quodammodo; cui accedat magnitudo ex illâ corporis temperie, quam ſtatuimus: demum divina quædam vis, & efficientia; quâ qui afflatur, ſupra hominem & ſapere, & poſſe videatur.

Quæ cùm ita ſe habeant, qui pro fœminis dicere inſtituerit, ſic contendet. Qui fœminis inſunt animi, non alterius ſunt cujuſdam formæ, & ſpeciei; ac ij, qui dominantur in viris. Ridiculè enim ſexum animis adſcribas. Quid igitur eſt, cur virilis animus capiatur rerum dignitate; non fœmineus? Non itaque fœminæ officit animus, qui virili conſimilis eſt, & congenitus, atque ejuſdem naturæ. De corpore verò, etſi mulierum vulgus viris concedit: eſſe tamen aliquas habitiores viris, ac membrorum compoſitione ſolidâ magis, atque vegetâ nec ratio prohibet, & experientiâ conſtat. Præterea etſi fœminæ mollioris aliquantò, & humidioris ſint naturæ; tamen ſi exercitatio corporis, & armorum uſus acceſſerit, durabuntur illæ quodammodo, &

virilem

virilem ſuccum, atque ſoliditatem contrahent. Demùm impreſſionis illius mirificæ, atque divinæ, quâ Heroës fiunt, patientes imprimis ſunt mulieres. Quot enim Sibyllæ, ac Prophetæ; quot Entheæ mulieres ac virgines extitêre? Huic orationi reſponderi poteſt. Animorum ſexus nullus eſt? Ita ſit ſanè. Sed corporis communione, & quaſi contagio animus aut languet, aut viget. Nunc de corporis habitu quid dicam, ſi corpore ſint igneo, ſi firmo, ſi conſimili, & congenito, & ejuſdem cum virili naturæ, ut prædicat hæc oratio; cur non viri naſcuntur? Nam ab animis diſcrimen nullum eſt, à corpore nullum eſſe jubetur; cur igitur viri non ſunt, quæ ſunt fœminæ? De impreſſione & efficientiâ illâ divinâ nihil jam queror à Philoſopho Deum de machinâ excitari. Quanquam ne illud quidem omninò prætériri debet. Nam, ut infra diſputabimus, cùm de machinâ ponemus quæſtionem, illa actio habetur ad Epopœiam inepta, quæ fit miniſterio Deorum. Sed ad impreſſionem illam divinam redeat oratio. Accepimus à viris ſanctis, afflatum illum divinum, cum flatu, quo, quæ organa dicuntur, in Templis noſtris muſicè canunt, componi. Vt enim ab eâdem aurâ follibus conceptâ, & remiſsâ tubi omnes fiunt vocales, qui tamen variè modulantur pro variâ ſui conformatione, & figurâ: ita eâdem efficientiâ, & afflatu divino viri magni, & Heroës incitantur; attemperatè tamen ad eorum naturam. Iſaiæ oratio culta eſt, & magnifica; Amoſij verò incompta, & agreſtis. Quid ita? quia etiam auctore Scholâ Peripateticâ, quæcunque res inducitur alteri, ad ingenium illius ſe fingit, & accommodat. Neque immeritò; aliàs enim illam corrumperet, atque labefactaret. Ex eâ igitur efficientiâ nihil conſtitui poteſt, quæ ſe naturæ attemperat quodammodo.

Non tamen à me, aut hæc, aut ea, quæ ſuprà de muliebri illâ Epopœiâ diſputata ſunt, eò pertinent, quò rebus bellicis, & imperio militari velim uſquequaque interdictum omnibus mulieribus; ſed eò duntaxat, ne quis ſibi cum Arioſto, & Amadiſiorum auctoribus licere putet virginibus caſtra implere, & poëticæ licentiæ lenociniis ſanctitatem morum illudere. Multitudo virginum & mulierum Poëmatis gravitati atque ſanctitati planè officit, & cùm profanos Poëtas ea dedeceat, tum Chriſtianis eſſe debet pudori

pudori Vtrùm autem una aliqua, quam elegerit, & cui pro ſummo imperio DeusOpt.Max. belli ſummam crediderit, Epopœiæ dignitatem violet, necne; una duntaxat aliquando me dubium fecit Varanij, & aliquorum, qui ei conſentiunt, virorum doctorum auctoritas. Nunc verò animum mihi certum fecêre & rationes paulò ante allatæ, quæ fœminam amoliuntur, & ſuſpicionis, quæ à Religione petitur, futilitas. Etenim ut nihil aliud vitij reſideret in eâ Epopœiâ; id tamen peccati eſſet, quod machinam admitteret, ſecus ac ex Ariſtotele pars hujus diſſertationis altera quæſt. VII. demonſtrat.

VI. Altera quæſtio, quæ quidem in rem, & diſputationem noſtram ſit, ponatur. Vtrùm conatus etiam laude dignus, qui tamen exeat infeliciter, ſatis dignus, & illuſtris ſit, qui Epopœiæ det argumentum. Ab exemplis lux accedet. Æneas cum Trojanis illis ſuis per tot maria oræ Italicæ applicuerit, ſed ante exſcenſum ſubortâ fœdâ tempeſtate ipſe naufragio pereat, & ſocij ejus diſſipentur. Itidem. Fac Vlyſſem poſt diuturnam peregrinationem emiti naviter, ut procos domo exturbet, atque conjugem, filium, & bona recipiat, verùm eo in pugnâ cæſo, Penelopen Antinoo nupſiſſe. Nî mea me fallit opinio, nemo homo erit tam parum prudens iſtarum rerum, idem qui non cenſeat eam actionem parum aptam eſſe materiam Poëmati Epico. In Iliade præceptio fiet illuſtrior. Græci exercitum ingentem conflant, & duce Agamemnone Aſiam petunt eo conſilio, ut Trojam diruant. Facinora virtute bellicâ & conſilio præclara eduntur multa, civitas obſidetur, deditionem jam cogitat, cum eruptione Hectoris Agamemnon interficitur; miles ſubinde quà necatur, quà in poteſtatem Trojanorum venit, quà in Græciam inglorius redit. In quæſtione eſt; fueritne Græcorum iſte conatus, licèt fortitudinis & conſilij pleniſſimus, materia Epopœiæ digna. Minimè ſanè quidem duplici de causâ. Altera, quia primaria actio ex præceptis Ariſtotelicis debet eſſe tota; alterâ, quia ex ejuſdem edicto debet eſſe illuſtris. Hæc verò utrâque laude caret. Non enim tota eſt, quæ præcipuâ ſuî parte mutila eſt; neque illuſtris, quæ exitu felici caret. At conatus fortis fuit, at conſilij abundans. Nullus inficior, ad Epicum tamen carmen ineptam pronuncio actionem

nem illam : tum quia, ut jam monui, ex Ariſtotele Actio Epica tota eſſe debet, atque illuſtris ; tum quia Epopœia ſcribitur, & celebratur, ut viri Principes ad facinus aliquod ſimile inflammentur : non inflammat verò conatus iſte, ſed retardat. Torquatum ipſum appello, apud quem his verbis loquitur Godofredus cantu primo.

XXII.

Gia non laſciammo i dolci pegni, e'l nido
Nativo noi, (ſe'l creder mio non erra)
Nè la vita eſponemmo al mare infido,
Et à i perigli di lontana guerra,
Per acqueſtar di breve ſuono un grido
Volgare, e poſſeder barbara terra,
Che propoſto ci hauremmo anguſto, e ſcarſe
Premio, e in danno de l'alme il ſangue ſparſo.

XXIII.

Ma ſù de' penſier noſtri vltimo ſegno
Eſpugnar di Sion le nobil mura :
Et ſottrare i Chriſtiani al giogo indegno
Di ſervitù così ſpiacente, e dura ;
Fondando in Paleſtina un nouo regno ;
Ou' habbia la pietà ſede ſicura :
Nè ſia chi neghi à peregrin deuoto
D'adorar la gran tomba, e ſciorre il voto.

XXIV.

Dunque il fatto ſin' hora al riſchio è molto ;
Più che molto al trauaglio, à l'honor poco,
Nulla al diſegno, oue ò ſi fermi, ò volto
Sia l'impeto de l'armi in altro loco, &c.

Audio hîc ego : Periculorum (inquit) abundè eſt, laborum etiam ſupereſt : quod verò ſit ad gloriam, actum eſſe admodum nihil. Quid ita ? Eximia enim quædam facinora ediderant. Perſas, & (ut loquitur Torquatus) Turcas contuderant, Antiochiam vi ceperant, cui Boëmundus præerat ; hæc quæ per ſe magna ſunt, fiunt nihili à Godofredo. Quamobrem ? quia quæ edita fuerant, illa erant *nulla al diſegno*, ad propoſitum finem nihil attinebant. At quis Taſſi ſenſus foret, aut quid tandem diceret ; ſi aut in ſervitutem redactus, aut diſſipatus, aut enectus fuiſſet miles?

Iam non diceret eâ in actione gloriæ esse parum, sed quereretur ignominiæ esse plurimum.

Hic etiam lis moveri potest altera nihilo facilior: Cùm in expeditione illâ Græcorum Tenedos urbs, &

Insula dives opum, Priami dum regna manebant.

capta fuerit, possitne Tenedi ἄλωσις Epopœiæ materiam, sive argumentum sufficere, etiamsi deinde Græci à Trojâ repulsi, & à Trojanis victi, atque exuti illâ Insulâ in Græciam redire compulsi fuissent. Certè abhorret natura Epopœiæ, & repugnant exempla omnium Poëtarum. Nam & Regnum Italiæ Æneæ asseritur; & Ithaca suo restituitur Vlyssi; & Troja capitur ex victoriâ Achillis; & Regnum Hierosolymitanum in potestatem Godofredi venit. Vetat etiam Tassus. Nam Godofredus exercitum, qui profligatis Turcis, & Persis, atque captâ Antiochiâ gloriæ putabat satisfeciſſe suæ, his verbis increpat cantu 1.

XXVI.

Turchi, Persi, Antiochia, (illustri sono,
Et di nome magnifico, & di cose)
Opre nostra non già, ma del Ciel dono
Furo, e vittorie in ver meravigliose.
Hor, se da noi rivolte, & torte sono
Contra quel fin, che'l donator dispose
Temo ce n' privi; & favola à le genti
Quel sì chiaro rimbombo al fin diventi.

XXVII.

Ah, non sia alcun, per Dio, che sì graditi
Doni in vso sì reo perda, e diffonda.
Aquei, che sono alti principij orditi
Di tutta l'opra il filo e'l fin risponda.

En neque Persarum, aut Turcarum clade, aut Antiochiâ captâ conquiescit. En quoties finis expeditionis meminit; metuit etiam fabula fieri, quid ita? quia non eo fine suscepta expeditio erat; & quia necesse est, ut

Di tutta l'opra il filo e'l fin risponda.

Ratio etiam gravis prohibet. Nam in animis legentium id semper hæreret, à fine proposito abesse Imperatorem, ac proinde gloriâ legitimâ carere, quæ à fine petitur. Deinde usque recurreret in memoriam clades, quæ secuta est. Propter enim rei magnitudinem nexu quodam, & illigatione mentem

tam arctâ hæc duo committuntur; ut alterum ſine altero in mentem non veniat. Eſsétne aliquis ingenio tam hebes, qui Tenedi captæ meminiſſet, & idem non recordaretur cladis Græcorum, quâ à Trojanis victi, in Græciam rediiſſent inhoneſtè? Eſsétne aliquis, qui expeditionem ejuſmodi viro Principi in exemplum gloriæ proponeret, cujus exitus, & finis cùm dedecori, tum damno fuerit? Enimverò ſi quis Imperatorem fortiſſimnm ab expeditione Aſiaticâ deterrere cuperet, nihil certè potius deberet habere, aut etiam appoſitè magis poſſet adducere; quàm exitus eorum, qui cùm virtute bellicâ præſtarent, & ab exercitu eſſent paratiſſimi; tamen amiſſis copiis cum dedecore fuiſſent repulſi. Neque eſt quidquam rei, cur Achilles nobis opponatur, quem Paris ante excidium Trojæ interfecerit, ac proinde cujus exitus infelix fuerit. Eam enim rem ſi quis iſtarum rerum peritus rectâ putarit viâ, ſtatuet Epopœiam non viri eſſe imitationem, ſed actionis; quod apertè & διαπράξως quæſt. quartâ oſtendimus. Ac proinde, ſi actio integra, ſi perfecta fuerit, laudis illa nullius indigebit. At in Heroë felicitatem uſquequaque etiam poſt actionem Poëmatis primariam nemo deſideret, cùm Heroüm nulli, aut certè perpauci felices exitus nacti fuerint. Vt reliquos taceam, & eos tantùm appellem, qui ab Epicis Poëtis celebrati ſunt. Godofredus aliquot poſt Hieroſolymam captam annis in prælio ita evanuit; vt præter nomen, & memoriam nihil è tanto viro reliquum fuerit. Quàm infeliciter Pompeïus, & Cæſar vitam clauſerint, & Achilles ille Homericus, nemo ignorat. Quid? Erunt nobis Homerus, Lucanus, Taſſus, eâ causâ objurgandi. Nequaquam. Actionem enim totam & illuſtrem ornarunt mirificè. At ſi actio quæ à Poëtâ ſuſcipitur ornanda, aut ipſa πλοκῆς expers ſit, & totalitate non gaudeat, aut fuerit ea pars neceſſariò conjuncta cum majori actione, quæ fœdè exierit, qualem in exemplum huc attulimus, ea certè digna non eſt, quæ Epopœiæ ſerviat. Capillos hominis laudas & coloris, & nitoris gratiâ; at is totâ urbe famoſus eſt oculorum pravitate: ſi quid video, illum non laudas, ſed nobilitas turpitudine.

Næ iſthic Venuſinus Poëta *Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo*, dicat appoſitè:

Hunc ego me, ſi quid componere curem,
Non magis eſſe velim, quàm pravo vivere naſo.

Hæc à me quidem certò conſtituta ſunt de actione profanâ; de actione verò Chriſtianâ meritò poteſt ambigi. Etenim externi illi homines, & à verâ Religione alieni finem non habent alium ab eâ gloriâ, quæ ex hominum opinione colligitur, quâ cùm excidunt, omni gloriâ careant neceſſe eſt, quæ tota à fine ſuam ducit dignitatem. At Chriſtiani cùm popularem illam auram, & inanis gloriolæ rumuſculos contemnunt; tum in unam virtutis honeſtatem, & Dei O. M. cultum intenti, præclarâ cum laude munus defunguntur ſuum, quando certo animi conſilio, pietate atque conſtantiâ ad eximium aliquod facinus aggrediuntur, licèt ad exitum abſque ullâ culpâ ſuâ illud non perducant.

Hæc de Actione ſtatuiſſe ſatis nunc quidem temporis ſit: verùm id monere operæ pretium erit, poſſe his laudibus florere Actionem, quæ tamen vitio Poëtæ corrumpi poſſit; ut in Virgilio exemplum poſuimus in Præfatione hujus voluminis.

DISSERTATIONIS PARS SECVNDA. DE FORMA EPOPOEIÆ.

Epopoeiæ ſubjecimus actionem tanquam materiam: nunc utì ratio doctrinæ ſibi cohæreat, de formâ inceptemus diſputare.

QVÆSTIO PRIMA
De Fabula.

I. *Ordo hujus ſecundæ partis.* II. *Variæ poteſtates hujus vocis,* Fabula. III. *Definitio Fabulæ Epicæ explicatur.* IV. *Fabula eſt anima Poëmatis. Sex rationes, cur id ſit. Lucanus non eſt Poëta Epicus.* V. *Fabulam conſtituere qui velit, ejus primæ partes ſunt; ut actionem Epiſodiis, & nominibus propriis ſpoliet.* VI. *Odyſſeæ argumentum ex Placitis Ariſtotelis abſque nominibus; deinde cum nominibus; poſtremò cum Epiſodiis.* VII. *Iliadis argumentum ad imitationem Odyſſeæ.* VIII. *Æneïdos argumentum ſimili arte compoſitum.* IX. *Godofredi, ſive* Hieroſolymæ *liberatæ argumentum ex iiſdem præceptis.* X. *Idololatriæ debellatæ argumentum ex iiſdem regulis.* XI. *Rationes quamobrem actio ſuo ornatu ſpoliari debeat.*

HIC erit ordo partis hujus ſecundæ. Cùm Epopœiæ ſubjecta materia ſit actio,& Epopœiæ ejuſdem forma ſit ornatus actionis, eò adducimur, ut explicatâ actione, de ornatu diſputemus. Ornatus verò omnis à formâ petitur,ut docent Phyſici. Nam materia de ſe informis eſt, & inops. Formam cum materiâ ita comparavit Ariſtoteles 1. Phyſ. cap. vlt. ὥσπερ ἂν εἰ ϑήλυ τοῦ ἄῤῥενος, ϛ αἰσχρὸν καλοῦ

καλῷ. At ornatus ille Epopœiæ ex quatuor veluti partibus coaleſcit: fabulâ, quæ eſt ſubſtructio, & compoſitio actionis; tum moribus, deinde ſententiâ; poſtremò dictione; ex quibus quatuor forma Epopœiæ componitur. De iis itaque ſigillatim hac parte alterâ nobis diſputandum eſt.

Ariſtoteles partes Tragœdiæ formales, & ut ipſe loquitur, ſecundùm quæ ποιὰ λέγεται ἡ τραγῳδία, ſex enumerat: fabulam, mores, dictionem, ſententiam, apparatum, & melopœiam. Ἀνάγκη οὖν πάσης τραγῳδίας μέρη εἶναι ἓξ, καθ' ἃ ποιά τίς ἐστιν ἡ τραγῳδία. Ταῦτα δέ ἐστι μῦθος, καὶ ἦθη, καὶ λέξις, & διάνοια, & ὄψις, & μελοποιία. Ex quibus, quæ primæ ſunt quatuor, etiam Epopœiæ congruunt; duæ verò ultimæ minimè. Præterea, inquit capite XXIV. Epopœia iiſdem partibus εἰδικοῖς gaudet cum Tragœdiâ: & continuò excipit melopœiam, & apparatum. ἔτι δ' αἱ εἴδη ταυταὶ δεῖ ἔχειν τὴν ἐποποιΐαν τῇ τραγῳδίᾳ, &c. Partes itaque Epopœiæ εἰδικαὶ ſunto illæ quatuor, quæ jam recenſitæ ſunt.

De primâ diſputemus. Fabulæ nomen multiplicis eſt ſignificationis.

Prima eſto. Vt fabula ſit ſermo fictitius, qui rem alteram apertè, alteram diſſimulanter ſignificet. In fabulis Æſopicis eſt id illuſtre; quippe quæ à brutarum animantium ingeniis, & conſuetudine, hominum mores, & inſtituta notent. In eam partem nomen fabulæ accepit Ariſtoteles ſect. XIX. probl. III. τὸ δ' παράδειγμα, & οἱ μῦθοι τὸ ὅμοιον δεικνύουσι.

Tum fabula ab Ariſtotele nonnunquam καταχρηστικῶς uſurpatur pro actione ipsâ, quam ſtatuimus eſſe Epopœiæ materiam.

Deinde fabulæ notio eſt pro toto Poëmate Epico, ſive Scenico. Fabularum ſiquidem aliæ dicuntur palliatæ, aliæ togatæ. Græcæ illæ, quia Græci pallio amiciebantur: hæ Romanæ, quòd Romani togati eſſent.

Denique fabulæ nomen datum eſt conſtitutioni, & ſubſtructioni actionis primariæ: nam cùm actio ipſa utplurimùm rudis ſit, & indigeſta, componi debet; quæ compoſitio, fabula dicitur Ariſtoteli, ut mox dicemus; atque hæc eſt fabulæ ſignificatio, de quâ hic κυρίως & ἰδίως ambigitur.

II. Ac primò quidem Philoſophus pronunciat cap. VI. fabulam

fabulam esse imitationem actionis; tamen quia id perplexè dictum fuerat, addidit illicò. Dico autem fabulam esse compositionem rerum. Επὶ δὲ τ πράξεως ὁ μῦθος μίμησις. Λέγω γὰρ τὸν μῦθον τοῦτον τὴν σύνθεσιν τ πραγμάτων. Et capite VII. ubi monuit iterum fabulam esse compositionem rerum, attexuit statim: Επειδὴ δὲ τοῦτο δὲ πρῶτον, δὲ μέγιστον τ τραγῳδίας ἐστίν. *Quandoquidem fabula primas in Tragœdiâ* (idem censeri debet de Epopœiâ, ut jam sæpè ex eodem Philosopho docuimus) *tenet.*

III. Demum fabula tanti est apud Aristotelem, ut illam Tragœdiæ caput, & animam dixerit. Αρχὴ μὲν οὖν δὲ οἷον ψυχὴ ὁ μῦθος τ τραγῳδίας; cap. VI. Quemadmodum enim corpus, à quo segregatus est animus, cadaver est informe, iners & caducum; atque hoc ipsum, si animum reddideris, erit formosum, atque vegetum: Ita actio sine fabulâ informis est, & emortua quodammodo; ut accesserit fabula, pulchritudinem induit. Actio igitur est Heroïs; fabula verò est Poëtæ. Id vide in exemplo. Vlysses deletis procis, conjugem, & bona recipit; ea est actio. Homerus, id quod ab Vlysse gestum est, certo ordine distinctum comprehendit; hæc est fabula. Sine fabulâ itaque non erit Poëma Epicum. Eâ de re Lucanus in Poëtis non est; cui, ut cum Philosopho loquar, ἐντελέχεια, & ψυχὴ desit. Servio auctore in primum Æneïdos id audeo. *Lucanus* (inquit) *ideo in numero Poëtarum esse non meruit; quia videtur Historiam composuisse, non Poëma.* Servio suffragatur totidem verbis Isidorus lib. VIII. origin. cap. VII. nec non & alij non pauci. At eâ de re jam disputatum est priori parte quæst. VI. Nunc, quod est in Philosophi officio maximè, vestigemus quid causæ fuit, cur fabulam reliquis omnibus partibus antepositerit Aristoteles, illámque appellaverit ψυχὴν, id est, animam Poëmatis.

IV. Rationes à Philosopho sunt multæ. Prima. Quia fabula est ipsa actio culta & ornata, ac proinde nudâ actione præstantius aliquid, atque melius. In actione verò est felicitas, & beatitudo; nihil autem melius beatitudine, quæ finis est. Nihil itaque præstantius erit fabulâ, non mores, non sententia, non elocutio. Atque hæc ratio à nobis suprà explicata est. Alterius rationis, quæ est prioris appendix, vis est. Actio non est morum gratiâ, sed mores actionis

nis causâ: igitur actio præstat moribus. Οὐκοῦν (inquit) ὅπως τὰ ἤθη μιμήσονται, πράττουσι. ἀλλὰ τὰ ἤθη προσλαμβάνουσι διὰ τὰς πράξεις. Tertia ratio. Tragœdia absque actione nequit consistere, potest autem sine moribus. *Nuperæ enim Tragœdiæ moratæ non sunt, & universè Poëtæ non pauci mores nullos exprimunt.* Αἱ γὰρ τ νέων τ πλείσων ἀήθεις τραγῳδίαι εἰσὶ, & ὅλως ποιηταὶ πολλοὶ τοιοῦτοι. Actio igitur est magis ἰδιώδης, quàm mores. Quî autem fieri possit Tragœdia, vel Poëma sine moribus, quæretur postea. Quarta ab eodem Philosopho ratio est. Si quis bene moratam orationem, sententiis gravem, & elegantem dictione scripserit, is quod primum est in Poëmate non attigit. Nam imprimis (inquit) requiritur μῦθος, & σύστασις τ πραγμάτων; id est, *fabula, & constitutio rerum*; in secundis verò mores, sententiæ, dictio. Quinta ratio. Maximè capiuntur animi Peripetiis & Agnitionibus: at Peripetiæ & Agnitiones sunt partes fabulæ. Fabula itaque potior. Πρὸς δ' τούτοις, inquit, τὰ μέγιστα δι' ὧν ψυχαγωγεῖ ἡ τραγῳδία τ μύθου μέρη ἐστὶ, αἵ τε περιπέτειαι, & ἀναγνωρίσεις. Sexta ratio petitur ab experientiâ; quia è veteribus Poëtis, qui sunt alicujus nominis, primò fabulam constituerunt, tum mores, & sententias, atque elocutionem. Οἷον & οἱ πρῶτοι ποιηταὶ σχεδὸν ἅπαντες, &c. Denique comparatione id suadet. Nam ut colores etiam exquisiti, si temerè sparsi sint, atque fusi, minùs placent, quàm unus solus, qui figuram aliquam, & imaginem expresserit: ita sine moribus illis, & sententiis placebit magis fabula, quæ actionem rectè constituat. Quamobrem ex iis rationibus concludit. Ἀρχὴ μὲν οὖν, & οἷον ψυχὴ ὁ μῦθος τ τραγῳδίας. Est igitur præcipua pars, & velut anima Tragœdiæ (ac proinde & Epopoeiæ) fabula. Quid verò sint mores, quid Sententia, quid Dictio, quid Peripetia & Agnitio, subinde quæremus.

V. Qui ad fabulam fingendam, & ornandam Poëta debeat accedere, instituit docere Aristoteles cap. XVII. Primò jubet, ut actionem habeat animo probè, & distinctè comprehensam; erit verò illud, si eam Episodiis, & nominibus propriis spoliatam spectaverit; tum ut addat nomina, quæ personarum & moribus, & officiis congruant; deinde ut Episodiis, & reliquis ornamentis, & apparatu poëtico actionem cohonestet. Postremæ curæ erunt in elocutione, & dictione. Ait igitur. Τοὺς τελόχρους τοὺς πεπαιμένους δεῖ & αὐτὸν

αὐτὸν ποιοῦντα ἐκ πολλῶν καθόλου, εἶθ' ὕτως ἐπισοδιοῦν. Id eſt, *Actiones ipſas oportet, & Poëtam exponere in univerſum, & deinde per Epiſodia illas exornare.* Vis eſt, & cautio in hac voce, καθόλου, universè. Sunt enim tales, ſi abſtrahunt à ſingularibus; ut docetur ab eodem, ἐν τοῖς ὑςέροις. Eandem præceptionem tradit explicatiùs ſubinde. Μετὰ δὲ ταῦτα ἤδη ὑποθέντα τὰ ὀνόματα ἐπεισοδιοῦν, ὅπως δ' ἔςαι οἰκεῖα τὰ ἐπεισόδια σκοπεῖν. Meritus eſt quàm optimè de nobis hic Ariſtoteles, qui non tantùm præcepto id edixerit; ſed etiam exemplo illuſtrarit luculento. Actionem enim Odyſſeæ puram, & omni illâ pompâ nudam nobis ſpectandam objecit: eam nos deinde altero exemplo ex ejus præceptis inſtruemus nominibus; & tertiò adhibitis Epiſodiis ornabimus; ne quid lucis in re hactenus perobſcurâ deſiderari queat: Atque in gratiam Poëtarum Epicorum, Iliadis, Æneïdis, Hieroſolymæ Torquati, & ejus Poëmatis quod nos meditamur, argumenta ſimili arte producemus.

VI. Veſtigium Odyſſyæ ab Ariſtotele ſine Epiſodiis, & nominibus, ex capite XVII. de re Poëticâ.

Quidam peregrè profectus, & claſſe, ac ſociis per varia naufragia exutus, multos annos aberat domo. Interim non tantùm illi res domeſtica à procis, qui conjugis ipſius nuptias ambibant, decoquebat; ſed etiam ejus filius petebatur inſidiis. Is autem poſt victas multiplices iniquiſſimi maris tempeſtates, tandem patriæ reditus procos ex inſidiis occupat, & interficit. Addit Ariſtoteles τὸ μὲν οὖν ἴδιον τοῦτο, τὰ δ' ἄλλα ἐπεισόδια. Id eſt, *Hæc propria ſunt Odyſſeæ; reliqua in Epiſodiis numerari debent.*

Alterum argumentum Odyſſeæ cum nominibus, & ſine Epiſodiis, ex ejuſdem Ariſtotelis præceptis.

Rex Ithacæ Vlyſſes cum reliquis Græciæ Principibus viris in expeditionem Iliacam exierat. In reditu per varia naufragia claſſe, & ſociis exutus, præter decem illos annos, quibus ad Trojam pugnatum eſt, decem alios errabat miſerè. Interim non tantùm illi res domeſtica à procis, qui Penelopes ejus conjugis nuptias ambibant, decoquebat; ſed etiam Telemachus ejus filius petebatur inſidiis. Is autem

poſt victas multiplices iniquiſſimi maris tempeſtates, tandem Ithacæ redditus, procos ex inſidiis occupat, & interficit.

Tertium argumentum Odyſſeæ cum nominibus & Epiſodiis, ex Homero.

Vlyſſes impatienter deſiderium ferebat, quo Ithacæ patriæ, conjugis Penelopes, & filij Telemachi flagrabat; à Calypſo tamen Nymphâ marinâ, vi, & neceſſitate, quando gratiâ, & blanditiis non poterat, multos annos retinebatur. Habetur interim apud Superos Deorum concilium. Minerva ſapientiſſimi hominis ærumnas in auribus omnium ponit. Illius revocandi provinciam Iupiter ſummâ omnium conſenſione, præterquam Neptuni, qui Æthiopum causâ aberat, eidem Palladi detulit. Mox illa in Ithacam devolat, & perſonâ Taphij Regis indutâ, auctor eſt Telemacho, ut à Neſtore & Menelao de patre percontetur. Telemachus Deæ præſentiâ erectior, procos domo paternâ exturbare nequidquam conatus, nave conſcensâ Pylum ad Neſtorem contendit. Amanter ab illo exceptus de Græcorum reditu audit bene multa, de patre admodum nihil. Illinc pergit ad Menelaum cum Piſiſtrato Neſtoris filio, Hic cùm multa triſtia ſanè quidem docetur, tum imprimis Vlyſſem deſiderio patriæ, conjugis, & filij tabeſcentem à Calypſo ejus amore perditè captâ, prohiberi reditu. Iterum apud frequentem Deorum Senatum Vlyſſis miſerias, Telemachi labores, & impotentem procorum libidinem defert Minerva. Mercurius ad Calypſo legatur, quæ auctoritatem non auſa defugere, tandem ægrè dimittit. Navigabat Vlyſſes feliciter, cùm tempeſtate fœdâ à Neptuno immiſsâ evertitur nave. Nando ad Phæacum littus appellit. Naufragum excipit Alcinous Phæaciæ Rex, domo, hortis illis celeberrimis, convivio, & ludis. Inter epulas Vlyſſes exoratus, quis ipſe ſit docet: tum ut expugnato Ilio, cum Ciconibus bellum geſſerit; ut in Polyphemi antrum, & poteſtatem venerit; ut ab Æolo ventos in utrem Iſcuſſon multâ prece extulerit. Narrat etiam Læſtrigonum ſævitiem, & ſuum ad Ææam Inſulam appulſum; tum ut ſocios à Circe in ſues vi magicâ mutatos ope Mercurij receperit;

Deinde

Deinde ſuum ad Inferos deſcenſum ex imperio Circes; nec non quibus illic occurrerit, Tireſiæ imprimis, tum Heroïbus, & Heroïnis, exponit. Addit de ſuo ad Circem reditu, poſtea quâ arte Sirenum cantus eluſerit; qui præternavigaverit Scyllam, & Charybdim;&ut ſociis propter cæſa ſolis armenta naufragio amiſſis, ſolus ad Calypſo in Ogygiam Inſulam appulerit. Hîc finem narrandi facit Vlyſſes, quem multis auctum donis in patriam dimittit Alcinous. Cautè Vlyſſes ad Eumæum ſervum jam inde à puero ſibi addictiſſimum ruri commorantem divertit, à quo multa de re domeſticâ de conjuge, de filio, & procis docetur. Interea Telemachus Spartâ in Ithacam Inſulam revenit; neque ipſe primò in urbem cogitat; ſed ad eundem Eumæum, quem de matre, déque procis percontatus in urbem præmittit. Occaſione captâ Vlyſſes ſe filio manifeſtat, quicum de procorum cæde hoc conſilij capit. Telemachus prior venit in urbem. Mox ſequitur Vlyſſes, & mendici habitu procos recognoſcit, altero deinde die illos ſub noctem inter epulas intercipit, & necat. Antelucanâ fugâ ſequenti die, cum filio ad patrem, qui tum in agro habitabat, ſe recipit. Procorum affines tantâ acceptâ clade in Vlyſſem, & Telemachum armati irruunt; quorum impetum Illi cum operis, & ſervitio ſuſtinere parant. Prælium dirimit Minerva, & abalienatas voluntates ad concordiam traducit.

VII. *Iliadis argumentum ſine nominibus, & Epiſodiis.*

Vir in exercitu Princeps, & animi atque corporis robore præſtantiſſimus, inſigni contumeliâ ab Imperatore acceptâ, præ irâ bello abſtinet. Mox retrò fluere res Imperatoris, & fortiſſimus quiſque ab hoſtibus aut perimi, aut vulnerari; diſceſſio ipſa, & fuga parari. Precibus ille, aut etiam muneribus nihil commovetur. Fortè qui ſummus erat illi, ab hoſtibus in prælio concidit. Amici itaque morte atque commiſeratione commotus iterum arma induit, inclinatam rem, ac tantùm non perditam reſtituit; atque hoſtes ulciſcitur graviſſimè. Cætera ſunt in Epiſodiis.

Iliadis aliud argumentum cum nominibus, & ſine Epiſodiis.

Achilli viro Principi, atque fortiſſimo Agamemnon

Græci exercitus Imperator puellam Briſeïdem per ſummam contumeliam abſtraxerat. Ille præ irâ bello abſtinet. Exemplò res Agamemnonis retro, & peſſum ire, fortiſſimus quiſque Græcorum, aut perimi, aut vulnerari. Precibus Achilles nihilominus aut muneribus nihil commovetur. Interea qui Achilli ſummus erat Patroclus in prælio ab Hectore duce Throjanorum occiditur. Hujus miſericordiâ Achilles iterum arma induit, inclinatam Græcorum rem reſtituit, Trojanos interfecto Hectore ulciſcitur ſanè quàm graviter.

VIII. Æneïdos argumentum abſque nominibus & Epiſodiis.

Quidam incensâ ab hoſtibus patriâ cum aliquot popularibus eam in regionem cogitat, è quâ oriundi eſſent majores ejus. Poſt multos terrâ, marique exhauſtos labores tandem illuc pervenit. Accipitur amicè à Dynaſtâ loci, & in generum aſciſcitur. Ægrè id tulit, vicini cujuſdam Regis filius, qui jamdudum nuptias illas ambibat. Grave inter rivales bellum oritur. Pugnatum eſt ſæpe, & atrociter. Victor tandem extorris ille virgine, & regno potitus eſt. Reliqua ſunt in Epiſodiis.

Æneïdos argumentum cum nominibus, ſed ſine Epiſodiis.

Æneas incensâ à Græcis Trojâ cum reliquiis tanti populi mare conſcendit: Italiam, è quâ majores ejus oriundi eſſent, cogitat. Poſt varios terrâ, marique exhauſtos labores ad oram Italicam appellit. Accipitur humaniter à Latino, qui tum Latio imperabat, & in generum aſciſcitur. Ægrè imprimis id tulit Turnus Dauni Rutulorum Regis filius, qui jampridem nuptias illas ambibat. Grave inter rivales bellum oritur. Pugnatum eſt ſæpe, & atrociter. Victor tandem Æneas virgine, & regno potitus eſt.

IX. Gothofredi ſive Hieroſolymæ liberatæ argumentum, ſine nominibus, & Epiſodiis.

Aliquot viri Principes ſocietatem belli pro Religione, ac pietate inierant; rem geſſerant utcunque, eorum tamen conatibus

conatibus obſtabat maximè ἀναρχία. Vnuſquiſque enim dum ſibi ſtudet, rei officit publicæ. Supererat belli totius caput, urbs primaria, & hoſtium arx quodammodo. Communibus itaque illi ſententiis, rei gerendæ unum ex omnibus aliquem præficiunt. Is ſapientiâ, & fortitudine præſtantiſſimus, urbem obſidet, capit, & deletâ impietate, ſanctitatem Religionis, atque morum inſtaurat. Cætera ſunt in Epiſodiis.

Gothofredi ſive Hieroſolymæ liberatæ aliud argumentum, cum nominibus, & ſine Epiſodiis.

Principes Chriſtiani, atque imprimis Galli ſocietatem belli pro Religione, ac pietate Chriſtianâ contra Mahometanos inierant. Rem in Græciâ & Aſiâ geſſerant utcunque; eorum conatibus una obſtabat magimè ἀναρχία. Vnuſquiſque enim ſibi dum ſtudet, rei officit publicæ. Adhuc Hieroſolyma, cujus maximè causâ expeditio ſuſcepta erat, à barbaris tenebatur: neque illius capiendæ in tantâ animorum diſſenſione ſpes erat. Communibus itaque ſententiis Gothofredo Bullonio duci ſumma rei bellicæ defertur. Is Provinciam accipit, urbem obſidet, ac capit; deletáque Mahometanâ impietate, Chriſti cultum inſtaurat.

X. *Religionis ſive Conſtantiniados argumentum ſine nominibus, & Epiſodiis.*

Vir quidam Princeps, pius in paucis, & rei bellicæ ſciens, impotentiſſimo Tyranno, qui nullâ habitâ ſexus, aut ætatis ratione, in omnes, qui pietati ſtuderent, ſæviebat, bellum indicit. Illum terrâ marique profligatum necat: & impietate extinctâ Religionem, ac pietatem coli jubet ſanctiſſimè. Cætera ſunt in Epiſodiis.

Religionis ſive Conſtantiniados argumentum, cum nominibus & ſine Epiſodiis.

Conſtantinus Imperator pius in paucis, & rei bellicæ ſciens Licinio Tyranno impotentiſſimo, qui nullâ habitâ ſexus, aut ætatis ratione in Chriſtianos omnes ſæviebat, bellum

bellum indicit. Illum terrâ, marique profligatum necat. Et impietate extinctâ ſanctitatem Chriſtianam ubique gentium coli jubet ſanctiſſimè.

Etſi Ariſtoteles rationem non attulerit, cur actionem ſuo omni mundo, atque ornatu ſpoliaverit; ea tamen ipſa ſatis ſe prodit. Nam Poëta vacuus à perturbationibus cùm amoris, tum odij æquiùs partes perſonis diſtribuet, déque Epiſodiis conſtituet ſapientiùs. Id peccavit de ſe Taſſus, dum enim ſtudet popularibus ſuis Reginaldo, & Tancredo: iniquior fuit Gothofredo, qui ſummus illi eſſe debuerat, ut ſuprà diſputavimus.

Huic quæſtioni finem ponere religio eſt, antequam de ſignificatione ambiguâ præceptionis Ariſtotelicæ conſtituero. Vbi pronuntiavit Philoſophus cap. XVII. Epiſodia in dramatibus brevia, atque conciſa eſſe debere, adjecit. Ἡ δ' ἐποποιΐα τοῦτοις μηκύνεται. Τῆς γὰρ Ὀδυσσείας μακρὸς λόγος ἐστίν. Id eſt, *At Epopœia per Epiſodia excurrit longè latéque. Nam Odyſſeæ longus eſt ſermo.* Retinentes ſunt quidam hujus vocis μακρός, & imprimis Pacius, Riccobonus, aliique non pauci. Quam opinionem ſuam confirmant, ex priori textu: qui (inquiunt) Epopœia oſtenderetur eſſe longa ab Ariſtotele ex Odyſſea, ſi ejus λόγος μακρὸς *ſermo brevis* foret. Ego verò, quod pace iſtorum fiat, aſſentior aliis, quibus legitur μικρὸς λόγος, ut præceptioni Ariſtotelicæ hæc vis fuerit. In dramatibus Epiſodia brevia ſunto, in Epopœiâ longiora. Quod manifeſtum eſt in Odyſſeâ quæ longa eſt, cùm tamen ejus actio ſive λόγος brevis ſit admodum. Quare magnitudo illi accrevit per Epiſodia illa longiora. Huic ſententiæ conciliatus ſum hac ratione. Hoc ipſo capite actiones appellavit λόγους, ut jam aſſervimus; quamobrem & hîc actio appellata eſt λόγος. Quî autem actionem longâm diceret, & in exemplum afferret actionem Odyſſeæ, quam breviſſimam eſſe oſtendit, ut pote quam quinque, vel ſex lineis comprehendit. Confirmatur hæc ſententia ex textu Ariſtotelico, qui alius eſſe non poteſt ſine vi. Verba ſunt. Ἡ δ' ἐποποιΐα τοῦτοις μηκύνεται. Τῆς γὰρ Ὀδυσσείας μικρὸς λόγος ἐστίν. Cùm ante dixiſſet Tragœdiam breviorem eſſe, & Epopœiam longiorem; rationem affert, quia *Epopœia τοῦτοις, Epiſodiis ſcilicet extenditur, nam Odyſſeæ* λόγος *(id eſt actio) brevis eſt.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO ALTERA.

De Fabulæ Compoſitione.

I. *Status quæſtionis.* II. *Ariſtotelis eâ de re præceptum.* III. *Horatius, Macrobius, Vida, Scaliger, & alij pro ordine perturbato.* IV. *Rationes eorum.* V. *Ariſtoteles, & ejus Interpretes pro recto & naturali ordine.* VI. *Rationes iſtorum.* VII. *Rationes à nobis pro eâdem ſententiâ.* VIII. *Homerus, & Virgilius ſecuti ſunt ordinem naturalem.* IX. *Reſpondetur rationibus adverſariorum.* X. *Quid inter Hiſtoricum, & Poëtam interſit.*

I. QVando ejus, qui ad fabulam inſtruendam animum applicat, primus conatus eſſe debet; ut actionem ab omnibus Epiſodiis, & nominibus ſpoliet, ac diligenter inſpiciat, æquum eſt à nobis nunc quæri, unde is initium ducere, ubi finem ponere conſultò poſſit. Hæc quæſtio à primis uſque temporibus ad hanc ætatem noſtram, magno tum ſtrepitu, tum ambitu deducta, merito ſanè ſuo, ſapientes omnes mirificè habuit ſollicitos. Mentis enim opus, ordo; amentiæ, perturbatio.

Status quæſtionis eſt. Quoniam Actio magnitudine ſuâ pollere debet, ac proinde initio, tum medio, ac demùm fine conſtare; ſitne neceſſarium ut fabulam, ſive Epopœiam Poëta ordiatur ab ineunte Actione, & cum exeunte finem faciat: Veluti ſi reditus Vlyſſis celebrandus ſit; num Poëta lege teneatur aliquâ, ab excidio Trojano initium ducere; & Vlyſſem variis illis erroribus, quo ordine contigêre, perfunctum, Ithacam deducere; an illi ſit integrum pro arbitratu ſuo à mediis, aut poſtremis auſpicari; & prima illa attemperatè, & in tempore, atque loco producere. Aliis itidem verbis ſtatus quæſtionis concipi ſolet. Vtrùm in Poëmate ordo naturalis, an artificialis ſervari debeat.

II. Hìc ſub initia, quod nobis ſolemne eſt, Ariſtotelis doctrina exponi debet. Is edicit quàm ſeverè, illum qui fabulam eleganter inſtituere velit, temerè ordiri non oportere. Δεῖ ἄρα τοὺς συνεστῶτας δὶ μύθους, μήθ' ὁπόθεν ἔτυχεν ἄρχεσθαι, μήθ' ὅπου ἔτυχε τελευτᾶν. Quid igitur? iis (inquit) præceptis quæ tradita ſunt, accuratè inhærendum eſt, ἀλλὰ

κεχρῆσθαι

κεχρῆσθαι ταῖς εἰρημέναις ἰδέαις. Præcepta verò illa & placita, eodem capite hæc traduntur. Primùm quidem Actionem, & magnam debere esse, & totam. Deinde, Totum, quod itidem magnum est, (nam totum est aliquod, cui magnitudo desit) constare principio, medio, & fine. Principium (inquit) est id, præ quo nihil est, & secundùm quod est, aut fit aliquid. Finem verò contrà esse id, quod ex naturâ suâ aut est, aut fit secundùm aliud, cùm secundùm ipsum nihil sit, aut fiat. Medium autem est id quod est secundùm aliud, & præ aliquo, ut à nobis priori quæstione disputatum est. Partes itaque Actionis esse principium, medium & finem jubet Philosophus, demùm profert id edicti, quod initio adduximus. Δεῖ ἄρα τοὺς συνεστῶτας, &c. Nempe illum ordinem ab Epico Poëtâ in fabulâ retinendum esse, ut fabula, sive Poëma ab incunte Actione incipiat, continuetur, & desinat cum eâdem. Hæc explicatio nostra est ejusmodi; ut ab illâ Interpretum Aristotelis nullus discedat. Atque adeò, quibus placet Æneïdis, & Odysseæ actionem perturbatè narratam esse, volunt iidem illis malè cum edicto Atistotelico congruere.

Audientiam, quam sibi fieri utraque pars flagitat, dari æquum est.

III. Ac primò quidem conceptis verbis Horatius vetat Poëtam initium sumere à principio Actionis. Nam & Antimacho id vertit vitio, & Homerum laudat, qui secùs feciſſet. Ait itaque:

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo,
Semper ad eventum festinat, & in medias res
Non secus, ac notas auditorem rapit.

Horatio suffragatur Macrobius VIII. Saturnal. qui auctoritatem suam tuetur Homeri, & Virgilij facto. Conceptis verbis sic loquitur. *Nec illud cum magnâ curâ relaturus sum, licèt (ut existimo non omnibus observatum) quod cùm primo versu promisisset producturum se de Trojæ littoribus Æneam.*

Trojæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lavináque venit
Littora.

Ubi ad januam narrandi venit, Æneæ classem non de Trojâ, sed de Siciliâ producit.

Vix

Vix è conſpectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti, &c.

Quod totum Homericis filis intexuit. Ipſe enim vitans in Poëmate Hiſtoricorum ſimilitudinem, quibus lex eſt incipere ab initio rerum, & continuatam narrationem ad finem uſque perducere, ipſe Poëticâ diſciplinâ à rerum medio cœpit, & ad initium reverſus eſt, &c.

Accedit & Cicero in Epiſt. ad Atticum, qui ὕστερον πρότερον Homericum uſurpat. In eam ſententiam conceſſit Vida eleganter his verſibus in Poëticâ.

Haud ſapiens quiſquam annales ceu congerat Ili,
Inchoat excidium veteris paſtoris ab uſque
Iudicio, memorans ex ordine ſingula, quidquid
Ad Trojam Argolicis ceſſatum eſt Hectore duro.
Conveniet potius prope finem prælia tanta
Ordiri, atque graves iras de virgine raptâ
Averſi Æacidæ præcidere.

Et cætera, quæ longè & eleganter proſequitur. Neque is tantùm verbo præcipit, ſed etiam præit exemplo. Chriſtiadem enim ſuam hoc ordine digeſſit. Tum Scaliger pater, & plerique omnes nuperi prioribus quaſi ſuccenturiati veniunt. Ab exemplo fidem facere nituntur. Nam Homerus cùm bellum Trojanum caneret, aut errores Vlyſſis; à judicio Paridis prius illud Poëma non eſt exorſus; neque poſtremum ab excidio Trojano, ſed à mediis. Virgilius autem Homeri aſſectator, & ejus virtutis ſtudioſus idipſum factitavit, qui à ſeptimo anno peregrinationis Æneæ, Poëmatis initium duxerit.

IV. Ratio, quâ freti id ſentiunt, prima eſt ejuſmodi: Hoc differunt Hiſtoricus maximè & Poëta; quòd ille actionem ab exordiis per intermedia ad finem uſque proſequatur oratione: Poëta verò minimè; ſed, quò attentum teneat, atque ductet lectorem, in re quâpiam eximiâ ponit initium, & leviora premit ſilentio, digniora intexit appoſitè.

Altera ratio eſt à conſequentium naturâ. Atenim (inquiunt) ſanè quàm exigua foret Odyſſeæ Actio ſubjecta. Ægrè enim unius aut alterius menſis erit; circumciſis iis, quæ apud Alcinoum narrantur. Carebit igitur illâ magnitudine, in quâ pulchritudinem, & dignitatem ſitam eſſe voluit Philoſophus.

V. Ab alterâ verò parte ſtat Ariſtoteles, & cum Ariſtotele faciunt omnes ad unum ejus Interpretes: Robortellus, qui Averroëm eâ gratiâ laudat. Victorius, qui ex poteſtate & vi hujus vocis Ariſtotelæ, Δεῖ ἄρα τοὺς, &c. neceſſitatem aliquam adducit. Minturnus in ſuo Poëta. Madius, Lombardus, Benius, &c.

VI. Rationes quibus pugnant, ſunt admodum quinque.

Prima, Natura ſuo quæque loco diſponit; radices arborum tegit, oculis objicit minimè; ramos, folia, flores, fructus ad oſtentationem inſigniter explicat, terræ non infodit: igitur & ars imitatrix naturæ ordinem ſequetur.

Secunda ratio à Plutarcho, libro qui Poëtæ legi debeant, eſt ejuſmodi. Poëſis eſt vocalis pictura, quæ etiam comparatio Ariſtoteli familiaris fuit. At pingendi ars confuſionem & ἀταξίαν aſpernatur à ſe quàm maximè.

Tertia, Perturbatio eſt nox fœda, quæ lucem eripiat, & Poëſim tenebris oppleat.

Quarta, ex Ariſtotele Poëma inſtar eſt animantis perfectæ, & integræ: at, ſi caput pectoris, aut pedum locum invaſerit; monſtrum fiet.

Quinta, Cùm lector fabulæ conſtitutionem ſequatur, quo ordine à Poëtâ elucubrata eſt: ſi ordo perturbatus ſit; perturbari illum, atque confundi neceſſe eſt.

VII. His aliorum rationibus iſtas ego addiderim: Argumentum Epopœiæ breve eſſe debet, ut jam vicimus ex Ariſtotele, quæſtione ſuperiori; qui verò breve erit, quod decem annorum res geſtas complectatur. In Odyſſeâ, quot, quantæ, quàm implexæ ſint actiones, & errores, de quibus omnibus qui ſcribere ſe profiteatur, lectori etiam otioſo odioſus ſit. At cùm Actionem brevem, & ſimplicem quodammodo pollicetur, Vlyſſem veluti procis enectis, Penelopem conjugem recipere: animum auditoris vel brevitate invitat, quem ſubinde lactat variis Epiſodiis, & ornamentis, atque adeò properantem retinet; tum quaſi auctum viribus ad conſtitutum, & propoſitum finem producit gratiſſimè.

Ad hæc Epiſodiis locus nullus erit, ſi omnia per ſe ad fabulæ conſtitutionem pertinent. Catalogus in Iliade Epiſodium eſt, ex Ariſtotele. At ſi bellum Troianum ab raptu Helenæ ordinatim per ſingulas partes inſtituat Homerus

rus; catalogus ille pars eſt ᾠδῆς, non igitur Epiſodium.

VIII. Tum Poëmata, quæ primæ notæ ſunt, naturali florent pulchritudine. De Iliade fidem facit Poëta ipſe. Iram Achillis in argumentum delegit haud dubiè, qui ſic ſtatuat. Μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληιάδεω, &c. Nunc ad Poëma illud qui animum converterit; partes ejus omnes aptas inter ſe,& naturali ſitu ita commiſſas, tam facilè & dilucidè perſpiciet; utì dubij copia non ſit. Quî enim excitata ſit Achillis ira;quas deinde in flammas eruperit; demùm, quî fuerit extincta, ex ordine Poëta cecinit. Errare, longéque falli eos, qui bellum Trojanum totum ab Homero in Iliade ſuſceptum putant, ipſo Homero teſte conſtat. Accedit auctoritas Philoſophi, quì diſertiſſimis iſtis verbis loquitur cap. XXIII. Διὸ ὥσπερ εἰπομεν ἤδη καὶ ταύτῃ θειοτέρως ἂν φανείη Ομηρος παρὰ τοὺς ἄλλους, τῷ μηδὲ τὸν πόλεμον, καίπερ ἔχοντα ἀρχὴν καὶ τέλος, ἐπιχειρῆσαι ποιεῖν ὅλον. Λίαν γὰρ ἂν μέγας, καὶ οὐκ εὐσύνοπτος ἔμελλεν ἔσεσθαι. Id eſt, *Quamobrem ut ſuperiùs monui, vel eo nomine divinus haberi debet Homerus præ cæteris; quia bellum Trojanum alioqui principio, medio, & fine conſtans, totum ſcribere minimè aggreſſus eſt. Ejus enim Poëma nimium excrevisſet, & in unum proſpectum nequivisſet commodè venire.* Et ſubinde. Ἓν μέρος ἀπολαβών, ἐπεισοδίοις κέχρηται πολλοῖς. *At unam partem ſeligens, illam Epiſodiis ornavit.* De Odyſſeâ lis gravior eſſe poteſt. Nam præter eos, qui ſe primæ illi ſententiæ totos manciparunt, non deſunt quibus naturalis ordo cùm placeat, jubeant tamen iidem Æneïdem, & Odyſſeam ordinis eſſe perturbati, & Poëtam utrumque ab Ariſtotelis diſciplinâ alienum eſſe. Eò accuratiùs atque diligentiùs nos id ſtudere æquum eſt; quò in utriuſque Poëmatis auctoritate vires ſuas adverſarij collocarunt.

Aio itaque id oneris duntaxat ab Homero in Odyſſeâ ſuſceptum eſſe, ut ab Ogygiâ Ithacam Vlyſſem reduceret; cætera omnia in Epiſodiis eſſe. Auctorem habeo Ariſtotelem, qui actionem Odyſſeæ brevem pronunciavit; ut diſputatum eſt ſuprà quæſt. 1. hujus II. partis. Deinde, Epiſodiis illis deciſis, conſilium Homeri, & mens eſt integra. Nam etſi Homerus velit à musâ celebrari hominem variis peregrinationibus & laboribus nobilitatum; non tamen ea omnia ſibi cani jubet, ſed partem duntaxat, Τὸν ἀνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον. Homerus verò in aditu

quidem meminit peregrinationum illarum, & laborum; ſed quò *Vlyſſi* ſuo dignitatem apud lectorem conciliet. Eodem ſtudio Salluſtius de bello Catilinario hiſtoriam ſcripturus, meminit naſcentis, adoleſcentis, & ſeneſcentis Romæ: tum quî pueritiam & adoleſcentiam inſtituiſſet Catilina, non quò hæc omnia narrare conaretur; ſed ut notitiam indolis Catilinæ daret, & quo loco eſſet Reſpublica tum, cùm bellum illud excitatum eſt.

Haud abs re noſtrâ erit propoſitionem Odyſſeæ huc adducere, quî mens Homeri cognoſci, & controverſia decidi queat.

Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
Πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε.
Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.
Πολλὰ δ' ὅγ' ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμόν,
Ἀρνύμενος ἥν τε ψυχὴν, καὶ νόστον ἑταίρων.

Virum mihi cane, Muſa, verſutum, qui valdè multùm
Erravit, poſtquam Trojæ ſacrum oppidum evertit;
Multorum hominum vidit urbes, & mores novit.
Multos verò idem in mari paſſus eſt dolores ſuo in animo;
Intentus ſervare & ſuam animam, & reditum ſociorum.

Hem (obtrudunt adverſarij) totum illius reditum, & quidquid in eo contingit aggreditur Poëta, ut ipſe profitetur; & id Horatius docet quàm accuratè. Nam Epiſtol. lib. 1. Epiſtol. 11. his verſibus argumentum Odyſſeæ complexus eſt.

Vtile propoſuit nobis exemplar Vlyſſem:
Qui domitor Trojæ multorum providus urbes;
Et mores hominum inſpexit; latumque per æquor
Dum ſibi, dum ſociis reditum parat, aſpera multa
Pertulit, adverſis rerum immerſabilis undis.
Sirenum voces, & Circes pocula novit:
Quæ ſi cum ſociis ſtultus, cupidusque bibiſſet;
Sub dominâ meretrice fuiſſet turpis, & excors;
Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus.

IX. Ariſtoteli itaque opponitur Poëta uterque, & potior à quibuſdam habetur. At præpoſterè & injuriâ. Quando enim eò provocant, Homeri judicio lis decidatur. Homerus ubi tot, & tanta propoſuit, non illa omnia vir divinus ſibi proponit, ſed tantùm partem, quod rectè monuit

Philoſo

Philoſophus, cùm ait ἀπολαβών ἓν μέρος. Quî fidem facimus? Homeri auctoritate. Loquatur ille per ſeſe. Τῶν ἁμόθεν γε θεὰ θύγατερ Διὸς εἰπὲ καὶ ἡμῖν. *Horum partem aliquam Dea filia Iovis dic nobis.* Partem aliquam (inquit)non omnia. Deinde incipit Poëta, uti Calypſo illum in Ogygiâ retinuerit,& ab eâ illumIthacam deduxit,atque in Epiſodiis&Circen,&Polyphemum,& reliqua cecinit.Fateantur itaque adverſarij ſe indiligentes hac in re fuiſſe, & Ariſtotelem in rerum naturâ veſtigandâ accuratiorem extitiſſe.

Nunc Horatius Vlyſſis labores varios nobis minimè proponit in argumentum Epopœiæ, & Odyſſeæ; ſed in exemplum vitæ, & morum; & ut oſtenderet quid virtus (ut ipſe loquitur) *& quid ſapientia proſit.*

Nos numerus ſumus & fruges conſumere nati
Sponſi Penelopes, nebulones, Alcinoïque, &c.

Neque id docet in Arte Poëticâ Horatius; ſed in Epiſt. ubi rectè vivendi præceptis,non ſcribendi Poëmatis informat Lollium.

Haud aliter de Æneïde, atque de Odyſſeâ eſt ſentiendum. Omnium enim auctorum de utrâque idem eſt judicium, atque cenſura; neque fraudi eſſe poteſt Propoſitio, aut Invocatio Æneïdis, quæ ſic ſe habet:

Arma, virumque cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lavinaque venit
Litora; multum ille & terris jactatus, & alto
Vi Superûm, ſævæ memorem Iunonis ob iram.

Recipit enim in ſe, & pollicetur virum cantare, qui hæc fecerit, tulerítve; non tamen omnia, ſed partem aliquam, ut de Homero judicatum eſt: quare ejus initium eſt:

Vix è conſpectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant, &c.

X. Iam verò vis nulla eſt petitionibus illis, quibus oppugnamur: nam Hiſtoricus à Poëtâ differt, quia verum quâ verum eſt: Poëta veriſimile, aut verum quâ veriſimile ſectatur: Hiſtoricus actiones etiam plures complecti poteſt, Poëta unam: Hiſtoricus ab Epiſodiis ſibi temperat; Poëta indulget largiter: Hiſtoricus voluptati, & admirationi minimè neceſſariò ſtudet; Poëta utramque venatur: Hiſtoricus ſine flagitio nequit fingere; Poëta cum laude poteſt, & debet. Deinde quod vitio vertunt, perbreve fore

argumentum

argumentum Odyſſeæ, & vehemens putant ad objurgandum; laudi ducimus: id totum ex Ariſtotelæâ diſciplinâ conſtitutum eſt ſuprà, quæſt. 1. hujus II. partis.

Maneat igitur eaſdem eſſe partes Fabulæ ſine Epiſodiis, & Actionis. Quamobrem ab iiſdem exorditur Poëta, à quibus Actio incipit, & hanc per incrementa proſecutus, in iiſdem cum illâ deſinit, atque conquieſcit.

QVÆSTIO TERTIA.

De unitâte Fabulæ.

I. *Vnitatem in Fabulâ deſiderat Philoſophus.* II. *Quî Fabula una poſſit eſſe, quæ ſit* πολυμερὴς, *&* πολύμυθος. III. *Fabulas Homeri florere laude unitatis, ac primò quidem Iliadis fabulam.* IV. *Fabula Odyſſeæ una.* V. *Fabula Æneïdos una. Fabula Gothofredi non eſt ſatis una; quare nonnihil peccat in artem.*

I. DE Fabulæ unitate diſertè monet, & cavet quàm ſanctè Philoſophus cap. VI. Μῦθός ἐστιν εἷς. Id eſt, *Fabula eſt una*: quod eodem capite iterum, atque alibi ſæpè repetit. Prætereà multus eſt in unitate illâ explicandâ, ita ut liquidò de mente ejus, & ſententiâ conſtet. Diſputat ibidem, quî Fabula queat eſſe una, & ex quibus rebus eam laudem in ſe derivet. Non (inquit) ab uno homine, neque ab uno tempore; ſed ab unitate Actionis. Χρὴ δὴ καθάπερ ἐν ταῖς ἄλλαις μιμητικαῖς ἡ μία μίμησις ἑνός ἐστι. οὕτω δὲ τὸν μῦθον, ἐπεὶ πράξεως μίμησίς ἐστι, μιᾶς τε εἶναι. Id eſt. Quemadmodum in aliis facultatibus, quæ in imitatione poſitæ ſunt, una unius eſt: ita fabula, cùm actionis ſit imitatio, unius eſt. Id autem conficit iiſdem rationibus, quæ priori parte hujus diſſertationis à nobis pro unitate actionis diſputata ſunt.

II. At hic nodus eſt; quî fabula Epopœiæ ſit una, quæ reipsâ ſit πολυμερὴς, *multarum partium*; & ſpecie tenus πολύμυθος, *multarum fabularum*; quæque Epiſodiis bene multis augeatur. Quî (inquam) una ſit, quæ tot ex partibus, tot actionibus, & fabulis ſit compacta. Ariſtoteles edicit fabulam fore unam, ſi partium inter ſeſe illigatio, & nexus fuerit vel διαλελυμένως, vel κατὰ τὸ εἰκός; neceſſariò, vel congruenter

ter, & aptè. Sapienter (inquit) & eximiè Homerus ſive duce naturâ, ſive arte, in Odyſſeam non concluſit omnia, quæ ab Vlyſſe geſta ſunt; non vulnus in Parnaſſo acceptum; non inſaniam in delectu ſimulatam, &c. Quia unum ex alio aptum, & ſuſpenſum non eſt. Ὧν δὲ θατέρου γινομένου ἀναίσθητον ἢ, ἢ εἰκὸς θάτερον γίνεσθαι. Tum eodem capite pronunciat partes illas, ex quibus aſſurgit Fabula, debere eſſe ejuſmodi; ut, ſi quæ illarum vel moveatur loco, vel putetur, aut circumcidatur, fabula non ſit eadem, neque conſtet ſibi. Quod enim rei non officit abſentiâ, & præſentiâ ſui non prodeſt, nequidem pars eſt rei. Quid porro vult Philoſophus, cùm capite XVIII. ait conſtitutionem Epopœiæ eſſe πολύμυθον, multarum fabularum; & in exemplum adducit Iliadem, vetátque Tragœdiam eſſe ejuſmodi. Nempe docet Iliadem, & Epopœiam quamlibet eſſe unam, atque πολύμυθον; neque hanc virtutem priori officere. Nam una erit, ſi partes illius ex ſeſe aptæ ſint, atque pendeant; πολύμυθος verò non ἐνεργείᾳ, & actu; ſed δυνάμει, atque poteſtate; quatenus ex ſingulis, ſi divellantur, Tragœdiæ totidem queant componi: Sed id diſputatum eſt priori parte diſſertationis, nec non & cætera quæ de unitate quæri poſſunt. Fabula itaque unitate gaudet, cujus partes, & Epiſodia aptè, decenter, & quâdam neceſſitate coaleſcunt.

III. Quando vel eo nomine Philoſophus celebrat Homerum, qui unitati ſtuduerit imprimis, faciamus ejus laudis periculum in Iliade, & Odyſſeâ; deinde etiam in Æneïde, & Hieroſolymâ liberatâ.

Ac primùm Benius controverſiâ XLVII. unitatem Iliadi abjudicat. *Vt proinde* (inquit) *quocunque te vertas, Ilias abſit ab unitate. Id quod ne Ariſtoteles quidem non fatetur, cùm non ſolùm neget in Iliade perfectam eſſe unitatem, verùm etiam vetet, ne Tragica Poëſis, Iliadis inſtar ſit πολύμυθος.* At pace Benij, non ait Ariſtoteles Epopœiæ fabulam non eſſe unam, ſed minùs unam, quàm ſit Tragica. Eſt autem minùs una, quia eſt πολύμυθος, ut explicatum eſt cap. XXVI. Rem propiùs agnoſcamus. Iliadis fabula tribus maximè conſtat: Iurgio, & ſimultatibus inter Achillem & Agamemnonem: tum præliis, & dimicationibus, quibus Trojani & Græci vexati ſunt: demum nece Hectoris. At partes iſtæ inter ſeſe arctiſſimâ neceſſitudine committuntur. Etenim propter

pter jurgium illud Achilles à bello abſtinet, Græcorum vires acciduntur, Patroclus necatur, necem Patrocli ſequitur mors Hectoris. Ita ut unâ ex iſtis partibus divulsâ, non conſtet ſibi fabula. Inane eſt quod objicit Benius, Argumentum Iliadis eſſe excidium Ilij; quod à nomine ſtudet oſtendere. At ſecùs ſentit Homerus, qui de ſe profitetur:

Μῆνιν ἄειδε θεὰ, &c.

Iram cane, Dea, &c.

unam ſcilicet Achillis iram canit, & partes illi adjunctas vel ex neceſſitate, vel κατὰ τὸ εἰκὸς. De nomine, & appellatione ἔντασις, & interceſſio futilis eſt. Nam à loco etiam Tragœdiis, & Comœdiis nomen quæſitum eſt.

IV. Odyſſeæ unitatem hæc oppugnant. I. Tacitâ Telemachi peregrinatione; integra, & incolumis eſt Actio, & fabula Odyſſeæ. II. Telemachi peregrinatio cùm non ſit pars reditûs Vlyſſis, ſi quid ad fabulam attineret, eſſet in Epiſodiis: id autem eſſe nequit; nam Epiſodia intexuntur, & in medium Poëma inſeruntur, utì fidem facit notatio nominis. III. Accedit auctoritas Virgilij, qui prudenter ſcopulum illum vitavit. A Siciliâ enim Æneam deducere aggreditur; præmiſit nihil. Petitiones iſtæ facilè confutantur: prima quidem, quia ut illa peregrinatio non eſſet pars actionis primariæ, eſt tamen pars fabulæ; neque ſine illâ ſatis integra eſſe poteſt Epopœia. Prodeſt enim, & nexa eſt non tantùm κατὰ τὸ εἰκὸς, quod eſſet ſatis; ſed etiam ἀναγκαίως. Etenim auditor doceri debuit, quo loco eſſet res domeſtica Vlyſſis. Tum Telemachi virtus enitere debuit; eâ enim erat ille ætate, ut in eo fortitudo, & in parentem charitas deſideraretur. Deinde, afflicta Regiæ domûs fortuna Deos commovit. Eſt itaque peregrinatio Telemachi cum rebus circunſtantibus pars fabulæ legitima, cùm & utilis ſit, & neceſſariò apta cum aliis. Altera exceptio eluditur; quia illa peregrinatio non eſt in Epiſodiis, ſed pars Epopœiæ. Tertiæ vis eſt nulla: non enim Æneas in Italiâ familiam habuit; unde illum deduceret Virgilius.

Multos ludificata eſt unitas illa duplex, quarum altera eſt Actionis, altera Fabulæ: unitate utrâque gaudent Odyſſea & Ilias: neutra enim Actio eſt πολυμερὴς, fabula autem eſt πολυμερὴς & πολύμυθος quodammodo.

V. De

V. De Æneïde dubio non eſt locus, quin ſit una, cujus unitati ſi quid officere videri poſſet, maximè amores Didûs. At non officiunt: hæc enim rectè committuntur; navigatio, tempeſtas, appulſus in Africam, humanitas Didûs. Ad hæc utriuſque conditio & fortuna par fuit; uterque viduus, exul, & Rex: quid convenientius, & aptius nuptiis inter eos conjuges?

VI. Hieroſolyma Torquati dubij copiam facit. Quî enim amores Reginaldi & Armidæ cum actione Gothofredi connectuntur? Totos tres, & plures libros ſolidos complent, ubi nulla Godofredi mentio habetur. Quid ego de Tancredi, Herminiæ, Chlorindæ & aliorum variis Epiſodiis querar, quæ longè maximam atque nobiliſſimam partem Poëmatis efficiunt, ſine quibus non actio tantùm, ſed etiam fabula Poëmatis eſſe poterat tota. Deleantur enim Epiſodia Reginaldi, Tancredi, &c. integra erit Epopœia: neque ſe Virgilij auctoritate purgaverit, aut Homeri. Quia Didûs amores ſunt κατὰ τὸ εἰκὸς, & cum verisimilitudine, necnon narrationes Vlyſſis apud Alcinoüm: deinde Heroï conveniunt, non alteri. Hoſpitem rogat hoſpes, quis ſit, & unde ejectus in littus: quid æquius? quàm ab eo illa narrari, quæ poſtulantur à bene meritis: unde varij affectus excitantur. At Epiſodia illa longiſſima, quæ nihil ad Heroëm pertineant, peccata ſunt in artem Poëticam graviſſima. Περὶ δ' πολύπλοκος fabulæ, ſcilicet quòd ſit tota: quod moneam, unum eſt, Fabulam totam eſſe, & integram, quæ Actionem complectatur. Quamobrem Ilias, Odyſſea, Æneis & Hieroſolyma illâ laude florent.

QVÆSTIO QVARTA.

De Fabulæ alterâ virtute; Quòd ſit ſimplex.

I. *Ambigua poteſtas hujus vocis, τὸ ἁπλοῦν, detergitur; unde exiſtebat difficultas in Ariſtotele maxima.* II. *Quid Fabula ſimplex, quid implicata.* III. *Quid Peripetia.* IV. *Quid Agnitio.* V. *Quid Fabula duplicis, & ſimplicis conſtitutionis.* VI. *Solvitur difficultas textûs Ariſtotelici, initio propoſita.* VII. *Qui Fabula poſſit eſſe ſine Peripetiâ.* VIII. *Cur Fabula implexa ſit melior ſimplici.* IX. *Quid πάθος in fabulâ.*

I. TVrbæ hic occaſionem dedit Philoſophus: nam cap. XIII. fabulam ſimplicem rejicit. Ἐπεὶδὴ ὃν δεῖ τὴν σύνθεσιν εἶναι τὴν καλλίστης τραγῳδίας μὴ ἁπλῆν, ἀλλὰ πεπλεγμένην. Id eſt, *Quandoquidem neceſſe eſt Tragœdiæ pulcherrimæ conſtitutionem non eſſe ſimplicem, ſed implicatam.* En repudiat. At capite eodem fabulam ſimplicem pulcherrimam eſſe jubet. Ἀνάγκη ἄρα τὸν καλῶς μῦθον ἁπλοῦν εἶναι μᾶλλον, ἢ διπλοῦν. Id eſt, *Neceſſe eſt fabulam ſimplicem præſtare duplici.* Ecce approbat. Mira itaque Philoſophi ἐνάντιωσις nonnullis videri poterit. Nodus ſic ſolvitur explicatâ vocis hujus ἁπλοῦν ambiguitate. Nam τὸ ἁπλοῦν, id eſt, *ſimplex*, ab Ariſtotele opponitur τῷ πεπλεγμένῳ; id eſt, *ei quod eſt implicatum*, aliàs verò τῷ διπλῷ; id eſt, *duplici*. Simplex itaque poteſtatis eſt anceps. Alterius quidem, quâ ſignificat id quod non eſt implicatum: alterius, quâ ſignificat id quod non eſt duplum. Id diſcriminis in lucem veniet ex iis, quæ ſubjicientur, definitionibus.

II. Ariſtoteles cap. x. edicit fabularum alias eſſe implicatas, alias ſimplices, tum earum rationes peti ab actionibus: & jure quidem ac meritò, cùm fabula ſit actio ipſa, ſed culta & ornata: Εἰσὶ δ' οἱ μὲν μῦθοι οἱ μὲν ἁπλοῖ, οἱ δὲ πεπλεγμένοι. Καὶ γὰρ αἱ πράξεις, ὧν μιμήσεις οἱ μῦθοί εἰσιν, εὐθὺς τοιαῦται. Deinde utramque actionem definit, ac primò quidem ſimplicem, in hæc verba. Λέγω δ' ἁπλῆν μὲν πρᾶξιν, ἧς γενομένης ὅπερ ὥρισται συνεχοῦς, καὶ μιᾶς δίχα περιπετείας, ἢ ἀναγνωρισμοῦ ἡ μετάβασις γίνεται. Id eſt. *Actionem*

nem ſimplicem definio, cujus tranſitus ſit ſine Peripetiâ, & agnitione; cùm ipſa ſit, ut dictum eſt, continua, & una. Hic caveri debet Paccij verſionem vitioſam eſſe, qui μετάβασιν dixit mutationem, quæ ſit tranſitus. Aliud enim μεταβολὴ apud Philoſophum, aliud μετάβασις ut quæſt. IV. primæ partis docuimus. Tum & Heinſij manca eſt verſio, cui deeſt Peripetia. Continuò definit Ariſtoteles implicatam Actionem his verbis. Πεπλεγμένην ἐξ ἧς μετὰ ἀναγνωρισμοῦ, ἢ περιπετείας, ἢ ἀμφοῖν ἡ μετάβασίς ἐστιν. Id eſt, *Implexam dico illam, ex quâ cum agnitione, vel Peripetiâ, aut utràque fit tranſitus.* Tum addit hæc omnia, Peripetias ſcilicet, agnitiones, & tranſitum tam aptè inter ſe nexa eſſe debere; ut à ſe mutuò pendeant, ἢ ἐξ ἀνάγκης, ἢ κατὰ τὸ εἰκὸς, aut ex neceſſitate, aut ex veriſimilitudine. Fabula itaque ſimplex eſt illa, quæ caret agnitione & Peripetiâ: compoſita verò, quæ alterutrâ vel utrâque gaudet; ſiquidem eadem eſt ratio fabulæ, & Actionis.

III. At quid eſt Agnitio? Quid Peripetia? Ἔστι δ' περιπέτεια μὲν (inquit) ἡ εἰς τὸ ἐναντίον τῶν πραττομένων μεταβολὴ, καθάπερ εἴρηται. Καὶ τοῦτο δ' ὥσπερ λέγομεν, κατὰ τὸ εἰκὸς, ἢ ἀναγκαῖον, cap. XI. *Eſt autem Peripetia eorum quæ aguntur mutatio in contrarium, quemadmodum diximus, vel veriſimiliter, vel neceſſariò.* Multis exemplis præter morem definitionem ſuam Philoſophus illuſtrat. Nuntius Oedipodi apud Sophoclem exponit, quo is eſſet genere; eò quidem, ut illum ſuſpicione, ac metu, de matre liberaret; at contrarium efficit. Cæteris exemplis parcimus, hoc unum ſit ſatis.

Hîc locus diſputandi de Peripetiâ ſe dat opportunè, à quâ tamen abſtinebo me; cùm de illâ à multis, iisque luculentis auctoribus, in causâ Tragœdiæ diſputatum ſit uberrimè. Ariſtotelicum illud tamen καθ' εἰκὸς, ἢ καθ' ἀναγκαῖον, præterire homini Philoſopho non licet, quo imprimis, qui Romaneſci vocantur auctores, ab Epicis Poëtis ſejunguntur. Nam cùm illi uni voluptati ſerviant, undecunque nullâ habitâ veriſimilitudinis, nedum neceſſitatis ratione, rerum delicias captant: hi verò, cùm civium utilitati ſtudeant, veriſimilitudinem actionum ſectantur, quò fidem faciant; & quò animum lectoris teneant, ſuavitatis nonnihil aſpergunt, ſervatâ tamen veriſimilitudine; ut coquus, qui languenti ſtomacho cibum condit, non verò corrumpit funditus.

Placent itaque Amadiſiorum libri adoleſcentum animis, & rerum imprudentibus, propter ſuas illas admirabiles peripetias, quarum multitudine & frequentiâ redundant: ſunt tamen iidem moribus inimici, quia illos corrumpunt; & ut non fuerint noxij, ſunt tamen inutiles, qui virtutem ſuadeant; quia veriſimilitudine carent, ac proinde conſequenter illâ vi, & efficientiâ, quâ poteſt animus ad imitationem impelli.

Quæcunque igitur Peripetiæ, quæ non ſint veriſimiles, aut nexu veriſimili non ſint conjunctæ cum reliquis partibus Epopœiæ, ex edicto Philoſophi non ſunt idoneæ Poëmati ornando.

Exemplo hæc præceptio erit illuſtris. Memini me propè puerum legere in libello, qui Francus Sagittarius dicebatur, Zerbinum amore Florizellæ virginis captum, cùm ejus potiundæ ſpem amiſiſſet, in mare ſe præcipitem dediſſe. Nereïdes adoleſcentis pulchritudine captæ, illum amanter excipiunt; intra mare (quid enim illæ non poſſint?) palatium illi ædificant, ſæpè inviſunt, & miris blandimentis nequidquam conſolantur. Ille enim Florizellæ ſuæ amantiſſimus Dearum officia nihili ducit. Quare Nereïdes tot repulſis infenſæ, tandem aliquando hominem medios in fluctus ejiciunt. Eo ipſo tempore regia Florizella in littore ſpatiabatur. Contigit autem piſcatores everriculo Zerbinum intercipere, & ad littus pro piſce exponere. Mira hîc peripetia oritur. Nam Zerbinum Florizella agnoſcit: is verò ubi aquam evomuit, nondum tamen ſuî compos, incertus viverétne, an extinctus foret, verſaretúrne in fluctibus, an in palatio Nereïdum; multa coram ſuâ Florizellâ de Florizellâ amanter dicit, & queritur. Qui motus animorum? quàm bella peripetia? ſed quæ minimè congruat dignitati Poëmatis Epici, cùm careat veriſimilitudine.

Cùm hoc de veriſimili præceptum magni ſit momenti, operæ pretium erit alterum exemplum adducere.

Herminiam Telemachi amantem pater Thoas in turrim quæ medio in mari ſita erat, incluſit, jubétque illam intra menſem ita amoribus ſuis moderari, ut illo elapſo Anchiſæ nubat. Telemachus longiùs aberat, & à Thoante de induſtriâ fuerat miſſus cum exercitu contra hoſtes.

Is turbæ iſtius ignarus redibat. Poſtremâ nocte menſis conceſſi prope turrim jacit anchoras, ne ſi navigetur propiùs ad littus, navis illidatur. Ecce mediâ nocte, eâque obſcuriſſimâ, cùm ſilent omnia, Herminia imprudens, & neſcia ibi navem eſſe, ſupremam turrim conſcendit, & moritura ſe præcipitat. Commodè ſanè media in vela incidit, quibus excepta eſt. Strepitu excitatur Telemachus, jubet inſpici quid rerum ſit. Affertur ſemimortua tum caſu, tum dolore Herminia. En Peripetiam.

Hæ inquam Peripetiæ, & ſimiles, fabulis anilibus aptæ ſunt; Poëmatibus verò minimè.

IV. Agnitionis verò definitionem his verbis comprehendit. Eodem cap. XI. Ἀναγνώρισίς ἐστιν ὥσπερ ἓξ τοὔνομα σημαίνῃ, ἐξ ἀγνοίας εἰς γνῶσιν μεταβολή, ἢ εἰς φιλίαν, ἢ ἐχθραν τῶν πρὸς εὐτυχίαν, ἢ δυστυχίαν ὡρισμένων. *Agnitio eſt, ut etiam ex nomine liquet, ex ignorantiâ in cognitionem mutatio. Ex quâ amicitia, vel inimicitia oritur inter eos, qui felices, vel infelices fieri debent.*

Ad hæc monet pulcherrimam eſſe Agnitionem, quicum annexa ſit Peripetia. Exemplum ponit Ariſtoteles in Oedipode. Nam ubi agnovit, quis eſſet, in infelicitatem incidit. Aliud à nobis eſto in Odyſſeâ. Penelope Vlyſſem ubi agnovit, felix evaſit. Illa peripetia Tragœdiæ aptior, hæc Epopœiæ. Illa enim mœroris, & terroris plena, hæc felicitatis & dignitatis. Sit & tertium exemplum à Torquato. Chlorindam ubi novit Tancredus, in miſeriam incidit. Hoc deterius eſt aliis duobus, quia non eſt in μεταβάσει fabulæ; id eſt, non eſt in tranſitu ad ſtatum, quemadmodum alia duo.

Cùm itaque fabula ſimplex ſit, quæ Peripetiis & Agnitionibus vacua eſt; implicata verò, quæ utrisque eſt læta; ait Philoſophus implicatam potiorem eſſe ſimplici: atque ſic ſimplex componitur cum implicatâ.

Nunc de ſimplici, ut committitur cum duplici, quæramus.

V. Fabulam duplicis conſtitutionis, quam Ariſtoteles cap. XIII. poſtponit ſimplici, ſic definit. Δευτέρα δ', ἡ πρώτη λεγομένη ὑπό τινων, ἔστι σύστασις, ἡ διπλῆν τὴν σύστασιν ἔχουσα. Id eſt, *Altera conſtitutio, quæ à quibuſdam prima dicitur, eſt ea, quæ duplicem habet conſtitutionem.* Eſt autem talis quando oritur

tur ſtatus duplex perſonarum ; ut in exemplo allato ab Ariſtotele ex Odyſſeâ. Nam proci, qui ſibi beati videbantur, evadunt miſeri : contrà Vlyſſes, Telemachus, Penelope, qui utebantur adversâ fortunâ, evadunt beati.

VI. Simplicis verò conſtitutionis fabula eſt, in quâ oritur unus ſtatus : quando ſcilicet qui felices erant fiunt miſeri, aut qui infelices, evadunt beati : ſed & omnes, & de quibus eſt fabula. Ait itaque Ariſtoteles fabulam ſimplicis conſtitutionis meliorem, & potiorem eſſe eâ quæ ſit duplicis ; ac proinde ſecum minimè pugnat. Nam *cùm implicatam præfert ſimplici*, id edicit de fabulâ, in quâ ſunt Peripetiæ & Agnitiones, quæ præſtantior eſt eâ, quæ illis caret, quæque ſimplex appellatur. At cùm ſimplicem præfert duplici, ſimplicis nomine intelligit eam, quæ unius eſt conſtitutionis ; duplicis verò, quæ geminam habet conſtitutionem.

Quando autem ſimplex iſta conſtitutio in Epopœiam non cadit, idcircò de eâ litem non movebo, & quæſtionem illam aliis relinquo integram; nam & in Iliade, & Odyſſeâ, ut hic monet Ariſtoteles ; & in Æneïde, & in Hieroſoly-ma, ut res ipſa loquitur, duplex eſt conſtitutio. In primâ victores Græci, victi Trojani, & ita de cæteris.

VII. Duo hic quæri meritò poſſunt. Alterum, quî fabula, quæ ſimplex dicta eſt, eſſe poſſit ſine peripetiâ & agnitione. Alterum, cur fabula implicata ſimplici ſit potior. Priori quæſtioni factum eſt ſatis priori parte hujus diſſertationis.

VIII. De alterâ quæſtione, cur implicata fabula ſimplici ſit potior, liquet, quia peripetias continet, atque agnitiones; in quibus eſt varietas atque pugna rerum : tum quia etiam ingenij quandam mutationem facit : quæ duæ cauſæ ſunt, cur placeant ea, in quibus nobis placemus ; ut diſputabit quæſtio de ſententiâ, & acutè dictis.

IX. Attexit Philoſophus Peripetiæ, & Agnitioni τὸ πάθος, id eſt, affectionem gravem ſive corporis, ſive animi, cujus definitionem hanc affert ibidem. Πάθος ἐστὶ πρᾶξις φθαρτικὴ, ἢ ὀδυνηρή ; *affectio eſt actio, quæ conficiat, aut inurat dolorem.* Exempla ponit in nece, cruciatu, vulneribus, & ſimilibus. Nempe eſt ea pars actionis, quæ ciendis in auditorum animis motibus, atque perturbationibus ſit accommodata

commodata, ut nex Hippolyti apud Senecam. Qui verò perturbationes excitari, aut mitigari queant, Rhetoricæ eſt provinciæ.

QVÆSTIO QVINTA.

De partibus fabulæ Epicæ KATA TO ΠΟΣΟΝ, id eſt, ſecundùm quantitatem, de Nexu, Solutione, Invocatione, & Propoſitione.

I. *Partes fabulæ κατὰ τὸ ποσόν.* II. *Definitiones nexûs & ſolutionis in fabulâ.* III. *Epiſodia ſunt in nexu, non in ſolutione.* IV. *Solutio debet eſſe ſine machinâ.* V. *Benius tertiam partem nequidquam adducit.* VI. *Invocatio, & Propoſitio in Poëmate quænam eſſe debeant.*

DE virtutibus fabulæ diſputatum eſt, nunc de partibus illius κατὰ τὸ ποσόν, ut loquitur Philoſophus, & ut Scholis placet loqui, de partibus integrantibus quærimus.

I. Ac primùm quidem cap. XII. Tragœdiam in quatuor partes diſtribuit; Prologum, Epiſodium, Exodum, & Choricum. Verùm de iſtis partibus litem non ſequimur, cùm Tragicæ ſint ditionis. Idem Philoſophus capite XVIII. aliam partium init rationem: Ἔστι δ' πάσης τραγῳδίας τὸ μὲν δέσις, τὸ δ' λύσις. Id eſt, Tragœdiæ omnis pars altera eſt nexus, altera eſt ſolutio: quæ duæ partes ſunt communes Tragœdiæ & Epopœiæ. Nexum ita definit cap. XVIII. Λέγω δ' δέσιν μὲν εἶναι τοῦτο ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τούτου ἂφ' οὗ μέρους, ὃ ἔσχατόν ἐστιν, ἐξ οὗ μεταβαίνει εἰς εὐτυχίαν. Non dubium quin ſuppleri debeat ἢ ἀτυχίαν. Id eſt, *Appello Nexum partem illam fabulæ, quæ eſt ab initio uſque ad eam partem, unde fit tranſitus ad felicitatem, vel infelicitatem.*

II. Solutionis definitio eſt hæc. Λύσιν δ' (λέγω) τὴν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς μεταβάσεως μέχρι τέλους. Id eſt, *Solutionem (appello) partem eam fabulæ, quæ eſt à principio tranſitûs, ad finem uſque.*

Ab exemplo lucem dedit Philoſophus, in Lynceo Theodectæ. Quæ præcedunt accuſationem, omnia pertinent ad nexum

nexum: accuſatio verò, cum reliquis, ad ſolutionem. At cùm non extet Tragœdia Theodectæ, nihil hîc ſatis perſpicimus. In Odyſſeâ res clarebit. Quidquid antecedit jurgium inter procos & Vlyſſem, id ego in nexu colloco; quod à jurgio ad finem eſt, id in ſolutione pono. In Iliade quidquid prævit ſingulari certamini, quo Achilles & Hector decertarunt, eſt in nexu; quidquid ſequitur, in ſolutione numeratur.

III. Id porro magni eſt momenti, quod monet Ariſtoteles: In fabulâ quæ ſunt ἔξωθεν, externa ſcilicet, pleraque omnia contineri in ſolutione: quæ ἔσωθεν, nempe interna, partim in ſolutione, partim in nexu. Τὰ μὲν ἔξωθεν, ⸫ ἔνια τῶν ἔσωθεν πολλάκις ἡ δέσις. τὸ ⸫ λοιπὸν ἡ λύσις. Huic præceptioni hæc vis, & poteſtas ſubjicitur: Epiſodia, quæ ornandæ fabulæ ſerviunt, & petuntur ab extrinſeco, & non à viſceribus, ut ita dicam, actionis, in nexum cadunt, non in ſolutionem. Rationem nullam affert Philoſophus; à nobis hæc eſto. In ſolutione anhelat auditor ad finem: odioſum itaque eſſet illum morari variis Epiſodiis; tum ægrè feret affectus excitatos longo ſermone frigere. Vide Epiſodia eſſe bene multa in Odyſſeâ, at omnia ante mortem procorum: tum in Iliade quæ ſunt Epiſodia, duellum Hectoris antecedunt. Innuit tamen Ariſtoteles non omnia Epiſodia nexu contineri, cùm ait πολλάκις, *ſæpè*; nam brevia aliqua eſſe poſſunt, ut inter Penelopem & *Vlyſſem*, poſt necem procorum; ſed quæ pertineant ad agnitionem, & motus varios excitandos, quæque ſint brevia.

IV. Edictum hîc eſt Ariſtotelis grave. Cap. enim xv. quo vetat ſolutionem fieri per machinam, & jubet fieri ex veriſimili; id eſt, ratione naturali, quâ res exire ſolent. Φανερὸν δ' ὅτι ⸫ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, ⸫ μὴ ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ ἀπὸ τῆς μηχανῆς. Id eſt, *Manifeſtum eſt ſolutiones fabularum ex ipsâ fabulâ exiſtere debere, & non ut in Medeâ, per machinam.* Ratio præceptionis Ariſtotelicæ eſt, quia turpe eſt Heroëm actionem illam inceptare, cui par non ſit, & quam non poſſit ad exitum perducere ſine machinâ: tum Actio fini Epopœiæ non congrueret. Nemo enim ad id facinoris excitabitur, quod per ſeſe exequi poſſe diffidet. Reliqua, quæ ad machinam pertinent, diſputata ſunt abundè.

V. Partes

V. Partes itaque Epopœiæ ſunt duæ; Nexus, & Solutio; neque locus erit tertiæ parti Benianæ, quæ præcedat nexum, ut ille jubet partic. xci. quaſi vero prima pars Epopœiæ non pertineat ad nexum. Sed neque tranſitus eſt aliqua tertia pars diſtincta à nexu & ſolutione, cùm ἀμέσως, & protinus ex Ariſtotele nexum excipiat ſolutio. Hac de re qui dubitant, doctrinæ Peripateticæ non ſunt aſſueti, in quâ præſens tempus quod committit præteritum & futurum, non eſt tertia quædam pars motûs ab illis diſtincta, ut in Phyſicis diſputatur: ita & tranſitus ille fabulæ, quem hîc appellat μετάβασιν, non eſt quædam tertia pars diſtincta à nexu, & ſolutione.

VI. Propoſitio, & Invocatio Poëmatis Epici quidem partes non ſunt ἰδιωδεῖς, eſſentiales; vel etiam κατὰ τὸ πρεπόν: ſed ſunt veluti quædam anteceſſiones, quibus uſi ſunt Poëtæ Epici omnes. Propoſitio quidem adhibetur, quæ auditorem docilem faciat: Invocatio verò, quæ actionis magnitudinem, & Poëtæ in Deos pietatem, tum etiam animi moderationem ſignificet. De Propoſitione nihil melius, vel elegantius adduci poteſt Horatij præcepto.

Non ſic incipies, ut Scriptor Cyclicus olim.
Fortunam Priami cantabo, & nobile fatum.
Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.
Quantò rectiùs hic, qui nil molitur ineptè.
Dic mihi, Muſa, virum, captæ poſt tempora Trojæ
Qui mores hominum multorum vidit, & urbes.
Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut ſpecioſa dehinc miracula promat
Antiphatem, Scyllamque, & cum Cyclope Charybdim.

Hæc initia, ſi Horatio ſtomachum movêre, quid fiet Arioſto, hinc qui ordiatur.

Le donne i Cavalier, l'arme, gli amori
Le Corteſie, l'audaci impreſe, io canto
Che furo al tempo, che paſſaro i mori
D'Africa il mare, &c.

Hoc non turgidum tantùm, ſed inſanum eſt. Illud etiam Claudiani & verbis & ſenſu tumidum eſt.

Inferni raptoris equos, afflatâque curru
Sidera Tænario; caligantéſque profundæ

Iunonis thalamos audaci promere cantu
Mens congesta jubet.

Vægrande est initium Papinij.

Magnanimum Æacidam, formidatámque Tonantis
Progeniem.

Quantò sapientiùs Poëtæ Latinus, Græcus, & Italus, quorum initia sunt in ore omnium.

De Invocatione id tantùm moneo; Poëtæ Christiano indecorum esse Musas profanas, & Apollinem invocare. Parnassi certè, & Hyppocrenes meminisse in Invocatione nolim; eò quòd in appellatione Divinitatis, præsertim initio Poëmatis, veros animi sensus Poëta testetur, qui ipse de se loquatur.

QVÆSTIO SEXTA.

De Episodio.

I. *Ambiguitas vocis exponitur.* II. *Episodij definitio traditur.* III. *Quid sit Fabula Episodica, & quid in illâ vitij.*

I. EPisodium definire haud levis est operæ. Aristoteles quidem exemplo illud indicavit; definivit verò minimè. Qui secuti sunt Aristotelem auctores, ab eâ definitione se abstinuerunt. Non eò velim ad id aggredi, quò plus me videre putem, sed quia Philosophica disputandi ratio id à me suo jure postulat.

Episodium Aristoteli significationis est non unius. Nam aliquando eam in partem accipitur, ut sit pars κατὰ τὸ ποσόν. His verbis loquitur Philosophus cap. VII. Κατὰ τὸ ποσὸν δὲ εἰς ἃ διαιρεῖται κεχωρισμένα· τάδε ἐστὶ, Πρόλογος, ἐπεισόδιον, ἔξοδος, χορικόν. Id est, *Partes Tragœdiæ secundùm quantitatem, & in quæ dividitur separata. Prologus, Episodium, Exodus, Choricon.* Eodem cap. attexit. Ἐπεισόδιον δ' μέρος ὅλον τραγῳδίας, τὸ μεταξὺ ὅλων χορικῶν. Id est, *Episodium est tota illa pars Tragœdiæ, quæ Choros interjacet.* Nullus hìc ego disputo, quæ pars Tragœdiæ sit hoc Episodium; non enim id est in Epici Poëtæ ditione.

At Episodio alia quoque vis est, & significatio, de quâ lis & controversia esse potest.

Ac

Ac primùm de verbo altercari non placet. Etymon ſi ſpectes, Epiſodium eſt inſertum quiddam in carminis fabulam.

Suidas Epiſodium eſſe aſſerit πᾶν ἐξαλώτιον πρᾶγμα, *rem omnem, quæ ſit extra cauſam.* At hæc definitio laxior eſt; convenit enim deſcriptionibus, comparationibus, & ornatui externo.

II. Definitio Epiſodij hæc eſto. Actio adjectitia, aptâ, & neceſſariâ quâdam connexione cum actione primariâ conjuncta. Quatuor ſunt ejus laudes: prima, ut ſit Actio; altera, ut ſit adjectitia; tertia, ut aptè committatur cum actione primariâ; quarta, ut neceſſitate, non ἁπλῇ, ſed aliquâ tamen componatur.

Prima eſt, ut ſit Actio. Nam deſcriptiones, comparationes, narrationum bene multæ non ſunt in Epiſodiis; quia non ſunt actiones. Ecquis enim tempeſtatis deſcriptionem, quâ Æneas in mari Siculo, aut quâ Vlyſſes navigans à Calypſo vexati ſunt, in Epiſodiis numeret? Neque comparatio, quâ Æneas, & Turnus XII. Æneïdos cum duobus tauris conferuntur, inter Epiſodia cenſebitur: at excidium Trojæ, peregrinatio Æneæ, quæ duobus libris continentur. Tum in Odyſſeâ bellum cum Ciconibus, antrum Cyclopis, & quæ lib. IX. X. & ſequentibus narrat ſuper menſam Vlyſſes, omnium conſenſu & plauſu Epiſodia dicuntur; cùm ſint Actiones.

Altera laus, ut ſit adjectitia; id eſt, ut ab actione primariâ diſtinguatur, neque ejus ſit pars. Quamobrem actio primaria tota, & perfecta eſſe poteſt ſine Epiſodio. Id auctoritate, & exemplo clarebit: exemplo quidem: nam quid rei eſt, cur Ithacæ Vlyſſes applicare non poſſit, niſi errorum ſuorum hiſtoriam texat? Auctoritate verò; Ariſtoteles cap. XVII. ubi loci præſcribit, quî Epicum Poëma concinnari queat; primò actionem nudam nominibus perſonarum, & Epiſodiis conſtrui jubet; tum veſtiri nominibus, ac demùm ornari Epiſodiis, utì hac diſſertationis parte explicatum eſt. Ex quo conficitur cum Actione non implicari Epiſodia, ſiquidem illi conſtitutæ accedunt.

Tertia laus eſt, ut apta ſit; hoc eſt, neque longè petita, neque ingratiis adducta, aut vi contorta. Ab Ariſtotele id reſcribo, qui cap. IX. peſſimam eſſe fabulam docet, in quâ

Episodia apta non sint, uti mox exponemus, cùm de Fabulâ Episodicâ disputabimus. Insignis porro est eâ de re præceptio Horatij.

Humano capiti cervicem pictor equinam
Iungere si velit, & varias inducere formas;
Undique collatis membris ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa supernè.

Et cætera quidem luculenter, sed omnibus nota. Tum illud imprimis:

Inceptis gravibus plerumque, & magna professis
Purpureus latè qui splendeat unus, & alter
Assuitur pannus.

Pulchrè. *Sed non erat his locus.*

Quarta laus est, ut necessitudine quâdam cum primariâ actione committatur: atque hæc conditio docetur ab Aristotele cap. IX. Quæ verò necessaria connexio hîc dicitur, non est ἁπλῆ, sed aliquatenus. Nempe actio illa, quæ Episodium est, præteriri poterat; at in fabulæ textum ita conjecta est, ut citra culpam, & cum officio præteriri nequeat. Vt Didoni de se quam optimè meritæ, petenti negare non potuit Æneas narrationem excidij Trojani, neque Alcinoo Vlysses officium, quo postulabatur ut errores suos narraret.

De loco Episodij jam constituimus, cùm de nexu & solutione fabulæ disputatum est.

Episodia & longa, & frequentia in Epopœiâ esse possunt; in Tragœdiâ & breviùs & rariùs frequentari debent. Aristoteles cap. XXIV. Ὥστε τοῦτο ἔχει τὸ ἁρμόττον εἰς μεγαλοπρέπειαν, καὶ τὸ μεταβάλλειν τὸν ἀκούοντα, ἐπεισοδίοις ἀνομοίοις ἐπεισοδίοις. Ad verbum. *In Epopœiâ, hoc est in primis ad magnificentiam & mutationem auditoris, ut Episodiis dissimilibus utatur Poëta.*

Quàm longa esse queant, liber alter & tertius Æneïdos docent; quam frequentia, Ilias, & Odyssea.

Peccant in naturam Episodiorum, qui Νῆσα, ἀποπλοῦν, ἔκθεσιν in Episodiis Odysseæ numerant. Nam si hæc sunt Episodia, nullæ erunt partes essentiales Actionis. Non enim potuit à Calypsûs Insulâ in Ithacam appellere Vlysses, nisi naviget. Cur itaque in Episodiis ea erit navigatio, sine quâ Actio constitui non potest? Atque eadem est de cæteris censura.

At in navigatione tempestas; & in excensu illo expositio

tio

tio, quæ eſt ἔκθεσις, erunt in Epiſodiis, cùm abſque illis Ithacam Vlyſſes venire potuit? Eſto ſanè; non tamen tempeſtas illa, & expoſitio erunt Epiſodia, cùm non ſint actiones, ſed actionum modi quidam atque rationes.

III. De Fabulâ Epiſodicâ nequicquam à multis turbatur. Ariſtoteles cap. IX. in hæc verba loquitur. Τῶν δ' ἁπλῶν μύθων καὶ πράξεων αἱ ἐπεισοδιώδεις εἰσὶ χείρισαι. Λέγω δ' ἐπεισοδιώδη μῦθον ἐν ᾧ τὰ ἐπεισόδια μεθ' ἁλληλα οὔτε εἰκὸς, οὔτε ἀναγκαῖα εἶναι, &c. Id eſt, *Simplicium fabularum & actionum peſſimæ ſunt Epiſodicæ. Appello autem Fabulam Epiſodicam, in quâ Epiſodia neque veriſimiliter, neque neceſſariò connexa ſunt.* Quæ cùm multâ luce niteant, neſcio quibus tenebris ea inobſcurent Interpretes. Nempe docet Philoſopbus Fabulam Epiſodicam eſſe, id eſt, Epiſodiis malè inſtructam, in quâ Epiſodia non cohærent, aut κατὰ τὸ εἰκὸς, aut ἀναγκαίως; hoc eſt, aptè, aut neceſſariò: quæ duæ conditiones à nobis explicatæ ſunt ſuprà. Enimverò (dices) omnis fabula Epica Epiſodiis abundat: eſt igitur Epiſodica; quare & rejicula. At imbellis eſt iſta petitio: ſiquidem omnis fabula Epica eſt quidem Epiſodica, at non pravè Epiſodica.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Machinâ.

MAchinæ definitionem ab Ariſtotele, aut auctore alio, qui meas quidem in manus venerit, quando non habeo, eam ſic inſtituam.

Machina eſt actio, aut actionis modus quidam, extra actionem primariam viribus humanis major, quæ nodo alioqui difficili ſerviendo ſerviat, & obſequatur.

Machina eſt Actio, in exemplo iſto Homerico. Achille irato miles in patriam cogitabat, retinendus tamen fuit. En Minerva Iunonis conſilio in terras devecta reditum diſſuadet. Hæc Minervæ actio eſt machina. Aliquando eſt actionis tantùm modus, cùm ſcilicet Deus latet, & occultâ aliquâ efficientiâ hominis actionem juvat. Exemplum eſto in Turno vaſtante Lavinium, cui vires addebat Iuno, IX. Æneïd.

Machina

Machina eſt extra actionem primariam, auctore Philoſopho cap. xv. Αλλὰ μηχανῆ χρηστέον ἐπὶ τὰ ἔξω τοῦ δράματος; id eſt, *ſed machinâ utendum eſt in iis, quæ ſunt extra actionem*, ut rectè vertit Riccobonus. Nam hîc Paccium non ſemel fefellit animus, qui ſic interpretatur. *Quo ſanè artificio utendum eſt in iis, quæ extra Tragœdiam.* Non enim μηχανὴ eſt artificium κατὰ τὸ εἶδος, ut bis ille eſt interpretatus. Neque τὸ δρᾶμα in eam partem ſic ſumitur, quaſi ſit Tragœdia, ſed pro actione, quæ Tragœdiæ ſubjecta eſt. Cùm μηχανὴ extra Tragœdiam non ſit, cujus eſt pars; ſed extra actionem primariam, ſive argumentum totius fabulæ. Quamobrem qui Poëma ſcripſerit, cujus actio primaria exitum non habeat, niſi per machinam, is vitiosè ſcripſerit. Atque ea cauſa fuit, cur actionem fœminæ, quæ Deorum ſubnixa auxilio præclarum aliquid, & eximium dederit, ad Epopœiam minùs aptam eſſe priore parte diſſertationis fuerit diſputatum. Ac meritò quidem: nam monitore Philoſopho cap. xv. nihil eſſe debet ἄλογον ἐν τοῖς πράγμασιν. *In actionibus nihil eſſe debet ſupra rationem*: τὰ πράγματα ſic interpretatus ſum actiones, quoniam fabula Deos admittit quidem certis de cauſis, ut mox diſputatur; ſed non Actio.

Enimvero ut Imperatoris militarem gloriam, quam ipſe ſibi labore, atque fortitudine collegerit, iniquum eſt à Poëtâ inobſcurari ſilentio; ita Heroï vitium & probrum objicere mihi videtur, quiſquis illum alienâ virtute, ut furtivis corniculam plumis gloriantem palam circunducit, & oſtentat. Quæ per machinam fit actio, Dei eſt, non Heroïs. A Deo gloriam rei bene geſtæ ad hominem qui divertit, utrique facit injuriam. Hierichuntis civitatis mœnia tubæ clangore convulſa ſunt, atque diſſipata, ineptè illius excidium Ioſuæ, non Deo tribuetur: Moſis radio in Ægyptios Arabici ſinus aquæ revolutæ illos oppreſsêre, Deo non Moſi debetur ea laus. Tum ab eâ actione deterretur animus humanus, cui ſe imparem præſentit; præſentit verò, ſi ſensûs expers non eſt, quiſquis à Deo uno actionem aliquam fieri putat. A Deo nubibus inſidente micant fulgetræ, vibrantur fulmina in Ægyptios; id conabitur homuncio, & Salmoneum aget ridiculè?

Hic Iuno Scæas ſæviſſima portas

Prima

Prima tenet, ſociúmque furens à navibus ignem
Ferro accincta vocat.
Iam ſummas arces Tritonia, reſpice, Pallas
Incedit nimbo effulgens, & Gorgone ſævâ.

Hoc quia Deæ efficere creditæ ſunt; homo quæ virgo ſit aut mulier attentabit.

Præterea cùm Epopœia veriſimili ſtudeat maximè, ut accuratè diſputatum eſt quæſt. IV. primæ partis, tum certè multò magis actio. Quî tandem erit illa vero ſimilis, ſi hômini tribuitur, quæ vires ejus ſuperare creditur? Variæ denique actiones Poëtarum, quæ allatæ ſunt quæſtione primâ partis ſecundæ, id planè perſuadent.

III. Actio per machinam viribus humanis major eſſe debet; cur enim Deus excitaretur, cùm ſuppar ſit virtus humana? Rectè id vidit & monuit Horatius:

Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus.

Quare Homerum reprehendit Ariſtoteles, qui Minervam de cælo adduxit, uti milites remoraretur, cùm prudentis viri conſilio id perfici potuerit.

IV. Si Poëtæ non licet ad machinam confugere, cùm humanitùs res confieri poſſint; quantò graviùs objurgandi ſunt Philoſophi & Hiſtorici, veritatis ſcilicet indagatores, qui id peccaverint. Anaxagoram lib. I. Metaph. cap. IV. reprehendit Philoſophus, qui mentem in difficultatibus Philoſophicis ſolvendis tanquam machinam adhibeat: & quia hic locus uſui eſſe poteſt, reſcribendus mihi eſt: Ἀναξαγόρας γοῦν μηχανῇ χρῆται τῷ νῷ πρὸς τὴν κοσμοποιΐαν, καὶ ὅταν ἀπορήσῃ, διά τινα αἰτίαν ἐξ ἀνάγκης ἐστὶ, τότε ἕλκει αὐτόν. ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις πάντα μᾶλλον αἰτᾶται τῶν γινομένων, ἢ νοῦν. In Hiſtoricis quibuſdam id vitij notat Polybius, qui Annibalem in Italiam per machinam immittant.

Cavit prudenter, & ſcopulum declinavit conſultiſſimus Maro. Machinam is quidem adhibuit IV. Æneïdos, ubi Carthagine Æneam Iovis imperio, & Mercurij legatione eripuit: At ea machina in Epiſodiis cenſetur, non in actione primariâ.

V. Imprimis verò monet, ne fiat ſolutio per machinam, quod etiam monuimus, cùm de ſolutione dictum eſt. Φαυερὸν (inquit) ὄν, ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων, ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν. Quamobrem Odyſſeæ id vitij inhæſit; quæ

quæ Minervæ allapſu, & ope ſolvitur.

Ratio cur neque in actionem primariam, neque in ſolutionem congruat machina, à nobis adducta eſt prioris partis quæſt. ultimâ.

Iam in quæſtionem venit, quænam pars fabulæ, & quâ de causâ patiens ſit machinarum. Machina in omni parte eſſe poteſt, quæ ſit extra actionem primariam, & ſolutionem, ut in Epiſodiis omnibus. Cauſa verò cur utamur machinâ, eſt; cùm aliquid ſciri debet, aut earum rerum, quæ præteritæ ſunt, aut quæ ſunt futuræ, neque aliunde ſciri poſſunt, quàm Deorum ope; tunc enim ad Deos confugiendum eſt. Ἁπάντα γὰρ ἀποδίδομεν τοῖς θεοῖς ὁρᾶν. Id eſt, *Omnia enim tribuimus Diis videre.*

QVÆSTIO OCTAVA.

De Moribus.

I. *Morum definitio.* II. *Prima laus morum, ut ſint boni in Heroë. Marini Adonis ſchola nequitiæ.* III. *Laus morum altera, ut congruant perſonis κατὰ τὸ εἶδος, in ſpecie. Torquati peccatum.* IV. *Laus morum tertia, ut ſint ὅμοιοι, ſimiles. Similitudo eſt perſonarum καθ' ἕκαστον, id eſt, ſingularium.* V. *Laus quarta morum, ut tenoris ſint æquabilis.* VI. *Quid ſit poëſim eſſe moratam. Vulgi hallucinatio.* VII. *Viros fortes non decent lachrymæ, ſed ejulatus.* VIII. *Cur ſecundæ partes tribuantur moribus.*

EXplicatis iis, quæ ad fabulam attinent quodammdo, de moribus, quæ eſt altera pars formæ in Epico carmine, quæſtio poni debet.

I. Morum definitio in hæc verba concipitur ab Ariſtotele cap. VI. de Poëticâ. Ἔστι δ' ἦθος μὲν τὸ τοιοῦτον τινὸ ὃ δηλοῖ τὴν προαίρεσιν· ὁπόσα τίς ἐστιν, ἐν οἷς οὐκ ἔστι δῆλον, οὐδὲ προαιρεῖται, ἢ φεύγει ὁ λέγων. Διόπερ οὐκ ἔχουσιν ἦθος ἔνιοι τῶν λόγων. Id eſt, *Mores ſunt, qui ſignificant quæ ſit præelectio alicujus, iis in rebus, de quibus non conſtat, utrum is, qui loquitur aliquid ſequatur, aut fugiat.* Paccius, & cum Paccio Heincius προαίρεσιν explicant voluntatis nomine; φιλοσοφώτερον Robortellus, prælectionis. Non enim omnis actus voluntatis

eſt

eſt προαίρεσις, ſed is duntaxat qui ab Ariſtotele VI. Ethicorum dicitur ὄρεξις βουλευτικὴ, *cum conſultatione appetitio.* Cùm ſcilicet homo ſuæ actionis potens deliberat aliquâ de actione, & pro arbitratu, eam in partem inclinat quæ arridet. Id verò explicatiùs docet cap. v. libri tertij Moral. Ἡ προαίρεσις δὴ εἴη βουλευτικὴ ὄρεξις τῶν ἐφ' ἡμῖν. *Prælectio eſt appetitus ex conſultatione earum rerum, quæ ſunt in noſtrâ poteſtate.*

Cùm igitur ex moribus homines boni, malive ſint, non erunt ſanè ejuſmodi, niſi benè, vel malè ſint morati; at mores nulli ſunt abſque prælectione, neque prælectio niſi iis de rebus quæ ſunt in noſtrâ poteſtate: quamobrem id fieri neceſſe eſt, utì nemo bonus aut pravus ſit, qui non habeat in poteſtate actiones ſuas. Nullus itaque niſi ἠλίθιος ἢ μαινόμενος, quæ verba ſunt Philoſophi, cap. v. lib III. Moral. deliberat de rebus neceſſariis, de fortuitis, déque iis quæ ſunt ἀδύνατα, vel ἄλογα, ut de diametri cum latere menſurâ, de theſauri inventione, & id genus aliis. Qui verò ſanæ, & integræ eſt mentis, ea in conſultationem atque deliberationem vocat, quibus ipſe pro arbitrio moderatur.

Mores igitur ſunt habitus ex prælectionibus orti. Qualitas ſcilicet quædam, cujus acceſſione vis animi corroboratur, acuitur, & inclinat ad varios effectus. Laudes & ἰδιότητας, ſive proprietates morum ab Ariſtotele cap. XV. Poëticæ recenſentur quatuor. Prima, ut mores ſint boni. Altera, ut congruant. Tertia, ut ſint ſimiles. Quarta, ut ſint æquales. De ſingulis pauca nobis libanda ſunt.

II. Prima laus morum eſt, ut ſint boni. Ἓν μὲν οὖν πρῶτον ὅπως χρηστὰ ἰῶ, id eſt, *unum, & maximum, ut boni ſint*: erunt autem ejuſmodi, ſi ex prælectione oriantur bonâ. Ἦθος, (inquit, erit) φαῦλον μέν, ἐὰν φαύλῳ ἕξῃ προαίρεσιν, χρηστὸν δ' ἐὰν χρηστήν. In officio eſt itaque Poëtæ bonos mores imitari, atque id imprimis in Heroë, cujus vita, & mores minimè mali ſint, & maximam partem boni. Quare Achillem bonum ab Homero fictum ait Ariſtoteles capite XV. nam animo in Deos erat pio, & idem juris gentium retinens, & amicitiæ cultor, atque animi fortitudine longè præſtantiſſimus. Ac licèt animo præceps eſſet, neque iræ ſatis potens; non tamen ſine causâ iraſcitur. Habuit enim cauſam plauſibilem, & ὑπρόσωπον. At ſi mores aliquando pravos imitari neceſſe ſit; neque ij ſplendidè accurari debent,

neque in Principe viro; omnium verò minimè in Heroë: Therſites in Iliade, Sinon in Æneïde peſſimè ſunt morati, viri ſcilicet ignobiles. Mezentij verò in Æneïde, & Procorum in Odyſſeâ mentio eſt, quò eorum vitiis, virtus Heroüm illuſtrior fiat. Atenim Plato aliàs quidem, ſed apertè in Dialogis de Repub. Poëtas Tragicos, Comicos, Epicos, de Republicâ illâ ſuâ jubebat exulare, ne pravis moribus ſuam illam Rempublicam corrumperent. Injuriâ ſanè. Nam deſcriptio pravorum morum, ſi rarò, ſi breviter, ſi quo fine par eſt, fiat, non officit moribus, ſed etiam eos inſtituit ſapientiſſimè. Non enim eorum meminerunt boni Poëtæ, quò eos ſuadeant, ſed quò ab iis deterreant. Lacedæmonij ſervos fœdè ebrios à filiis ſpectari volebant, non qui ſtuderent ebrietati, ſed qui ab eâ abhorrerent. Exemplum moris pravi ponit in Oreſte Euripidis Ariſtoteles, apud quem Menelaus pravus eſt, qui Oreſti fratris filio, mortem patris vindicanti non tulit auxilium. De iſtâ Tragœdiâ Euripidis, qui titulum ſeu argumentum Græcus auctor illi dedit, cum Ariſtotele mirè congruit: Ait enim: Τὸ δρᾶμα τ' ἐπὶ σκλωπῆς βδδοκιμολύτων χάιρισον τοῖς ἤθεσι. πλὴν γὰρ Πηλάδου πάντες φαῦλοι ἦσαν. Id eſt, *Drama iſtud ex iis, quæ in Scenâ placuerunt, fuit quàm peſſimè moratum Omnes enim perſonæ improbæ ſunt, præter Piladem.*

Hæc in Euripide qui reprehendit Ariſtoteles tam severè, quam notam Marino inureret? aut quo nomine ſatis digno ejus Poëma compellaret? Non eſt certè Poëma, non poëſis, in quo omnes perſonæ peſſimè moratæ ſunt. Nam ut alia non peccaret (peccat autem & graviter, & ut plurimùm) quid tam moribus perditum, & deſperatum dici poteſt? nempe eſt hoc proſtibulum pudicitiæ, nequitiæ ludus apertus, Chriſtianæ ſanctitatis propudium. Eſt morum aliquid, quod in Homero non ferat profana Philoſophia, cujus nihil eſt præter pauca, quod pudorem poſſit facere: Et officinam illam nequitiæ, atque corruptelæ probabunt, & oſculabuntur qui Chriſto nomen dedêre.

III. Altera conditio morum eſt, vt ſint ὁμάλα, ut congruant. Quæ præceptio pertinet ad perſonas καθόλου, & in ſpecie ſpectatas; non καθ' ἕκαστον, ſive in ſingulari. Id enim differt hoc præceptum à ſequenti: Exemplum in fœminâ poſuit Philoſophus, quam ſortem qui fecerit, dabit mores

qui

qui non congruant. De iſta præceptione eleganter monuit Horatius in Arte.

Tu quid ego, & populus mecum deſideret, audi.
Si plauſoris eges aulæa manentis, & uſque
Seſſuri, donet cantor, vos plaudite, dicat.
Ætatis cujuſque notandi ſunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus, & annis.
Reddere qui voces jam ſcit puer, & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas.
Imberbis juvenis tandem cuſtode remoto,
Gaudet equis, canibusque, & aprici gramine campi.
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus proviſor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix.
Converſis ſtudiis ætas, animusque virilis
Quærit opes, & amicitias, inſervit honori.
Commiſiſſe cavet, quod mox mutare laboret.
Multa ſenem circumveniunt incommoda, vel quod
Quærit, & inventis miſer abſtinet, ac timet uti:
Vel quod res omnes timidè, gelidèque miniſtrat.
Dilator, ſpe longus, iners, avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti,
Se puero cenſor, caſtigatorque minorum, &c.

IV. Tertia laus morum eſt, ut ſint ſimiles. Τρίτον δ' τὸ ὅμοιον, quî ὅμοιον differat ἀπὸ τοῦ ἁρμόττοντος, difficultate non caret. Ἁρμόττον attinet ad perſonas in ſpecie, hoc eſt, ſecundùm ſexum, ætatem, dignitatem; ὅμοιον δ', ſive ſimile, ſingularibus, ut Oreſti, Vlyſſi, Achilli, addicitur. Similitudo enim ducitur ex characteribus & lineamentis uniuſcujuſque. Etenim ut medicus homini non, medetur, inquit Ariſtoteles in Metaphyſicis, ſed Calliæ: ita neque quiſquam ſimilis eſt homini, ſed Calliæ. Neque hujus præceptionis fuit neſcius Horatius in Arte:

Aut famam ſequere, aut ſibi convenientia finge,
Scriptor. Honoratum ſi fortè reponis Achillem;
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, invictáque; flebilis Ino;
Perfidus Ixion; Io vaga; triſtis Oreſtes.

Non parum multorum judicio peccavit Torquatus in ſuo illo Mago, quem virum ſanctum, & Chriſtianum inducit cantu XIV. atque illi mores profanos adſcribit: vires, potentiam, ſcientiam, radios, clypeos, palatium, & cætera contatricis illius artis arma concedit. Sed quoniam cenſura hæc ab aliis occupata eſt, de eâ pluribus dicere ſuperſedebo.

V. Quarta laus eſt, ut mores ſint ὁμαλοὶ, æquabilis tenoris. De quâ præceptione Horatius in Arte.

Si quid inexpertam ſcenæ committis, & audes
Perſonam formare novam, ſervetur ad imum,
Qualis ab incepto proceſſerit, & ſibi conſtet.

VI. At hic meritò controverſia eſſe poteſt: Sitne omnis Poëſis morata, & qui morata diſtingui poſſit ab eâ quæ moribus caſſa eſt. Id plebi ratum eſt, eam Poëſim, & orationem bene moratam eſſe, quæ præcepta rectè vivendi tradat, & τὰς γνώμας loquatur. Quæ hallucinatio eſt non exigua. Nam ut hic à nobis auctore Philoſopho diſputatum eſt, mores ſunt, qui prælectionem loquentis in lucem adducunt; ex quo is bonus, & malus judicetur. Non itaque Theognidis ſententiæ, non præcepta vitæ inſtituendæ, non Senecæ opera morata ſunt κυρίως, ſed καταχρηστικῶς, & tralatitiè. Non enim illis præceptionibus mores ejus, qui loquitur, veniunt in cognitionem. Profligatæ enim virtutis homo præcipere rectè poteſt. Morata itaque erit Poëſis, & quæ mores ſceleſtos hominis ſcelerati rectè effinxit, quæque mores honeſtos viri boni ſuâ in luce collocârit.

Cùm Terentius primas à Varrone in Ethicis tulerit, ab eo exemplum placet accipere. Qui legerit ſcenam v. actûs primi Andriæ, & diligenter inſpexerit quibus momentis animi ſententiam ponderet, & libret Pamphilus, ac tandem eam inclinet, atque figat uni parti; non poterit is neſcire quid, ſit moratam eſſe orationem. Illa verò Poëſis minimè erit morata; quæ ejus, qui loquitur conſilium & electionem non indicet, ſententias licèt quantivis pretij cumulatè exaggeret.

VII. Audio non deeſſe, Virgilium, & Homerum imprudentiæ qui notent; apud quos Achilles, & Æneas lacrymentur. Nam, inquiunt, Ariſtoteles id reprehendit. Τῶν ὑπ' ἀπρεποῦς ἢ μὴ ἁρμόττοντος, ὅτε τρωὸς ἐν τῇ Σκύλλῃ. Id eſt,

Indecori

Indecori, & inepti moris exemplum eſt ejulatio Vlyſſis in Scyllâ. At iſta petitio futilis eſt. Nam Ariſtoteles Vlyſſis ejulatum ægrè tulit, ſed non lacrymas. Viros magnos lacrymatos fuiſſe, vel dictum antiquum vincit, quo ἀγαθοὶ ἀριδάκρυες ἄνδρες dicuntur. Enimverò viri fortes lacrymantur ſæpè, non Poëtis tantùm auctoribus, ſed etiam Hiſtoricis, cùm ſacris, tum profanis. Achillis gloriam non legit ſine lacrymis Alexander, neque Alexandri famam ſiccus audivit Cæſar. Etiam Chriſto Domino, à quo riſum nihil meruit, lacrymas expreſsêre multa. Lacrymæ humanitatem indicant, ejulatus animum teſtatur eſſe victum.

VIII. At cur ſecundæ partes moribus debeantur, tacuiſſe Ariſtoteles videtur; à nobis hæc eſto ratio. Fabulæ quidem primus datur locus, quia fabula eſt ipſa actio cum ornatu ſuo, in actione verò felicitas: moribus itaque ſecundæ debentur; nam mores habitudines ſunt quædam animi, habitudo verò omnis eſt actionis gratia.

QVÆSTIO NONA.

De Sententiâ.

I. *Sententiæ ambigua poteſtas. Aliquando pro Gnome, aliquando pro Dianœâ.* II. *Definitio ſententiæ, quæ eſt Gnome.* III. *Tres laudes, ſive conditiones ſententiæ.* IV. *Prima laus ſententiæ, ut ſit καθολικὴ, id eſt univerſim pronunciata.* V. *Altera laus ſententiæ, ut ſit brevis.* VI. *Tertia laus, ut ſit morata.* VII. *Sex rationes quare ſententia placeat.* VIII. *An frequens uſus ſententiæ eſſe debeat. Auguſti Cæſaris eâ de re mens, & ſententia.* IX. *Quid inter ſententiam, & acutè dictum interſit.* X. *Cur acutè dicta placeant.* XI. *De Sententiâ, quæ eſt Dianœa.* XII. *Definitur, & ejus partes adducuntur.* XIII. *Inter partes formales tertius locus debetur ſententiæ.*

I. SEntentiæ nomen eſt poteſtatis ambiguæ, hâc enim voce tum γνώμη, tum διάνοια comprehenduntur, quæ duo inter nimiùm quantùm intereſt. Ἀμφιβολία illius dictionis multis fuit offendiculo, neque iis de plebe duntaxat, ſed etiam primariis. Ariſtides lib. de oratione civili in hæc verba

verba loquitur. Γνώμω λέγω τὸν νοῦν & τὰ ἐπινοήματα, ἐν οἷς διίσχεται τὰ πράγματα. Ad verbum. *Sententiam appello mentem, & conceptus in quibus res reperiuntur.* At διάνοιας eſt hæc definitio, non γνώμης. Idem peccavit Hermogenes περὶ ἰδεῶν. Illis auctoribus. Iam aliis peccare pudor non eſt. Longè alia eſt Philoſophi mens, & ſenſus. Γνώμω is definit lib. II. Rhet. cap. XXI. Διάνοιαν verò lib. de Poëticâ cap. VI. Nobis ut deleatur ambiguitas illa, γνώμη ſententia appellatur; notiſſima cùm ſit ejus vis, & ſignificatio in hanc partem: διάνοια verò, quoniam necdum nomen apud Latinos reperit, Græco gaudeat, & dicatur Dianœa. De ſententiâ primùm quæramus.

II. Sententiam definit Ariſtoteles cap. XXI. libri alterius Rhet. in hæc verba. Ἐστὶ δ' γνώμη ἀπόφανσις, οὐ μὲν περὶ τοῦ καθ' ἕκαστον, οἷον ποῖός τις Ἰφικράτης, ἀλλὰ καθόλου. Ad verbum. *Sententia eſt enunciatio, non de ſingularibus, ut qualis ſit Iphicrates, ſed de univerſalibus.* Subinde attexuit: Οὐτε περὶ πάντων καθόλου, οἷον ὅτι τὸ εὐθὺ τοῦ καμπύλου ἐνάντιον, ἀλλὰ περὶ ὅσων πράξις εἰσὶν, & αἱρεταὶ, & ἀφεκταί ἐστι πρὸς τὸ πράττειν. Id eſt, *Neque tamen eſt de omnibus univerſalibus, ut quod rectum ſit contrarium curvo; ſed de iis quorum ſunt actiones, & quæ appetere, aut fugere quis poteſt, ut agat.* Quibus verbis hæc ſubjecta eſt ſignificatio. Sententia eſt pronunciatum aliquod univerſim de vitâ rectè informandâ. Quæ à Plutarcho eſt definitio, eodem recidit. Ἀπόφανσις καθολικὴ περὶ τῶν κατὰ τὸν βίον λόγου σωτήμου. Plutarchus explicatiùs dicit, cùm addidit (λόγου σωτήμου.) Non erat id tamen admodum neceſſarium. Si enim ſententia eſt ἀπόφανσις μία, *una enunciatio*, longa certè non erit, cùm propoſitio ſine vitio longiùs trahi nequeat. Poteſt verò ſententia ad duos verſus protendi, ut in exemplo allato ab Ariſtotele ex Eurip. liquet.

III. Tres itaque ſunt dotes ſententiæ. Prima, ut ſit univerſim dicta; altera, ut ſit una; tertia, ut ſit morata.

IV. Prima laus ſententiæ eſt, ut à certis loco, tempore, perſonâ, cæteriſque, quæ res ſingulares ambiunt, & figunt quodammodo, avocetur. Exemplum eſto. Clytemnæſtra in Agamemnone loquitur: *Quem pœnitet, penè eſt innocens.* De ſe loquitur unâ, & tamen à ſe ad univerſos homines ſententiam traduxit; atque ab omni loco, & tempore fecit liberam, & eximiam. Nunc cum Clytemnæſtrâ oratio ea-

dem

dem illigetur. Certè ego penè innocens habenda ſum, quam malè quondam facti nunc quidem temporis pœnitet. Quantum dignitatis illi deceſſit? Ab Horatio eſto exemplum alterum lib. III. Carm. Ode II. *Dulce, & decorum eſt pro patriâ mori.*

V. Altera ſententiæ laus, ut ſit σωτόμῳ λόγῳ, breviter comprehenſa. Quæ enim funditur in multam orationem, fit evanida, & languet. Exemplo clarebit præſcriptio. Hæc Horatij ſententia ex lib. III. Ode VII. *Pulvis, & umbra ſumus*, producatur in hæc verba. Si rectè philoſophari placuerit, ac de nobis pronunciare; nihil equidem video, quicum meliùs hanc vitam noſtram fluxam, ac caducam poſſim conferre, quàm cum umbrâ, quæ fugitivo, ac perpetuo lapſu vaneſcit. Quòd ſi penitiùs in naturæ humanæ cognitionem intrare placeat; quis erit tam parum intelligens, & rudis, qui coagmentationem hanc corporis, cujus formam, atque pulchritudinem ſuſpicimus, non videat computreſcere aliquando, & tandem in pulverem collabi? Enimverò iſtis periodis, atque circuitionibus venuſtas omnis, atque dignitas ſententiæ contabuit. Lædi vult Philoſophus ſententiæ majeſtatem, vel cauſæ, cur vera ſit, conjunctione; cùm per reticentiam cauſæ ab Enthymemate ſententia diſcrepet; ab exemplo mox allato lucem affundit.

Οὐκ ἔστιν ἀνδρῶν ὅστις ἐς ἐλεύθερος
Ἐνώμη. πρὸς δὲ τῷ ἐχομένῳ, ἐνθύμημα
Ἢ χρημάτων γὰρ δοῦλός ἐστιν ἢ τύχης.

Id eſt,

Non eſt virorum ullus, qui ſit liber.
Hoc eſt ſententia: addito autem eo, quod ſequitur, fiet Enthymema.
Aut divitiarum enim ſervus eſt, aut fortunæ.

VI. Tertia laus ſententiæ eſt, ut ſit morata, & vitam informet. Etenim ſi de re Phyſicâ, ſi de Mathematicâ, ſi de Metaphyſicâ breviter, & univerſim dictum adducatur, erit illud ſanè quidem axioma quoddam, ſed non ſententia, cùm informationi morum minimè ſerviat: veluti ſi quis audiat, *Sol eſt major terrâ*, aut quod eſt exemplum ab Ariſtotele II. Rhet. cap. XXI. *Rectum contrarium eſt curvo*, non is certè ad vitæ officia prudenter obeunda commovebitur. At ſi audierit Horatium Ode alterâ libri III. pronunciantem.

Rarò

Rarò antecedentem ſceleſtum deſeruit pede pœna claudo; aut illud incerti auctoris apud Stobæum, Ανδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται, excitabitur continuò, qui caſtè vivat, & linguæ moderetur.

De Syllogiſmo, vel Enthymemate oriri ſententiam docet Philoſophus. Putatis enim, & circumciſis προτάσεσι, atque προλήψεσι, quas præmiſſas Scholæ dicunt; naſcitur ſententia. In hoc Enthymemate exemplum ponit. *Omnis homo aut fortunæ, aut divitiis obſequitur. Nullus igitur homo liber eſt.* Silentio prematur τὸ προκείμενον, ſupereſt hæc ſententia, *Nullus homo eſt liber.*

Nunc de multiplicibus, variisque ſententiæ formis, ſpeciebus, ac figuris diſputationem integram Rhetoribus permittimus. Quæ verò quatuor maximè Philoſophicæ ſunt ditionis, quæque à nemine hactenus diſputata ſunt, veſtigemus. Primum, Ecquænam ſint in ſententiâ tantæ deliciæ, quibus animi capiantur. Tum, ſintne ſententiæ frequentandæ ſæpiùs. Deinde, quî differant ab iis, quæ acutè dicta appellantur. Denique, cur hæc acutè dicta placeant.

Eſt in pretio, & arridet ſententia; quia brevi ambitu multa concludit. Ita nummus aureus pluris eſt centum æreis, & Deus Opt. Max. rebus omnibus creatis longè potior eſt, quibus mole, & numero cedit; nam virtuti, non moli pretium eſt: longam itaque orationem in brevem quia cogit ſententia, fit magni. Ejus enim poſſeſſione facilè & citò locupletatur ingenium. Ad hæc, ſententiam qui profert, à plebe ſummotum ſe putat, & eam qui audit, ſe ſummoveri autumat; vulgo enim imperito τὰ καθόλου ignota ſunt, nihil autem *ſuavius dignitate & excellentiâ.* Præterea universè cùm dicis, Enthymematis conſequens adducis, retices antecedens; quod auditor ſuo marte invenit, & animum ab univerſali propoſitione ad ſingularem cum voluptate convertit, parit quippe aliquid ipſe per ſeſe, quo partu gaudet animus, cùm in actione ſit ejus felicitas. Tum, homines omnes moribus quibuſdam amici ſunt, & aliis inimici; mores illos odioſos in uno aliquo ſingulariter notaveris, lædes haud dubiè: universè ſi deſignes, monebis tu quidem, quantùm ſatis erit: ipſe per ſeſe vulneri ſuo medebitur. Sit amans vini quiſpiam, & ebrioſus: illum nominatim ſi dixerit Orator fœdum, qui ſe vino ingurgitet;

convicium

convicium fecit: at ſi diſſimulanter de ebrietate universè dixerit, auditor ſine dolore, atque triſtitiâ ſuadebitur. Ad hæc, hominem alicui miserè addictum opinioni, pudet ab eâ diſcedere; quamobrem apertè ipſum ſi adoriare, aut ſecum ipſe ſe purgabit, aut animum obfirmabit; præ pudore manus ægrè dabit. Demùm ſic animus humanus à Deo Opt. Max. comparatus eſt; ut iis quæ ad mores pertinent, miris quibuſdam illecebris facilè flectatur, & in eâ ſuopte pondere, atque momentis inclinet; ſententia verò omnis morata eſt, ut ſuprà pronunciatum eſt.

Frequens uſus ſententiæ non debet eſſe; tum quia priſcæ illius, & aureæ ætatis nullus, qui vel eloquens, vel diſertus habitus ſit, in ſententiis, aut acutè dictis multùm ſe amavit; tum quia ſententiarum exaggeratione tumet oratio. Raræ ſunt in Virgilio, raræ in Homero, in antiquis Oratoribus paucæ; & illæ quidem non quæſitæ ambitioſiùs, ſed à re ipsâ ultro oblatæ. Quare merito ſuo odioſos illos Satyricus increpuit his verbis. *Pace veſtrâ liceat dixiſſe; Primi omnium eloquentiam perdidiſtis, levibus enim atque inanibus ſonis ludibria quædam excitando feciſtis, ut corpus orationis enervaretur, & caderet.* Tum. *Grandis, & ut ita dicam, pudica oratio, non eſt maculoſa, neque turgida, ſed naturali pulchritudine exſurgit.* Idem. *Nunc rerum tumore, & ſententiarum vaniſſimo ſtrepitu hoc tantùm perficiunt, &c.* Deinde. *Ac ne carmen quidem ſani coloris enituit, ſed omnia quaſi eodem cibo paſta, non potuerunt uſque ad ſenectutem caneſcere.*

Congruit planè in locum iſtum Auguſti hac de re ſententia, quam Suetonius poſteritati conſecravit. *Genus eloquendi ſecutus eſt elegans, & temperatum, vitatis ſententiarum ineptiis, atque inconcinnitate, & reconditorum verborum* (ut ipſe dicit) *fœtoribus, præcipuámque curam duxit, ſenſum animi quàm apertiſſimè exprimere: quod quò faciliùs efficeret, nec alicubi lectorem, vel auditorem obturbaret, aut remoraretur; neque propoſitiones verbis addere, neque conjunctiones ſæpiùs iterare dubitavit, quæ detracta afferunt aliquid obſcuritatis, etſi gratiam augent.* En Auguſti præſcriptionem de ſententiis, acutè dictis, atque ſtylo, cui ſuffragabuntur omnes, quibus mens bona, quibus placida & ſerena fuerit. Hac de re iterum quæretur, cùm diſputatio inſtituetur de dictione.

At quod inter ſententiam, & acutè dictum interſit, hoc

ſt: Sententia ſive in verbis, ſive in verborum poteſtate caret pugnâ atque conflictu: Acutè dictum verò totum eſt in congreſſu, & ut ita dicam, in dimicatione. Faciliùs exemplis, quàm oratione res clarebit. Triplicis itaque generis adhibebimus exempla. I. de ſententiâ purâ. II. de acutè dicto purè. III. de utroque mixto.

Sententia pura eſt, quæ dicti amplitudinem, ac majeſtatem continet; ſed contentione caret. In Phœniſſis Euripides pronunciavit. Παντὶ δ' ἀνδρὶ γενναίῳ πάλις. Id eſt, *Viro forti ubique patria eſt.* Præclarè. Etiam Seneca in Hercule furente ſine ullâ contentione. *Cogi qui poteſt, neſcit mori.* Eximium eſt iſtud Menandri: Ὁ διαφέρων λογισμῷ πάντ' ἔχει. Id eſt, *Ingenio qui excellit, omnia poſſidet.* Tum hoc Tullij: *Exilium ibi putat eſſe, ubi non eſt virtuti locus.*

Acutè dictum purè, eſt contentio, quæ caſſa ſit, & vacua ab ſententiâ. Hecuba in Hercule furente. *Ille tot Regum parens caret ſepulchro; & flammâ indiget ardente Troja*: Sententia eſt nulla, ſenſus tamen eſt magnificus, & contentio aperta; quòd Priamus in tantâ flammâ, quâ ardeat Troja, flammâ tamen careat. Nec laude caret illud Menandri: Μισῶ πονηρὸν, χρηστόν ὅταν εἴπῃ λόγον, *Odi pravum etiam cùm dicit bene.*

Sententia mixta eſt, quicum annexa ſit contentio: ut in hoc Publ. Syri. *Avaro tam deeſt quod habet, quàm quod non habet.* Etenim ſepoſitâ contentione, viget tamen ſententiæ vis, & dignitas. Veluti ſi dicatur: Avarus nemo dives. Eadem laus eſt in iſto Auguſtini dicto. *Deus meliùs ſcitur neſciendo.* Nam ad ſententiam, quâ dicimus Deum eſſe majorem orâ, & ambitu mentis noſtræ; hoc eſt, comprehendi non poſſe: accedit etiam venuſtatis aliquid ex pugnâ verborum, ſcientiæ & neſcientiæ.

Haud erit à Philoſopho alienum veſtigare, quid rei ſit cur acutè dicta placeant.

Cùm in Sophiſtarum myrotheciis nihil ſit lautius, & corruptæ eloquentiæ magiſtris nihil carius, iis oratoriæ facultatis luminibus, quæ contentiones ab auctore ad Herenn. & à Tullio acutè dicta, & à nuperis hominibus acumina dicuntur; facturus operæ pretium mihi videor, ſi fontem ipſum, atque caput veſtigem, ex quo manat ea voluptas, quâ mirificè eorum animi, mentésque capiuntur. Quam in commentationem intentus aliquantulùm animadverti

madvertis delicias non modò illas, quas ex istis acutè dictis percipimus, sed etiam pleraſque omnes alias, è rerum inter se pugnâ & conflictu oriri. Quid enim est, amabo, cur tam suaviter auribus, & animis insidias ponat, vocum atque nervorum concentus? quia scilicet in multiplici sonorum conjugatione gravia cum acutis pugnant, & interjectis, mediisque sonis velùti fecialibus quibusdam, ac pacis interpretibus sociantur. Cur in fidibus, νήτη cum ὑπάτη, & μέση composita modulatè, numeroséque sonat, atque placet; cùm quibusdam aliis absurda sit, atque aures vellicet odiosè. Cur ἐπίτριτη, διὰ πέντε, διὰ πασῶν, & δὶς διὰπασῶν, unà vibratæ aures mulcent suavissimè? litis nempe & amicitiæ causâ, quibus percipiunt aures, illas vel inimicè congredi, vel amicè coïre. Cùm aures capiat Musica, tum oculorum blandissima conciliatricula est pictura, cujus lenocinia omnia in colorum concertatione atque conflictu posita esse docent artis illius prudentes viri. Nam id, quod in illâ pingendi scientiâ venustatis, & operæ habet plurimùm; ut corpora quædam eminere, alia subsidere videantur, cùm tamen in æquo, in plano, in proximo fusa sint omnia: id artifices colorum pugnâ conantur. Siquidem ea omnia, quæ extare volunt, largâ luce accendunt; quæ deprimere, tenebris, & nigro colore excæcant. Ab artibus ad mores si gradus sit, nihil cum majori apparatu, ambitu, aut voluptate spectatum est Romæ ludis Circensibus, in quibus cùm multa essent odiosa, illud unum jucundum fuit, pugna, atque conflictus. Dolorem, qui ex sæviſſimis & indigniſſimis cædibus concipi poterat graviſſimus, voluptas ex dimicatione nata vincebat. Tantùm est illecebrarum in congressu adversariorum, atque fortunæ varietate, quæ hunc affligit, illum erigit; & quem erexerat, ab afflicto sæpe percellit. Nunc verò à moribus nostro vitio corruptis ad mundi pulchritudinem oculos convertamus. Quid est, cur cùm idem ipse sit, sui tamen fastidium non pariat? Quid, inquam, aliud est, quàm ἔρως, & ἀντέρως qui perpetuis suis velitationibus velut in theatro pascunt curiosos. At non solus Lunæ citimus mundi locus rerum congressione placet; suprema etiam illa, & cœlestia corpora conatibus inter se contrariis continentur. Quare universa mundi substructio in vacuo, & inani librata minimè nutat, aut im-

pellitur? *Cur non pendenti machina mole ruit?* Quid? si ego erratilium siderum contrariis in sese nisibus id tribuam? quæ dum rapiuntur superioris cœli impetu in occasum, in ortum ipsa renituntur, & eo conflictu undecunque pari sibi constant. Hujus certè sententiæ est auctor Mercurius ille, qui sapientiâ suâ ter maximi nomen sibi quæsivit. Is in sermone Catholico ad Tatium his verbis mentem concepit suam. Ἡ ὑ ἐνδυτίωσις τὼ δύτέρων ϯ κινήσεως ἔχϵ ἐσῶσθμ. Ἡ γὰρ δύτυπία ϛάσεώς ἐϛι φορά. Nunc verò Solis, Lunæ, & erraticorum siderum lapsus & stationes, accessus & recessus, congressus & coïtiones, nocte, die, crepusculis, vere, æstate, autumno, hyeme Mundum tantâ varietate temperant, ut fastidio humano quàm facilè medeantur.

Quamobrem cùm omnis ea voluptas, quæ ab artibus, à Picturâ, à Musicâ, à ludorum apparatu, atque adeò orbis totius aspectabili venustate percipitur; pugnæ cuidam rerum atque congressui ascribi debeat: necesse est eam, quæ ab acutè dictis oritur, delectationem uni verborum & sententiarum contentioni acceptam referri debere.

Atenim cur pugna ipsa placet? propter varietatem: sed cur ipsa varietas arridet? duplici sanè de causâ, quarum altera est, Ingenium hominis, quod est ejusmodi auctore Philosopho 1. l. Metaph. cap. 1. ut naturæ ipsius quodam impetu in rerum cognitionem atque scientiam feratur. In rerum autem varietate aliquid discit, quod per se ante ignotum erat, aut certâ quâdam ratione ignotum. Altera ratio est, rerum varietate, spirituum fieri commutationem, ex quâ jucunditas oritur: nam cùm animus in unam rem defixus, diu illam contemplatur, unum, & eundem insistit spiritum. (sic appellat Philosophia corpuscula quædam, quibus tanquam instrumentis animus utitur ad rerum cognitionem percipiendam) spiritibus verò istis natura tum lucida est, tum calida; quare agitatione diuturna ignescunt facilè, & vaporant, unde existunt dolor, & fatigatio. Varietati itaque rerum, spirituum varietas servit: prior igitur ille spiritus, qui agitatione incaluerat, mutatione illâ & quiete tepescit, atque recreatur. Et quoniam spiritus illi in totum corpus se diffundunt, atque illud tranant, voluptatem titillatione faciunt. Virgilius lætitiam quâ gestiunt corvi, in eam spirituum lenem agitationem refundit. Sic enim canit:

Haud

Haud equidem credo, quia ſit divinitùs illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia major.
Verùm ubi tempeſtas, & cœli mobilis humor
Mutavêre vias, & Iuppiter humidus Auſtris
Denſat, erant quæ rara modò, & quæ denſa relaxat.
Vertuntur ſpecies animorum, & pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt. Hinc ille avium concentus in agris,
Et lætæ pecudes, & ovantes gutture corvi.

De ſententiâ, quæ ſit Gnome, abundè diſputatum eſt; de Dianœâ ponatur quæſtio. Hic tamen moneo Gnomen aliquando ab Ariſtotele uſurpari pro illâ animæ vi, & intelligentiâ quæ res demonſtrat, aut declarat quodammodo. Sic enim cap. VI. Poëticæ. Διάνοιαν δ' ἐν ὅσοις λέγοντες ἀποδεικνύναί τι, ἢ καὶ ἀποφαίνονται γνώμην. Id eſt, Dianœam (dico) ea omnia in quibus qui loquuntur demonſtrant aliquid, aut declarant mentem ſuam. Hic γνώμη uſurpatur pro mentis cognitione. Dianœa in genere vis eſt animi (quæ rectè à quibuſdam cogitatio veluti coagitatio dicitur) quâ multam per diſquiſitionem inveſtigatur, quid ſit, utrùm ſit, & quibus gaudeat affectionibus id de quo quæritur. In Metaphyſicis lib. VI. cap. I. Dianœæ attribuuntur Scientia, Prudentia, & ars, quarum duæ in molitione rei ſitæ ſunt; prima in cognitione, ſed cum diſcurſu; nam quæ cognitio eſt ſine diſcurſu, ſive agitatione, Dianœa non eſt, ſed νοῦς, id eſt, intellectus, qui eſt habitus primorum principiorum, ut diſputat Philoſophus lib. VI. Moral.

Dianœam itaque in ſpecie, quæ eſt pars tertia formalis Epopœiæ, his verbis definit Ariſtoteles cap. VI. de Poëticâ. Τρίτον δ' διάνοια τοῦτό ἐστι λέγειν δυνασθαι τὰ ἐνόντα, καὶ τὰ ἁρμόττοντα. Id eſt, *Tertia pars eſt Dianœa; hoc eſt, poſſe dicere ea quæ inſunt, & quæ conveniunt.* Quæ definitio ſic explicatur, ut nomine τῶν ἐνόντων intelligamus ea, quæ ingenio, & naturæ rerum ex ſeſe conveniunt; nomine autem τῶν ἁρμοττόντων ea, quæ accidunt, & ſunt ornamento. Dianœa itaque eſt vis animi, quæ explicat, tum naturam rei, tum eas quæ naturæ congruunt, affectiones.

In officio Dianœæ eſt ἀποδεικνύναι καὶ λύειν, καὶ τὰ πάθη παρασκευάζειν, οἷς ἔλεον, καὶ φόβον, καὶ ὀργὴν, καὶ ὅσα τοιαῦτα, καὶ ἐπὶ μέγεθος καὶ μικρότητα. Id eſt, demonſtrare, & diſſolvere, & motus

QVÆSTIO DECIMA.

De Dictione.

I. *Definitio Dictionis.* II. *Quid ſit interpretatio, ſive ἑρμηνεία apud Ariſtotelem.* III. *Verba multa in nominibus cenſentur.* IV. *Senſa animi eſſe παθήματα, quæ lateant, & vocibus proferantur.* V. *Quî nata ſit Hiſtrionica, & quomodo diſtincta à Poëſi.* VI. *In recitatione vis maxima.* VII. *Dictionis partes octo.* VIII. *Dictionis Poëticæ laudes quinque.* IX. *De perſpicuitate; cur primaria laus, quî oriatur, quænam illi officiant.* X. *De majeſtate dictionis; quî fiat magna oratio Poëtica. Alia eſt dictio Poëtica, alia Oratoria. Poëſis Gallica nimis timida.* XI. *De æquabilitate dictionis. Cur fœdum ſit inæquabile dicendi genus.* XII. *De numeris dictionis Poëticæ.* XIII. *De concinnitate, & venuſtate dictionis. Concinnitas dictionis eſt τὸ μὴ diſtinctum à numeris & verbis; oritur ex metaphoris, & dialectis. Aurea, & divina mediocritas in uſu ornamentorum. Gallici ſermonis penuria.* XIV. *Non omnis pars Poëmatis ornari poſtulat.* XV. *Sitne potiùs Poëma ſcribendum Latino ſermone, quàm patrio.* XVI. *Quis locus inter partes formales debeatur dictioni.*

I. DIctio ab Ariſtotele cap. VI. Poëticæ in hæc verba definitur: Λέγω λέξιν εἶναι τὴν διὰ τῆς ὀνομασίας ἑρμηνείαν, Id eſt, Definio Dictionem eſſe interpretationem per nominis prolationem. Philoſophus ſuo more, id eſt, accuratâ illâ ſuâ, & ut ita dicam, ſuccinctâ oratione loquitur. Quare vel hic locus indicio eſt certiſſimo, librum iſtum de Poëticâ meritò in operibus Ariſtotelis cenſeri. Hæc definitio rudioribus, & in Peripateticâ diſciplinâ malè initiatis triſtior, & anguſta nimis videbitur, cui explicandæ ſervient hæ cautiones.

II. Cautio prima ſit. Ex Ariſtotele iis in libris, quos inſcripſit περὶ ἑρμηνείας, id eſt, de Interpretatione, quædam voces ſunt aientes, quædam negantes; tum & aliæ tertij cujuſdam generis, quæ neque aiunt, neque negant. In his ſunt nomina ſolitaria, veluti homo, aut leo: in illis ſunt propoſitiones, putà, Homo eſt iuſtus; Leo eſt fera. Hinc orta eſt ſolemnis

partibus, & ornamentis inſtituenda eſt quæſtio. Ac primùm quidem diſertè cavet Ariſtoteles capite XIX. τὰ σχήματα, ſive figuras dictionis omnes in Poëticam minimè congruere. Ambigua enim eſt poteſtas τῶν σχημάτων. Alia ſiquidem recitanti propria ſunt, alia ipſi orationi. Cavet (inquam) vocis, oris, vultûs, manuum, totiúsque corporis conformationem ad Poëticam nihil attinere, ſed ad Hiſtrionicam. Nam cùm primis temporibus Poëtæ per ſeſe verſus ſuos ipſimet recitarent; decoris, & dignitatis retinentes erant: ſubinde verò ubi eam provinciam Hiſtrionibus reliquêre; qui Poëticæ vim, & ingenium minùs callebant, fuerunt docendi artem pronunciandi. Ars porrò illa, quæ & recitantes fingeret, & voci, atque geſtui moderaretur, ὑποκριτικὴ Græcis, nobis Hiſtrionica appellatur. Illam Glaucon Teius primus in præcepta concluſit, auctore Philoſopho III. Rhet. quo teſtimonio ea continentur omnia, quæ jam monuimus; quare faſtidio non erit. *Nondum* (inquit) *in uſu erat ars Hiſtrionica.* Καὶ γὰρ ὑς τῶ τραγικῶ, & ῥαψωδίδω ὀψὲ παρῆλθεν, ὑπεκρίνοντο γὰρ αὐτὰς τὰς τραγῳδίας οἱ ποιηταὶ τὸ πρῶτον. Id eſt, *Serò enim ad rem Tragicam & Epicam acceſſit. Poëtæ enim primis illis temporibus ipſimet Tragœdias recitabant.* His attexuit: Δῆλον ἂν ὅτι & περὶ τῶ ῥητορικῶ ἐστι τὸ τοιῦτον, ὥσπερ & περὶ τῶ ποιητικῶ, ὅπερ ἕτεροί τινες ἐπραγματεύθησαν, & Γλαύκων ὁ Τηΐος. Id eſt, *Manifeſtum itaque artem illam & Rhetoricæ pariter, & Poëticæ congruere; in quam quidam alij præter Poëtas operam ſuam contulerunt, ut Glaucon Teius.*

VI. Planè ars illa recitandi, quæ Actio Romanis dicta eſt, magnam cùm Poëmati, tum orationi dignitatem affert. Rhodiis orationem Demoſthenis contra Æſchinem mirantibus; quid (inquit iſte) ſi beſtiam audiretis? Virgilio primas non nemo præripere ſe poſſe non diffidebat, ſi vocis ſuavitatem æquare poſſet. Scholæ etiam noſtræ Magiſter docet lib. III. Rhet. cap. I. Actores præmia & ipſis Poëtis, & Rhetoribus ſæpè præripere; auditorum tamen, & judicum vitio, διὰ τῶ μοχθηρίδω τῶν πολιτικῶν, & διὰ τῶ τῶν ἀκροατῶν μοχθηρίδω. Tullius in Oratore. *Infantes*, inquit, *actionis dignitate, eloquentiæ ſæpè fructum tulerunt, & diſerti deformitate agendi, multi infantes putati ſunt, ut jam non ſine causâ Demoſthenes tribuerit & primas, & ſecundas, & tertias actioni.* At de iis abundè.

VII. Dictionis partes recenſet octo Philoſophus cap. xx. Sunt verò hæ : Elementum, ſyllaba, conjunctio, nomen, verbum, articulus, caſus, oratio. De ſingulis nunc diſputandi neque otium eſt, neque ſi ſit, neceſſe eſt, cùm partes iſtas Grammatici diligentiſſimè ſint defuncti.

VIII. Dictionis Epicæ laus eſt quintuplex. I. Perſpicuitas. II. Majeſtas. III. Æquabilitas. IV. Numerus. V. Concinnitas quædam. De ſingulis pauca delibanda ſunt.

IX. Ariſtoteles cap. XXII. meritò primas partes tribuit perſpicuitati, & continuò monet cavendum ab humilitate. Λέξεως ἡ ἀρετὴ, σαφῆ, ϗ μὴ ταπεινὴν εἶναι. Primæ verò debentur perſpicuitati, quia eo fine quiſque loquitur, ſi bonæ & ſanæ mentis eſt, ut intelligatur ; quoniam dictio eſt interpretatio earum rerum quas mente concepimus: quamobrem quò perſpicuè magis unuſquiſque loquitur, eò finem tenet feliciùs, & rectiùs loquitur. Et quando contrariorum contrariæ ſunt affectiones, neceſſe eſt obſcuritatem in oratione eſſe vitium longè maximum. Nam qui loquitur obſcurè, nihilo plus efficit, ac ſi taceret: & auditor itidem intelligit dicentem nihil, & loquentem implicata. Quanquam & hic magis eſt odioſus ; qui vexet, & malè habeat auditores. Peccabant itaque turpiter Rhetores illi antiqui, quos objurgat Quintilianus lib. VIII. qui diſcipulorum orationem attollebant iſtâ voce Σχόπσον. Oritur perſpicuitas dictionis ex proprietate nominum. Σαφεσάτη μὲν ὃν ἐστι ἡ ἐκ τῶν κυρίων ὀνομάτων. lib. de Poët. cap. XXII. quod ſemel atque iterum monet. Ratio à nobis eſt. Auditor aſſuetus vocibus propriis continuò rem illis contentam penetrat, atque cernit. Impropriâ verò nominum appellatione auditoris ingenium à re unâ ad alteram traducitur cum voluptate quâdam, ſi rarò & appoſitè ; cum ægritudine, ſi frequentiùs. Diſcerpitur enim illâ frequentatione cogitatio. Perſpicuitati etiam ſerviunt periodorum circuitus mediocres, vinculorum apta diſpoſitio, acuminum infrequentia, particularum uſus parcus. Periodorum enim granditate abnormi pendet auditoris animus, & ægrè initium cum fine committit, atque comparat. Vinculorum ἀταξία luxat orationem, & auditor ordini ſtudet, quem non invenit. Nocet perſpicuitati frequentia acuminum, tum quia ſæpè infeliciter

ter & incommodè illigantur; tum quia fatigatur auditor cùm ſenſum veſtigat, qui ut plurimùm latet in acumine. Officit particularum inſolens, & nimius uſus; extricandis enim illis operam qui ponit auditor, ſignificationem amittit. Hujus fraudis non imprudens Terentianus ille Davus in Andriâ herum luſit. Huic enim quærenti quid narraret, Veterator ille reſpondit: *Æquè, quidquam, nunc, quidem.* Tum etiam & Syrus ſimili in causa. *Ita res eſt hæc nunc, quaſi cum.* Hoc probari poteſt, cùm ſtudio, & datâ operâ ſententiam ſuam tectam aliquis cupit. At quis in Poëtâ Epico hoc ferat? aut quis non vituperet?

X. Altera dictionis laus eſt, ut ſit auguſta, & à plebe ſummota. Ita Philoſophus cap. XXII. his verbis: Σεμνὴ δ', ἐξαλλάξασα τὸ ἰδιωτικόν. Ariſtoteli conſentiunt quotquot non imperiti de re poëticâ diſputárunt. Ipſe Ariſtoteles lib. III. Rhetor. cap. I. ſecum congruit. Docet enim primos Poëtas, licèt de re futili canerent, in pretio tamen fuiſſe, & gloriam aſſequutos fuiſſe ingentem, qui verborum ſplendore, & dignitate, omnium admirationem mererentur. Quare & Rhetorum primi, ut Gorgias, illorum dictionem imitari conabantur, quò in gloriæ quoque participationem venirent. Atqui notat eos imperitiæ Philoſophus, qui Oratores poëticâ dictione florentes laudarent, cùm alia ſit Poëtæ, alia Oratoris dictio. Καὶ τῷ (inquit) οἱ πολλοὶ τῶν ἀπαιδεύτων τοὺς τοιούτους οἴονται διαλέξεσθαι καλλιστα· τοῦτο δ' οὐκ ἔστι; ἀλλ' ἑτέρα λέξις, καὶ ποιήσεως λέξις. Accedit Ariſtoteli Lucianus, qui ſic in Rhet. Mag. loquitur: Ῥήτωρ πολὺ ἔστι τῆς ποιητικῆς μεγαληγορίας ἐστι. Id eſt, *Rhetor multùm abeſt à majeſtate poëticâ.* Accedit etiam arbiter, apud quem Eumolpus in hæc verba loquitur: *Effugiendum eſt ab omni verborum, ut ita dicam, vilitate, & ſumendæ voces à plebe ſummotæ. Vt fiat. Odi profanum vulgus & arceo.* Adeſt etiam vir emunctæ naris, & ingenij acerrimi Horatius, qui in hæc verba ſententiam proferat, lib. I. Sat. IV.

Neque enim concludere verſum
Dixeris eſſe ſatis, neque ſi quis ſcribat, uti nos
Sermoni propiora, putes hunc eſſe Poëtam.
Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum, des nominis hujus honorem.

Multis proſequitur hoc argumentum, atque dictionem eam

deſiderat, quæ etiam extra metrum magna ſit & florens; ita ut ſoluto etiam carmine,

Invenias diſjecti membra Poëtæ.

Quare inquit:

Non ſatis eſt puris verſum concludere verbis, &c.

Id monuiſſe operæ pretium fuit, tum Latinæ Poëſeos gratiâ, tum etiam Gallicæ, & hujus quidem multò magis; cui dicitur id adhæſiſſe corruptelæ, ut ſi quid à vulgi conſuetudine abhorrens allatum fuerit, continuò repudietur; quare ea languida & effœminata quodammodo quibuſdam eſſe videtur, neque ſatis digna, quæ Æneïdi ſervire poſſit. Quanquam audio exiſtere Poëtas robuſtiſſimi ingenij, qui Epopœias ſcribant, & re ipsâ eam calumniam confutent. Nonnihil etiam timeri potuit Latino Poëmati à Grammaticorum gente, qui cùm ſint humilis ingenij, & ſtyli; ſermoni propiora poſſunt ſcribere, ad Poëmatis verò dignitatem aſſurgere nequeunt.

At cur dictionem magnificam eſſe oportet? quia admirationem, & voluptatem ciere debet. Ab aſſuetis autem non impellitur animus. Aſſurgit itaque, vel quò placeat, vel quò in admirationem vocet.

Quî verò grandeſcit? nempe (inquit) Philoſophus capite XXII. Εἰ τοῖς ξενικοῖς κέχρηται, ſi peregrina in uſum adhibeat. Quæ peregrina ſint, docet eodem capite. Ξενικὸν δ' λέγω γλῶτταν & μεταφορὰν, & ἐπέκτασιν, & πᾶν τὸ παρὰ κύριον. *Peregrinum dico, linguam, tralationem, extenſionem, & quidquid à propriâ poteſtate traducitur.* Quod iterum monet eodem capite.

Linguarum nomine varias Dialectos comprehendit Augetur itaque oratio à Dialectis, Metaphoris, &c. vel quia mens auditoris excitatur ad inſolentiam illam verborum, vel quia diſcit aliquid, vel quia Poëta eruditior videtur, qui præter ſolitum ſapiat, & loquatur. Quid ſit Metaphora, Ἐπέκτασις, & Metatheſes illæ, quid Ænigma, quid Barbariſmus, fusè diſputavit præter alios Quintilianus libro altero. Dialecti porrò & Metaphoræ tum aliis partibus Poëticæ, tum maximè Epopœiæ congruunt, ex cap. XXIV. Διὸ & γλώττας & μεταφορὰς ἐνδέχεται μάλιστα. Cùm majeſtas dictioni concilianda ſit; certè humilitas, & tumor pariter fugienda ſunt: de quibus quæremus hic, poſtquam de

quintâ

quintâ dictionis laude fuerit disputatio.

XI. Dictionis laus tertia est Æquabilitas; per quam uno tenore, & uniusmodi veluti filo texitur oratio. Præceptionem istam unus omnium explicavit elegantissimè Horatius.

Inceptis gravibus plerumque, & magna professis
Purpureus, latè qui splendeat, unus, & alter
Assuitur pannus; cùm lucus, & ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus.
Sed nunc non erat his locus, & fortasse cupressum
Scis simulare. Quid hoc? si fractis enatat exspes
Navibus, ære dato qui pingitur; amphora cœpit
Institui; currente rotâ cur Vrceus exit?
Denique sit, quod vis, simplex duntaxat, & unum.

Non sum nescius adduci hoc testimonium pro unitate fabulæ, de quâ disputatum est priori parte hujus Dissertationis: at meo præterea judicio rectè quadrat, & congruit æquabilitati dictionis.

Fœdum est non Poëtæ tantùm, sed etiam Oratori vitium, scribendi genus non æquabile; nam & arrogantiæ notat, & imbecillitatis hominem, qui plus oneris sibi sumat, quàm ferre possit. Monitorem habet Horatium.

Sumite materiam vestris qui scribitis æquam
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

XII. Quarta laus est, ut sit numerosa. De numeris Poëticis nemo Grammaticus, aut Orator non scripsit; quare de iis dicere supersedebo. Si quid sit in rem nostram, illud, cùm de versu hexametro instituemus dicere, perfectum dabo.

XIII. Quinta laus dictionis est venustas quædam, & concinnitas, quæ difficiles, imò nullos habet explicatus. Ingenij bonitate, non præceptis continetur. Ac primùm quidem distinguitur à numero, & verbis; quoniam iis remanentibus, illa interit in hoc versu Virgiliano.

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ.

Concinnitas sua, & lepos inest. En aberit, si legis.

Corpore bis septem præstanti sunt mihi Nymphæ.

Cùm tamen & verba eadem, & idem sit numerus. Quantò

tò turpiùs incedet, ſi dixeris.

Præſtanti bis ſeptem ſunt mihi corpore Nymphæ.

Sordeſcit igitur oratio verborum μεταθέσει, & tranſpoſitione; venuſtati non tantùm opponuntur ſordes, ſed etiam humilitas, quæ ex proprietate verborum oritur. Exemplum ab Æſchylo adducit Philoſophus cap. xx. Poët. Æſchylus & Euripides in Philoctete, ipſum inducunt eodem verſu, ſed mutatâ unicâ voce conquerentem, ſic quidem Æſchylus. Φαγέδαινα ἥ μου σάρκας ἐσθίει ποδός. *Phagedæna* (hoc eſt, cancer in carne, ut hic ſumitur) *edit pedis mei carnes.* Euripides verò ita: Φαγέδαινα ἥ μ' σάρκας ἤσθιστο ποδός. *Phagedæna epulatur pedis mei carnes.* Attexuit Philoſophus auditorum judicium. Iambus (inquit) Euripidis concinnus eſt judicatus, Æſchyli verò vilis. Τὸ μὲν φαίνεται καλὸν, τὸ δ' εὐτελές. In Virgilio quæramus exemplum. Ecloga IV.

Nec varios diſcet mentiri lana colores,
Sponte ſuâ ſandix paſcentes veſtiet agnos.

Tolle μεταφορὰς illas, quæ in dictionibus *diſcet*, *mentiri*, *veſtiet*, elucent; flos ille, & dignitas verſûs extinguetur. Neque ubique tamen, aut nulli metaphoræ, tranſpoſitioni, & Dialecto locus eſſe debet. Vix dici poteſt quàm dirum Gallos ceperit odium tranſpoſitionum, aut Dialectorum. Nam ſi quid paulò inſolens, aut præter aulæ ſermonem proferatur, continuò repudiatur. Græci, Latini, Itali liberiùs, & pro arbitratu propemodum iis utuntur, Gallis verò vocem ſuo loco movere; aut Dialecto, præterquàm Aulicâ, uti religio eſt. De Dialecto ſecùs pater ille Poëſeos Gallicæ Ronſardus edixerat. Secutus enim Græcos, & Latinos in hæc verba loquitur. *Ie te conſeille d'uſer indifferemment de tous dialectes, comme ie t'ay déja dit, entre leſquels le courtiſant eſt toûjours le plus beau, à cauſe de la Majeſté du Prince; mais il ne peut eſtre parfait ſans l'ayde des autres. Car chacun jardin a ſa particuliére fleur, & toutes nations ont affaire les unes des autres. Comme en nos havres, & ports, la marchandiſe bien loin cherchée en l'Amerique ſe debite par tout. Toutes les Provinces, tant ſoient-elles maigres, ſervent aux plus fertiles de quelque choſe; comme les plus foibles membres, & les plus petits de l'homme ſervent aux plus nobles du corps.*

Audio ab adverſariis facultatem illam de uſu Dialectorum Græcis permitti, propterea quòd unaquæque illorum

civitas

civitas ut Imperij, ita ſermonis proprij erat retinentiſſima, cui honos & dignitas eſſet ſua: Gallis verò tantumdem licere nolunt, in quos & vitæ, & ſermonis uni Regi ſit imperium, & poteſtas. Honeſta planè eſt oratio. At, quid cauſæ eſt, cur antiquis verbis Poëtæ Gallo interdictum eſt? Ab Homero ad extrema Græcorum tempora anni fuêre ſupra bis mille, & Homeriana verba etiam nuperis venerationi fuerunt; at quæ ante ſæculum apud majores noſtros floruêre, nobis ſordent. Vnum è tribus in causâ eſt, aut ſermonis Gallici vitium, aut ingenij mobilitas, aut ſubobſcura quædam invidia.

Tum quidni licet cùm à Græcis, tum à Latinis verba quædam poteſtatis majoris, atque virium, aut earum rerum quæ noſtris hominibus in uſu non fuerant, mutuari? Romanis id etiam laudi datum eſt; nam præter exempla, quæ ſuperſunt, & abundant, adeſt Horatij edictum:

In verbis etiam tenuis, cautúsque ſerendis
Dixeris egregiè, notum ſi callida verbum
Reddiderit junctura novum, ſi fortè neceſſe
Indiciis monſtrare recentibus abdita rerum;
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabiturque licentia ſumpta pudenter.
Et nova, fictáque habebunt verba fidem, ſi
Græco fonte cadant parcè detorta. Quid autem
Cæcilio, Plautóque dabit Romanus, ademptum
Virgilio, Varióque? Ego cur acquirere pauca
Si poſſum, invideor; cùm lingua Catonis & Enni
Sermonem patrium ditáverit, & nova rerum
Nomina protulerit? Licuit, ſemperque licebit
Signatum præſente notâ producere nomen.

Illis Poëſis Gallica præſidiis, atque copiis miſerè ſibi interdictum voluit: ergo exilis eſt, & jejuna; & *Tametſi bona eſt natura, redditur culturâ juncea.*

Atqui cùm aliis rebus, tum verbis non tantùm cultior eſſe debuit quàm Latina, aut Græca, ſed etiam ditior; neque adeò id tantùm quia majorum verba auditione acceperit, ſed etiam quia ὁμοιοτέλευτον gratiâ, atque frequentatione copiam, vim, atque ubertatem quandam majorem deſiderat.

In rebus quidem omnibus aurea eſt mediocritas; in dictione

ctione eſt maximè. Nam cùm alibi facile ſit, & pronum labi; tum hic imprimis. Rectè Horatius in Arte.

Decipimur ſpecie recti: Brevis eſſe laboro,
Obſcurus fio. Sectantem lævia nervi
Deficiunt, animique. Profeſſus grandia turget,
Serpit humi tutus nimium, timidusque procellæ.
Qui narrare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum ſilvis appingit, fluctibus aprum.
In vitium ducit culpæ fuga; ſi caret arte.

Atque iterum:

Hic dum vitat humum; nubes, & inania captat.

Id autem vitij à Grammaticis κακόζηλον dicitur, de quo Quintilianus in VIII. his verbis: *Denique* κακόζηλον vocatur, *quidquid eſt ultra virtutem, quoties ingenium judicio caret, & ſpecie boni fallitur, omniumque in eloquentiâ vitiorum eſt peſſimum; nam cætera cùm vitentur, hoc petitur.*

Miſerè quidam dictioni ita ſunt addicti, & in illam unam intenti adeò, ut nihil in illam ſatis putent eſſe exhauſti. Quamobrem dum toti in eâ ſunt, modum non tenent. Quos idem qui nobis laudatus eſt Quintilianus lib. XII. his verbis admonet: *Sed & copia modum habet, ſine quo nihil nec laudabile, nec ſalutare eſt, & nitor ille cultum virilem, & inventio judicium deſiderat: ſic erunt magna non nimia, ſublimia non abrupta, fortia non temeraria, ſevera non triſtia, gravia non tarda, læta non luxurioſa, jucunda non diſſoluta, plena non tumida.* Eos qui difficili, & moroſo ſunt ingenio, anxia illa, & ſtultè religioſa ſcribendi ratio invaſit; cùm bonitatem ingenij, & εὐφυΐᾳ illam celeberrimam comitetur nativa quædam orationis pulchritudo. Quamobrem ego

Horum æmulari exoptem negligentiam
Potiùs, quàm illorum obſcuram diligentiam.

XIV. Hîc quoque quæri poteſt, Sitne par omnibus Poëmatis partibus diligentia adhibenda. Vetat Princeps artis noſtræ cap. XXIV. Τῇ δ' λέξει δεῖ διαπονεῖν ἐν τοῖς ἀργοῖς μέρεσι, & μήτε ἠθικοῖς, μήτε διανοητικοῖς. ἀποκρύπτει γὰρ λίαν λαμπρὰ λέξις τὰ ἤθη, & τὰς διανοίας. Id eſt, *In partes Poëmatis otioſas, quæque moribus, aut ſententiis vacant, ornatus dictionis conferri debet. Dictio enim illuſtris ſuâ luce, moribus & ſententiis officit* Pulcherrimâ hac præceptione nihil explicatius, aut pulchrius

pulchrius dici poteſt. Quamobrem exemplis duntaxat id confirmare placet.

Virgilius orationem Latini Regis moratam nullo ornatu, nullâ metaphorâ, nullo fuco pinxit.

Olli ſedato reſpondit corde Latinus.
O! præſtans animi juvenis: quantùm ipſe feroci
Virtute exuperas; tantò me impenſiùs æquum eſt
Conſulere, atque omnes metuentem expendere caſus.
Sunt tibi regna patris Dauni; ſunt oppida capta
Multa manu; nec non aurumque, animúsque Latino eſt.
Sunt aliæ innuptæ Latio, & Laurentibus agris,
Nec genus indecores, ſine me hæc haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis. Simul hæc animo hauri.
Me natam nulli veterum ſociare procorum
Fas erat; idque omnes Divique, hominésque canebant:
Victus amore tui; cognato ſanguine victus,
Conjugis & mæſtæ lacrymis, vincla omnia rupi;
Promiſſam eripui genero, atque arma impia ſumpſi.
Ex illo, qui me caſus, quæ Turne ſequantur
Bella vides, quantos primus patiâre labores, &c.

In his verſibus verba omnia propria. Res enim magni momenti auditorem attentum ſuâ dignitate facit. At in IV. Georgicon, quibus floſculis, luminibus, ornamentis pepercit, quò ditior de re oppidò exili fieret oratio. De apibus ita canit:

Sin autem ad pugnam exierint, nam ſæpè duobus
Regibus inceſſit magno diſcordia motu.
Continuóque animos vulgi, & trepidantia bello
Corda licet longè præſciſcere. Nàmque morantes
Martius ille æris canor increpat, &c.

Ad hæc ſunt res quædam, quæ ornatu, & cultu corrumpuntur; de quibus Manil. III. Aſtron.

Ornari res ipſa negat, contenta doceri.

Quamobrem ab Horatio ſapienter dictum eſt:

Vt quæ
Deſperes tractata nitеſcere poſſe, relinquas.

XV. In diſputationem quoque venire poteſt, ſitne Poëma nobis patrio ſermone, an Latino, vel etiam Græco ſcribendum. Sanctiſſimè nos obteſtatur, & compellat eâ de re Ronſardus. *Ie ſupplie tres-humblement ceux à qui les Muſes*

ont inſpiré leur faveur, de n'eſtre plus Latineurs, ny Grecaniſeurs, comme ils le ſont plus par oſtentation que par devoir; & prendre pitié comme bons enfans de leur pauvre mere naturelle. Ils en rapporteront plus d'honneur & de reputation à l'avenir, que s'ils avoient à l'imitation de Longueil, Sadolet, ou Bembe, recouſu & rabobiné ie ne ſçay quelles vieilles rapetaſſeries de Virgile & de Ciceron, ſans tant ſe tourmenter. Car quelque choſe qu'ils puiſſent écrire, tant ſoit-elle excellente; ne ſemblera que le cry d'une oye, au prix du chant de ces vieils cignes, oiſeaux dediez à Phœbus Apollon. Aprés la premiere lecture de leurs écrits, on n'en tient non plus de conte que d'un bouquet fani. Encore vaudroit-il mieux comme un bon bourgeois ou citoyen, rechercher & faire un Lexicon des vieils mots d'Artus, Lancelot, & Gauvain; ou commenter le Romant de la Roſe, que de s'amuſer à ie ne ſçay quelle Grammaire Latine qui a paſſé ſon temps. Sanè quàm turpiter Ronſardum ſua fefellit opinio. Lanceloti, Gauvanij, & ejus, qui eſt de Rosâ libri, quis noſtrûm meminit ſine riſu? Ipſius etiam Ronſardi famam non pauci proſcindunt. At Fracaſtorij, Sannazarij, Bembi floret etiam nunc gloria. Neque tamen ij Poëmatis dignitatem ſatis æquârunt. Preſſiùs id diſputemus. Eſto Poëma ſuis omnibus laudibus cumulatum, dictione Gallicâ conſcriptum; pertinebit fateor etiam ad mulieres: at, ſi gravitate, & dignitate præſtet; non placebit illarum ſtomacho: ſi majeſtate caret; ne Poëma quidem erit. Carebunt illi auctores alterâ laude, quam ambiunt; aut dignitate Poëmatis, aut muliercularum gloriâ. Audio non deeſſe, quibus dignitas Epica ſit nihili; favor verò deterioris ſexûs ſit longè maximi: atque illi eâ ſe tutantur ratione non abſurdâ. Solæ legunt, ſolæ laudant, ſolæ etiam emunt mulieres. Quare ad eas itur, apud eas recitatur, earum judicio arbitrium literarum permittitur. Agreſtes (inquiunt illi) Latini, & Græci idiomatis ſcientes, rerum pulcherrimarum guſtu carent; neque lautitias hujus ætatis noſtræ nôrunt. Non uſquequaque ego illis adverſari velim. Eſto ſanè ita uti diſputant. Gallica illa Poëſis totâ Galliâ celebretur; Galliâ certè continebitur, finibus ſcilicet arctiſſimis; adhæc quàm facilè ſeneſcet, & riſum deformitate ſuâ movebit. Quis noſtrûm intelligit Ionvillæi dictionem? quis non ridet antiquorum ſermonem?

Etiam

Etiam Ronſardus ille vapulat à mulierculis, quibus ſe totum dedit. At ſi quod fuerit Poëma ſuis omnibus laudibus illuſtre, Latino ſermone conſcriptum, nullo illud terrarum ambitu, nullis temporum finibus circumſcribetur. Vincit majeſtate ſermonis, vincit amplitudine idiomatis, vincit temporis diuturnitate. Quandiu enim florebit Religio Chriſtiana, florebit verò ad ſenectutem orbis, & excidium rerum omnium; vigebit Latina lingua. Quamobrem potius eſt, & majus operæ pretium Latinè, quàm Gallicè ſcribere; ita tamen potius, ut laude digni ſint, qui patriâ id conentur oratione.

XVI. Poſtremum dictioni locum deberi probant & demonſtrant ea, quæ à nobis priùs de dignitate fabulæ, morum, atque ſententiæ fuêre diſputata.

DISSERTATIONIS PARS TERTIA.

DE CAUSA EFFICIENTE Epici Carminis.

QVÆSTIO PRIMA.

Quis habitus sit Poëtica.

I. *Quid sit Scientia.* II. *Quid Ars.* III. *Quid Prudentia.* IV. *Epica est Prudentia.* V. *Epica non est Historia.* VI. *Epica non est Ars.* VII. *Epica non est Logica.*

VANTI se Philosophiæ, atque adeò Peripateticæ operam dedisse, hæc Dissertationis nostræ pars tertia abundè docet. Cum enim Grammaticorum nativo in verbis, atque dictis antiquorum cognoscendis, legendisque tota tit: de natura Poëticæ facultatis rectè constituitur à se tum putat, cùm omnione auctoritatibus, atque testimoniis veterum exaggerata, cumulatisque rem perturbatam atque fenisia vacuam attulerit. Atque ij disputatem suam utcunque tutari possent, quando de Provincia non abeunt sua; cùm autem in alienam invadunt, tum exiſtimationem foam, atque famam illudunt turpissimè. Enimverò nisi alieno essem animo à litibus, & à jurgio abhorrerem quàm qui maximè, ne homines oppidò idoneos nactus essem, qui quos faceem exempla. Vtinam ego meminero, cujus etiam nomini placet parcere; ut non hominem, sed σοφιστικὸν illos, & Philosophiæ Peripateticæ imprudentes, ſtudiorum fuorum aliquando pudeat. En ejus pronunciatum. *Tergo ſi me audias longo intervallo disſentiunt Poëtica, ac civilis ſcientia. Hæc enim vera eſt ſcientia, atque*

atque inter eas, quæ in actione verſantur, nobiliſſima: Poëſis quippe quæ in rebus ſingulis, & individuis verſatur, etſi paulò aliter, quàm Hiſtoricus, &c. Quàm multa, quàm gravia peccat. Nullus fuit peccandi locus, quem non occupârit. Principio πολιτικὴν ſcientiam dixit; & ne dubitandi copiam relinqueret, veram aſſeruit, accuravit ſcilicet pronunciatum. At ea, ſcientia non eſt, ut liquidò jam conſtabit. Tum ſcientiam in actione verſari (uti loquitur) cenſet. Quo dicto nihil eſt fœdius, & ab omni Philoſophiâ cùm Peripateticâ, tum Academicâ magis abhorrens. Deinde Poëſim rebus ſingulis & individuis addicit. At quî adeò præceptoris ſui immemor fuit, quem illuſtravit commentariis. Ariſtoteles Poëſim Hiſtoriæ præfert, docétque eſſe aliquid φιλοσοφώτερον, ut oſtendimus primâ parte Diſſertationis: quia Hiſtoria τὰ καθ' ἕκαστον enarrat; Poëſis verò celebrat τὰ καθόλου.

Quò totâ de re liqueat, paulò altiùs exordiri orationem neceſſe eſt. Commodè Philoſophus VI. Moral. cap. III. virtutes quibus animus in veritatem connititur, eſſe quinque pronunciavit: Sapientiam, Mentem, Scientiam, Prudentiam, & Artem. Duæ primæ, cur nos nunc quidem temporis ſollicitos habeant, nihil cauſæ eſt. De aliis tribus ambigi poteſt.

I. De ſcientiâ itaque Philoſophus accurat diſputationem lib. VI. Moral. cap. III. & illam definit in hæc verba: Επιστήμη δ' ἐστὶν ἐντεῦθεν φανερὸν, εἰ ἀκριβολογεῖσθαι, & μὴ ἀκολουθεῖν ταῖς ὁμωνύμοις. Πάντες γὰρ ὑπολαμβάνομεν, ὃ ἐπίσταται μὴ ἐνδέχεσθαι ἄλλως ἔχειν, &c. in quibus multus eſt. Id eſt, *Quid ſit ſcientia, hinc clarebit, ſi diſertè & certò definire placet, neque veriſimilitudinibus tantùm obſequi. Scire enim ſe unuſquiſque noſtrûm exiſtimat, cùm id quod cognoſcit, ſecùs ſe habere non poſſe intelligit.* Tum ἐπιστητὸν illud, ſive id quod ſcitur, æternum eſſe & mutationi minimè obnoxium eſſe jubet, atque ejuſmodi; ut neque oriri, neque interire queat. Ἐξ ἀϊδίων ἄρα τὸ ἐπιστητόν. Ἀΐδιον ἄρα. τὰ γὰρ ἐξ ἀϊδίων ὄντα ἁπλῶς ἀΐδια πάντα. τὰ δ' ἀΐδια ἀγένητα, & ἄφθαρτα. Eſt itaque ſcientia, cognitio rei, quæ mutationi minimè ſit obnoxia; atque iſta vox cùm ab Ariſtotele fuerit, tum etiam à Platone, & omnibus quotquot Philoſophiæ ſe dedidêre hominibus. Qui omnes eò ab ſingulis rebus ſcientiam abjudicârunt, quòd hæ fluxæ eſſent, ac caducæ.

II. Artem

II. Artem definitione circumſcribit Philoſophus cap. IV. ejuſdem libri VI. Ἕξιν μετὰ τ λόγ ποιητικήν. *Habitum cum ratione efficientem.* Tum addit: Ἐπὶ ὃ τέχνη πᾶσα περὶ γένεαν, & τεχνάζει, & θεωρεῖ. ὅπως ἂν γένηται τ τ ἐνδεχομένων & εἶναι, & μὴ εἶναι. Id eſt, *Ars omnis verſatur in molitione rei, & tota incumbit, ut eorum aliquid efficiat, quæ eſſe & non eſſe queunt.* Neque illud effatum tam eſt ab Ariſtotele, quàm ab ipsâ rei naturâ. Ecquæ enim ars eſſe poteſt, aut intelligi, quæ rem non moliatur, & naturæ enitenti non obſtetricetur quodammodo?

III. Prudentiæ verò definitionem his verbis cap. V. lib. VI. comprehendit. Λείπεται δὴ αὐτὴν εἶναι ἕξιν ἀληθῆ μετὰ λόγ πρακτικῶ. Id eſt, *Conſectarium eſt (prudentiam) eſſe habitum cum ratione practicum.* Hæc prudentiæ definitio nihil admodum differt ab artis definitione, niſi quia prudentia dicitur πρακτική, ars verò ποιητική. Et ne cui negotium facerent iſtæ voces, monuit diligenter Philoſophus. Nam diverſas eſſe vires atque poteſtates iſtarum vocum cùm ipſe docet, tum nos ipſi Diſſertationis parte alterâ oſtendimus.

Hi ſunt itaque characteres διαφόρς, & ut loquitur Schola, formæ, & differentiæ eſſentiales iſtorum habituum.

Scientia opus nullum efficit, ne inceptat quidem, aut conatur; ſed in unam rei contemplationem intenta proprietates, vires, ac dotes illius introſpicit, atque certis rationibus demonſtrat. Ars autem omnis actuoſa eſt, & machinatrix, quæ rem architectatur, & efficit, rem inquam minimè moratam. Prudentia verò etiam ipſa ex ſeſe efficit rem aliquam; ſed moribus ornatam; id eſt, mores inſtituit. Hic in rem noſtram erit Prudentiam in ſpecies ſuas diſtribuere. Tres ſunt illæ nemini non notæ. Prima dicitur πολιτική, altera οἰκονομική, tertia μοναστική. Illa Reſpubl. atque Regna legibus informat, & civitates temperat inſtitutis; unde etiam illi nomen quæſitum eſt. Altera familiam regit ac gubernat, à quo munere nomen traxit. Tertia inſtruit moribus unumquemque civium, quò ſecum ſanctè habitare, atque ſibi moderari queat.

IV. Nunc ego de Epicâ noſtrâ ſic conſtituo, ut ſit prudentia, eáque præſtantiſſima. Huic enim rei uni ſtudet, & in hoc vires omnes, atque curas intendit; Principum utì virorum

virorum animos, atque mentes inſtituat, qui tum belli, tum pacis tempore ſanctè rem adminiſtrent publicam. Et quando à Principibus viris ad privatos morum ſanctitudo, aut corruptela derivatur, & in totum corpus deſcendit; conſequens eſt, ut Epica doctrina ſalutem, atque ſanctitatem in omnes Reipublicæ ordines inſinuet. Atqui eam diſciplinam, quæ mores publicos, & privatos informat, prudentiâ contineri & congruens eſt omnium Philoſophorum ſententia, & ex iis, quæ docuimus de definitione prudentiæ, vincitur. Atque ut rem decidam. Hæc Epica rectè cum Ethicâ, ſive Morali Philoſophiâ congruit; utraque enim mores inſtruit,ornat,atque locupletat; Ethica quidem preſſiùs, Epica elegantiùs. Atenim reclamat gens Grammaticorum tota, nec ſibi eripi antiquam poſſeſſionem ſinit. Neminem hic duriùs appellabo. Verùm audacula eſt iſta Grammatica, neque ſatis meminit ſe Rhetoricæ, Hiſtoriæ, Philoſophiæ, atque adeò huic noſtræ Epicæ ancillari. Loquitur accuratè Philoſophus, etiam eleganter Rhetor & Epicus; ſcilicet Grammaticæ operâ pro imperio utuntur. Non ſunt iſtæ diſciplinæ in poteſtate Grammaticæ, neque ab illâ habentur, ſed illam habent, ut Græcis loqui conſuetudo eſt.

V, Hiſtoriæ Epicam qui addicat, næ is hallucinatur. Quantùm à ſe ſint ſegregatæ Hiſtoria,& Poëtica, docuimus primâ Diſſertationis parte.

VI. Nobis nunc temporis cum Philoſophis, gente acerrimâ, & exercitatiſſimâ diſcrimen eſt, qui auctoritate, exemplo, ratione pugnant Poëticam in artibus cenſeri: auctoritate quidem; nam artem poëticam eruditorum omnium ore celebrari ecquis tandem non audivit? Exemplo; cùm Rhetorica Poëticæ cognata,& ſoror quodammodo,inter artes cenſeatur: Ratione; ſiquidem præceptorum,quibus res aliqua efficitur, multitudine ars omnis definitur; præcepta verò Poëmati condendo nos ipſi tradimus. Iſtæ petitiones paucis eliduntur. Auctoritate vulgi nihil movemur, præſertim cùm hæc cauſa noſtra adeò non ſit deſerta, ut auctores non habeat. A nobis faciunt Franciſc. Patricius, Madius, Piccolomineus, Mazonius. Exemplum à Rhetoricâ infirmum eſt. Nam Rhetoricæ officium eſt aptè dicere ad perſuadendum; & finis, perſuadere dictione.

Finis

Finis verò, & officium Epopœiæ eſt vitæ, & morum inſtitutio. Rationi, quâ pugnant, vis eſt aliqua; minimè tamen, ſi fuerit aliquod rei faciendæ præceptum inter artes continuò locum habere debet. Doctrinam inter, quæ μέθοδος Græcis dicitur; & artem intereſt plurimùm. Scientiæ docendæ via, & ratio nemini ars dicitur. Quis enim moratæ Philoſophiæ, aut naturalis, vel alterius cujuſcunque ſcientiæ præceptiones in artibus aliquando poſuit? Ars eſt cujus effectum neque ſcientia eſt, neque mores, ſed artefactum. Quamobrem cùm neque Phyſica, neque ulla alia ſcientia ex ſeſe ſint artes; neque earum præceptiones in artibus numerentur, ſed ſint viæ, atque μέθοδοι ad illas diſciplinas; de Epicâ noſtrâ, quæ morata eſt Philoſophia, eandem legem rogamus. Objiciunt ſeſe pro arte nonnulli, atque intercedunt hac ratione. Quæ ſyllabarum quantitatem, metri numeros, accuratæ periodi ambitum, & quæ eis agnata ſunt ornamenta, docet facultas, ea certè ars, ſi quæ eo nomine dicenda eſt, appellari debet. Nullus inficior, artem eſſe fateor, ſed Grammaticam, quæ noſtræ ſerviat, & obſequatur Epopœiæ. At, inquiunt, Actionem illam Heroïcam inſtruere, ſuisque partibus atque laudibus exornare, in artis erit officio; quia enim opus aliquod efficit. Redeunt ad ingenium, & odiosè nos obtundunt. Enimverò & Phyſicen qui inſtruit Philoſophus; de corpore naturali universè primùm quærit; tum de corpore ſimplici, atque adeò de elementis & cælo; deinde de mixto imperfecto, uti Schola loquitur, de iis nempe quæ μετέωρα dicuntur, quibus forma eſt infirma & ἀδιάπνοος: deinde de mixto perfecto, cujus forma eſt ſui ſubjecti retinens & ſtataria quodammodo. Non eò tamen Phyſicæ inſtituendæ ratio in artibus cenſetur, ſed doctrina, & μέθοδος appellatur. Ad hoc exemplum de Epicâ conſtituimus.

VII. Neque verò deſunt ex noſtris hominibus, qui arti Logicæ Epicam velint dedere; quia Epica ψευδεῖ λόγῳ utitur. Nam ut ἐριστικὴ, ſive Sophiſtica λόγῳ φαινομένῳ, Rhetorica πιθανῷ, Analytica ἀποδεικτικῷ; ita Epica ψευδεῖ. At λόγος ille ψευδὴς Logicæ eſt dictionis. Deinde Epica exemplis virtutem ſuadet, exempla verò à Logicâ arte ducuntur. Poſtremò, παραλογισμοὺς adhibet etiam auctore Philoſopho, quippe quæ decipiat. At pace iſtorum dixerim, παραλογισμῷ laborant

laborant ipſi. Enimverò Phyſica, & Moralis, atque adeò omnis ſcientia in Logicæ erit poteſtate atque diœceſi, hæc illorum ſi quid valet ratiocinatio; cùm in confirmandis ſuis pronunciatis diſciplinæ omni uſus ſit λόγῳ ἀποδεικτικῷ; in technis, & aculeis Sophiſtarum expediendis, λόγῳ φαινομένῳ. Rem planè ineptam. Illæ ſiquidem primariæ diſciplinæ ſequioribus iſtis pro famulis utuntur. Nam quod ab exemplis pugnant homines, id frigidum eſt. Quæ enim pars Philoſophiæ exemplo caret, neque tamen eò Logica dici debet. At ſuaves ſunt, qui παραλογισμὸν nobis objiciant, quia Heroëm ex omnibus aliquem unum omni virtute cumulatum, qualis fortè nunquam fuit, aut extiturus eſt, Epopœia adducit in exemplum. Mirum ni Cyropædiam Xenophontis, & Oratorem Tullij intra Logicæ fines concludant, quorum ille Imperatorem, hic Oratorem, non qualis extiterit, ſed qualis mente comprehendi potuerit præſtantiſſimus, in ſpecimen & exemplar produxerint.

QVÆSTIO ALTERA.

De Furore Poëtico.

I. *Definitio furoris in genere.* II. *Textus Ariſtotelis emendatus. Paccius & Ricobonus defenduntur contra Robortellum.* III. *Quotuplex ſit ſpecies furoris.* IV. *Platonica diviſio furoris.* V. *Quid Ariſtoteles de furore.* VI. *Tot furoris ſpecies, quot animorum perturbationes vehementiores.* VII. *Poëta Epicus in conſtitutione fabulæ furere non poteſt; quis furor in illo admitti poſſit, & quomodo naſcatur.* VIII. *An arte, an naturâ Poëta exiſtat.*

I. MEritò dubitari poteſt, fueritne aliquid in ore hominum omnium celebratum magis, quàm furor poëticus: de quo ut nemo aliquantò eruditior tacuerit; nemo tamen ſatis ejus definitionem vel tradidit, vel ejus ſpecies, partésve, atque ποιότητας explicuit. Furor à me in hæc verba definitur. Animi cis, & trans rationem vehementior impetus. Græcis diceretur ὁρμὴ ἐκστατική. Contingit itaque furor, quando animus apud ſe non eſt, cùm ſcilicet aliquâ vel perturbatione intrinſecâ, vel impreſſione externâ

differtur, & de ſede rationis amovetur. Suadetur noſtra definitio ab Ariſtotele, qui de Poëticâ cap. XVII. quærit, quinam ſint apti maximè commovendis perturbationibus, atque id detulit ad eos qui ingenij ſint εὐφυεῖς ἢ μανικοῦ, ſolertis, vel furore perciti. Τούτων γὰρ οἱ μὲν εὔπλαστοι, οἱ δ' ἐκστατικοί. Ex his enim illi benè ſunt à naturâ ficti, atque comparati; hi verò de mente dimoti. Quid enim aliud eſt ἔκστασις, quàm incitatio quædam vehemens, quâ animus à ſe quodammodo diſtrahitur.

II. Hic caveri debet, Græco codici labem interveniſſe, quæ Robortello fuit offenſioni. In codicibus Benianis, Paccianis, Caſaubonianis, aliisque legitur: Τούτων γὰρ οἱ μὲν εὔπλαστοι, οἱ δ' ἐξεταστικοί. Quæ verba Ricobonus, Paccius, atque alij feliciter interpretantur: feliciter, inquam, nam cùm vitium eſſet in Græco, & ἐξεταστικοί, pro ἐκστατικοὶ legeretur, interpretati ſunt rectè de furore. At Robortellus interceſſit parùm commodè his verbis. *Paccius hæc quæ poſtremo loco ab Ariſtotele dicuntur, non videtur intellexiſſe, cùm ait. Etenim Poëtarum aliqui ab ipsâ naturâ ad Poëticam benè formati ſunt, aliqui autem à mente abſtrahuntur. Debent igitur verti ſic. Ex his enim hi quidem ficti, factique ſunt ab ipsâ naturâ apti ad fingendum & comminiſcendum; illi verò optimè indagant, inquiriuntque omnia propter incredibilem aciem mentis.* At bonâ veniâ Robortelli, minùs ipſe vidit Ariſtotelis mentem, ac Paccius. Nam Græca lectio eſt hujuſmodi: ἐκστατικοὶ, non ἐξεταστικοί. Enimverò vox illa cùm familiaris eſt Græcis eâ in poteſtate, tum & Ariſtoteli; veluti lib. VII. Moral. ἐκστατικὸν τῷ λογισμῷ dixit eum, qui à mente deturbatus eſſet. Deinde res ipſa indicat id, quod monemus. Nam cùm Philoſophus docuiſſet ciendis motibus animorum illos idoneos eſſe, qui indolis eſſent εὐφυεῖς, aut μανικῆς, adjecit ea verba, de quibus eſt controverſia. Ex quibus illud conficitur, ut, cùm τὸ μανικὸν non congruat cum ἐξεταστικῷ viro indagatore, ac perveſtigatore; ſed ἐκστατικῷ, hoc eſt eo, qui à ſe excuſſus fuerit, nec ſui ſatis ſit compos: legendum planè ſit hìc ἐκστατικοὶ, non ἐξεταστικοί. At quid cauſæ fuit, cur aliqui τῷ εὐπλάστῳ agendi vim tribuerint, cui patiendi poteſtas tantùm debeatur? Hæc enim verba, οἱ μὲν εὔπλαστοι, ſic vertunt, *Alteri ad fingendum ſunt idonei*, cùm ſenſus ſubſit: alteri à naturâ ficti ſunt ad id muneris, quod initio propoſuerat.

III. Furo

III. Furoris ſpecies duas conſtituo. Alter enim furor eſt à naturâ, alter à Deo. Quæ diviſio eſt & à Platone in Phædro, & ab Ariſtotele in Problematis, & à communi hominum omnium intelligentiâ. De furore Divino quæſtio & longioris eſt operæ, & propriæ diſſertationis, quam elucubramus: quamobrem de uno furore naturali dicere nunc aggredimur.

IV. Platonici pro more ἀλληγορίας, & myſteriis hanc quoque partem Philoſophiæ contaminant, & magnificè nihil dicunt. Sex ſtatuunt rerum veluti gradus. Primus, ísque nobiliſſimus eſt, ἓν τι, res una quæpiam, neque mutationis, neque diviſionis patiens. Sextus, atque omnium infimus, Materia, quæ perpetuo cieatur motu, & infinitis ſecetur locis. Ex intermediis primus eſt Mens, quæ ab unitate illâ ſimplici abeſt aliquantùm, motûs tamen expers, & æterna. Tum ſecundùm Mentem eſt Ratio, quæ neque una eſt, neque æterna, neque infinita, & eadem mutationi obnoxia. Rationem infra eſt opinio ea, quæ non modò non ſit una, ſed etiam infinita ſit, & mobilis. Tum quinto loco eſt Natura, quæ corporis partes, & puncta tranat omnia, & in illis movetur, atque dividitur. Cùm enim in Materiâ ſeſſitet, cum illâ fluctuat, ſubſidit, erumpit, & mergitur. Nunc verò quæ res eſt myſterij pleniſſima, anima per iſtos gradus à materiâ ad illud Vnum aſcendit, & ab illo Vno ad materiam devolvitur. Sapit enimverò, inquiunt, anima, quando eſt conjuncta cum illo Vno, deſipit quando eſt cum Materiâ, in illis quatuor gradibus interjectis cùm verſatur, furit. Et quoniam illi gradus ſunt quatuor; efficitur, ut ſint quatuor quoque furoris ſpecies: Poëticus, Myſticus, Vaticinium, furor Divinus. Demum gradus illos fabellis, conſecrationibus, & ſi verum licet dicere, nugis diſtinguunt, augent, illuſtrant, quibus enarrandis jam otium non eſt. Nunc ſatis ſit à Platone ipſo imaginem quandam & adumbrationem ejus rei inchoaſſe. Τῆς θείας μανίας τετραχῶν θεῶν τέτταρα μέρη διελόμενοι, μαντικὴν μὲν ἐπινοίᾳ Απόλλωνος θέντες, Διονύσου δὲ τελεστικὴν, Μουσῶν δὲ ποιητικὴν, τετάρτην δὲ Αφροδίτης, ϛ ἔρωτος. *Divini furoris quatuor ſpecies conſtituimus, totidémque Diis conſecramus, Vaticinium Apollini, Baccho Myſticum, Muſis Poëticum, Veneri & amori quartum, ſcilicet amatorium.* Miſſis Platonicis, ad Peripateticos nos conferamus.

V. Ariſtoteles Problem. ſect. xxx. ubi loci de atrâ bile inceptat diſputare, in eadem verba loquitur, ac in lib. de Poëtica. Ait enim: Οσοις ὑ λίθω, πολλὴ ⓒ θερμὴ, μανικοὶ, ⓒ δύφυεῖς, ⓒ ἐρωτικοὶ. Id eſt. *Quibus eſt multa* (bilis) *atra, & calida, ij perciti ſunt, & ingenioſi, & amori dediti.* Quibus autem (inquit) calor ille temperatus eſt, Οὗτοι μελαγχολικοὶ μὲν εἰσι φρονιμώτεροι ὑ. *Illi quidem ſunt melancholici, ſed prudentiores,* & ad omnia Reipubl. munia obeunda διαφέροντες, *præſtantiſſimi.* Pro variâ itaque bilis atræ temperie animam variè affici & impelli ſenſuit Philoſophus. Quibus caput inceſſit vis melancholiæ acrior, ij inquit, νοσήμασιν ἀλίσκονται, ἢ μανικοῖς, ἢ ἐνθουσιαστικοῖς, altero ex iſtis morbis tentantur, furore naturali, qui mania dicitur, aut enthouſiaſmo. Ab eâdem bile fœminæ exiſtunt Sibyllæ, Bacchæ, & viri Enthei, ὅθεν Σίβυλλαι, ⓒ Βάκχιδες, ⓒ οἱ ἔνθεοι. Qui certè ſunt tales non à morbo, ſed à temperamento naturali, ὅταν μὴ νοσήμασι γίνονται, ἀλλὰ φυσικῇ κράσει. Tum monet de Maraco Poëta Syracuſano, cujus Poëſis præſtantior eſſet, cùm is fureret. Demum melancholicos ſive Magiſtratibus gerendis, ſive rei militari, ſive diſciplinis, & ſcientiæ omnium aptiſſimos pronunciat. Quod priori parte hujus Diſſertationis monuimus. In controverſiam vocari poteſt, conſuerítne Philoſophus furorem eſſe alium ab iſto naturali, quique à Deo affletur animis. Eam quæſtionem non inanem, ſed otij majoris, opellæ noſtræ de furore divino addiximus.

VI. Quando furor eſt impetus animæ, cis, ultràve rationem, certè cùm anima præter conſuetudinem vehementiùs impellitur, tum eam furore percelli neceſſe eſt. Et quoniam undecim ſunt ejus perturbationes, totidem exiſtant furoris ſpecies oportet. Amore impotentiùs vexatur Anacreon? furit, qui canat.

Θελῶ, θελῶ μανῆναι,
Θελῶ, θελῶ φιλῆσαι:
Volo, volo furere;
Volo, volo amare.

Et Theocritus. Ως εἶδον, ὡς ἐμάνην.

Iræ ſe permiſit aliquis? ab eâ idem perditè & miſerè impellitur. Nam *ira furor brevis eſt.* Furorem in iratâ Medæâ ejus nutrix eleganter exprimit actu tertio apud Senecam.

Incerta qualis entheos curſus tulit,

Cùm

Cùm jam recepto Mænas insanit Deo,
Pindi nivali vertice aut Nisæ jugis:
Talis recursat huc & huc motu effero,
FVRORIS *ore signa lymphati gerens.*
Flammata facies spiritum ex alto citat.
Proclamat, ô superi! oculos fletu rigat,
Renidet, omnis specimen affectus capit,
Hæret, minatur, æstuat, queritur, gemit.
Quò pondus istud verget? ubi ponet minas?
Vbi se iste fluctus franget, exundat FVROR.
Non facilè secum versat, aut medium scelus,
Se vincet; iræ novimus veteres notas.
Magnum aliquid instat, efferum, immane, impium.
Vultum FVRORIS *cerno.*

De aliis mentis perturbationibus, quarum impressione, & impetu vincitur ratio, idem esto judicium. De furore verò Poëtico sic ego statui oportere judico.

VII. Furere Poëtam tum cùm Epopœiæ διατάξιν, sive constitutionem suis omnibus partibus instruit, certè non putem: est enim ejusmodi informatio, Rationis opus accuratissimum. Nam cùm omnes penitus Heroïcæ virtutis laudes, hoc est, potissimam Politicæ, & moratæ Philosophiæ partem comprehendat; ut nostræ Dissertationis pars ultima docebit, qui illas aptè sine ratione coagmentabit? At in Episodiis quibusdam, in descriptionibus, & orationibus aliquantum furoris aspergi non negaverim. Neque tamen is furor aut à Deo est, aut etiam à victâ ratione, sed eatenus duntaxat. Poëtæ in rei cujuspiam meditationem contentione vehementi, bilis atra calorem concipit, evolat sursùm, & cerebrum invadit. Animus itaque accessione bilis inflammatur magis atque magis, & omnes vires obstinatus in cogitationem illam unam intendit, adeò ut rerum omnium aliarum, suæque ipsius salutis oblitus esse videatur. Furoris illius specimen in Eumolpo edidit Arbiter.

Fœdâ in tempestate, nave lacerâ, remis convulsis, fracto malo, clavo cum gubernatore in marę excusso, miserabili pereuntium in gemitu, & mulierum comploratu: *Ecce* (inquit) *audimus murmur insolitum, & sub dietâ magistri, quasi cupientis exire belluæ gemitum. Persequuti igitur sonum, invenimus Eumolpum sedentem, membranæque ingenti versus ingerentem. Mirati ergo quòd illi vacaret in vicinià mortis Poëma facere,*

extraximus

extraximus clamantem, jubemíssque bonam habere mentem. At ille excanduit, & ſinite me (inquit) ſententiam explere, laborat carmen in fine. Injicio ego phrenetico manum, jubeoque Gytona accedere, &c.

VIII. Neque tamen ſi quis atrâ polleat bile, de quâ cùm hic, tum primâ parte hujus Diſſertationis à nobis diſputatum eſt; continuò is in Poëtis cenſendus eſt, niſi acceſſerit cognitio diſciplinarum propemodum omnium, ſtudium acre, & obſirmata quædam in componendo, expoliendóve carmine pervicacia. Quamobrem aſſertior Horatio, qui pronunciat.

Naturâ fieret laudabile carmen, an arte,
Quæſitum eſt. Ego nec ſtudium ſine divite venâ;
Nec rude quid proſit video ingenium. Alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amicè.
Qui ſtudet optatam curſu contingere metam;
Multa tulit, fecitque puer, ſudavit, & alſit.
Abſtinuit venere, & vino. Qui Pythia cantat
Tibicen, didicit priùs, extimuitque magiſtrum.

Parum itaque ſine arte natura,& ſine naturâ ars valet. Hæc ſine illâ triſtis eſt & exſucca; illa ſine hac, vaſta, & inculta. Neque quiſquam in Poëtâ à nobis utramque deſiderari mirabitur, qui à Vitruvio lib. 1. audiverit in architecto nihil minus requiri. Itaque (inquit) ingenioſum eſſe oportet, & ad perceptionem diſciplinarum docilem. Neque enim ingenium ſine diſciplinâ, aut diſciplina ſine ingenio perfectum artificem poteſt efficere.

Quamobrem in nugis eſt ille Muſarum chorus,& Apollinis afflatus. Neque Philoſopho digna eſt ſententia, quæ Muſis id acceptum ferat, quod eſt artis, & naturæ. Poëta ſine reprehenſione dixerit:

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo,
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Plato verò, & Ariſtides de ejuſdem familiâ homo, citra dignitatem Philoſophiæ pronunciarunt eadem verba: ille quidem in Phædro, hic in Platonicâ primâ. Ὃς δ' ἂν μανίας μούσων ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται, πεισθεὶς ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανὸς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε, καὶ ἡ τούτου ποίησις ὑπὸ τῆς μαινομένων, ἡ τοῦ σωφρονοῦντος ἠφανίσθη. Id eſt, *Qui abſque Muſarum furore ad fores poëticas acceſſerit, perſuaſus de ſolâ arte futurum Poëtam: & ipſe imperfectus erit, & ejus Poëſis illa ſana, furentis comparatione nulla erit.*

DISSERTATIONIS PARS QVARTA.

DE FINE POESEOS.

I. *Poëſeos finis non eſt voluptas.* II. *Animi voluptas, quæ ex imitatione oritur, ad Poëſin pertinet.* III. *Finis Poëſeos non eſt gloriæ rumuſculus. Malæ artes, & ineptiæ quorundam Poëtarum, qui uni gloriæ ridiculi ſtudent.* IV. *Finis Epopœiæ eſt, viros Principes inſtituere, qui Rempublicam rectè conſtituant, & adminiſtrent.*

EXiis, quæ tertiâ parte hujus Diſſertationis diſputata ſunt, ſatis poterat intelligi; ei methodo (quam artem quidam dicunt, quæque eſt de Epico Poëmate) finem poſitum eſſe, ut Poëma illud omnibus ſuis partibus inſtruat. Neque eò nunc ſpectat hæc quæſtio; ſed in eo tantùm diſputat, ecquis tandem ſit Epopœiæ finis conſtitutus.

Poëſi generatim atque universè probrum objiciunt multi, & tanquam voluptati natam criminantur. Epicurum quis non rideat? Homo delitiis perditus, & voluptate diffluens poëſim nequitiæ ream dicit, & amoribus deditam queritur. Οὐ δ' Ἐπιχάρμᾳ φρονῆς ἡμῖν, ὅστις ἀσέμνᾳ περὶ τοὺς ἰδίους κήπους ἡδονῆς γεωργός ἐστιν, ἅπασαν ὁμοῦ ποιητικὴν, ὥσπερ ὀλέθριον μόθων δέλεαρ ἀφοσιούμενος Meritò inquiebat Heraclides Ponticus. Num etiam ridendus eſt Plato, qui fabellarum varietate, & verborum luxuriâ Philoſophiam matronam graviſſimam comat ſtudioſus; & idem Poëſi virgini mundum objiciat, atque nequitiæ damnet? Pellicit (inquit) animos delectatione, irretit blanditiis, atque meretriculam agit. Quid ais, Plato? Tu, qui vagam, & incertam venerem facis, quid aliud agis, quàm cives in ganeis, non in civitatibus habitare jubes?

Non

Non tamen is ego ſum, qui voluptate poëticâ mores corrumpi ſinam: cùm Poëtas malè moratos à re literariâ exulare velim. Ovidium laudo, qui ſanctè monet:

Eloquar invitus, teneros ne tange Poëtas,
Submoveo dotes impius ipſe meas.
Callimachum fugito, non eſt inimicus amori;
Et cum Callimacho, tu quoque Coë, noces.
Me certè Sappho meliorem fecit amicæ,
Nec rigidos mores Teïa Muſa dedit.
Carmina quis potuit tutò legiſſe Tibulli?
Vel tua, cujus opus Cynthia ſola fuit?
Quis potuit lecto durus diſcedere Gallo?
Et mea neſcio quid carmina tale ſonant.

Voluptatem in aliâ poëſi dominari qui non ſinimus, quantò minùs in Epicâ feremus. Scitum eſt in Philoſophiâ, & effatum ſanctiſſimum, virtutes animi omnes, ſive quibus informantur mores, ſive quibus veritas tenetur, ab objectis dignitatem ſuam, atque ſpeciem ducere. A quibus ſi quid deflectat & aberret, id quoque vitioſum ſit, & ab eâ diſciplinâ alienum. Atqui Poëmati Epico finis eſt Principis viri inſtitutio, ut à nobis mox demonſtrabitur. Quid erit igitur tam à Poëmate Epico abhorrens, quàm ea poëſis, quæ voluptati ſerviat; cùm ab illâ non morum alatur ſanctitudo, ſed, ſi quæ priùs fuerit, corrumpatur.

II. Quid itaque? triſtem poëſim, exſuccam quodammodo, atque duram laudabimus, aut etiam vultuoſam, & difficilem? Minimè omnium. Nam & Ariſtoteles IV. cap. Poëtas omnes, & Poëtis deditos χαίρειν jubet. At illud gaudium non ab illecebris voluptatis, ſed ab imitatione rerum accuratâ derivatur. Videmus enim, inquit, χαίρειν τοῖς μιμήμασι πάντας, imitatione homines omnes gaudere. Cui ſententiæ ſuæ fidem facit ab experientiâ. Earum enim rerum imitatione, & imagine perfectâ gaudemus; quæ per ſe, ſuâ vi, & naturâ fœdæ ſunt, & triſtitiam afferunt: quales ſunt θηρίων μορφαὶ τῶν ἀδιωτάτων & νεκρῶν, ferarum truculentæ formæ, atque cadaverum. Cùm itaque poëſis omnis in imitatione poſita ſit; gaudio, atque lætitiâ abundet, neceſſe eſt. Ad hæc pulchritudinem cap. XXIV. dignitatem cap. IX. & admirationem cap. XXIV. Poëmati maximè Epico accerſit: pulchritudinem quidem, quæ ex partium inter ſe compara

comparatione; dignitatem, quæ ex rerum magnitudine; admirationem, quæ ex ingeniosibus, & peripetijs oritur. Hæc sane tria gaudio, atque lætitiæ spiritui mentem perfundunt; animum verò, aut corpus labefactant minimè. Quanquam & alia eft quædam voluptas à verbis, nominibus, adjunctis, numeris, & Grammatica illa mundities, quâ plebs maximè capitur, & gaudet: quam ego non reprobo quidem, sed in ultimis colloco. Quod monuit pars fecunda hujus Differtationis.

Lucretio fuffragor hic, ac habens, qui pulchrè fanè lib. IV. ei de re ve cenfuit.

Nam voluisti puerir abjectus tetra medentes
Cum dare conarur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flavoque liquore;
Et puerorum ætas improvida ludificetur,
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Abfynthi latices, deceptaque non capiatur,
Sed potius tali tactibu recreata vivifcet.
Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerumque videtur
Tristior effe, quibus non eft tractata, retroque
Volgus abhorret ab hac, volui tibi luculiquoniti
Carmine Pierio rationem exponere noftram,
Et quafi muftea dulci contingere mulle:
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Verfibus in noftris poffem, dum perspice omnem
Naturam rerum, ac profpexis utilitatem.

Delicias itaque iſta qui carmen Epicum temperaverit, is noſtrâ hac in facultate Princeps erit: quippe

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo.
Hic meret ara labor Sofcis: hic ille magiſtri;
Et longum nota ſcriptori prorogat avum.

Vt Poetarum nequiſſimis ſunt, qui voluptati ſtudent uni; ita omnium ſunt ineptiſſimi, qui ibi, ſitaque gloria omnia mancipant: de quorum ſtultitia cùm nihil ſatis pro merito dici poſſit, de illis dicere ſuperſedebo.

IV. De fine Poeſeos univerſe diſputare, neque hujus loci eſt, ubi tantùm de Epopœiâ inſtituimus quæſtionem; neque noſtræ diligentiæ, cùm nullus ſit locus, in quo Sophiſtarum oratio luxuriet uberius. Quibus tantùm eſt ojj ab re ſua, ut ex priſcis, & nuperis auctoribus flores omnes

legere licitum ſit, atque ex iis ſuæ poëſi coronam texere: ut ſuum illud pulchrum nihil invideo; ita hoc ego ab iis viciſſim peto, ne incuriâ neglectum à nobis locum iſtum putent; ſed ſtudio Philoſophiæ prætermiſſum. Memini dicere me quæſtione alterâ primæ partis, Poëſi κατὰ τὸ γένος finem poſitum eſſe ab Ariſtotele, uti animum vitiis purgaret; quamobrem & Epico carmini congruat neceſſe eſt. Quæ enim generis laudes ſunt, deſcendunt illæ pari poteſtate ad ſpecies. Erit itaque noſtræ Epopœiæ, & omni Poëſi id commune, ut labem omnem ab animo detergat; ſed quoniam unicuique ſpeciei ſuus eſt χαρακτὴρ, ſua vis, & poteſtas propria, in eam nos converti neceſſe eſt.

Tragœdiæ eſt, animum à teneritudine animi nimiâ, quæ ex metûs & miſericordiæ motu oritur, cum voluptate quâdam liberare, ex Philoſopho cap. VI. de Poëticâ. Nam cùm in Tragœdiâ maximè dominentur τὰ πάθήματα, atque in his primæ ſint miſericordia, & metus; auditor cum voluptate docetur utriuſque impetum ferre æquiùs. Ab aſſuetis enim non fit τὸ πάθημα; aſſueſcit verò frequentatione Tragœdiæ. Epopœiæ verò partes erunt, non tantùm duas illas perturbationes profligare, ſed etiam omnes animi impetus reprimere; tum multò magis ad genus omne virtutis Principes viros, atque Reges exemplo Heroïs acuere. Nam ſi Epica noſtra cum Politicâ congruit, quod tertiâ parte vicimus, quid erit in ejus officio magis, quàm Principem virum, atque Magiſtratum omni virtute inſtituere, qui Rempublicam legibus temperet optimis, & ab hoſtibus integram tueatur?

A nobis facit Horatius vir in omni genere doctrinæ præſtans, Philoſophiæ ſciens, Poëſeos peritiſſimus, & Auguſto à conſiliis. Is jam grandior, & rerum uſu callidus Epicum carmen Philoſophiâ, & Philoſophis Homerum φιλοσοφώτερον pronunciavit. Teſtimonium in hæc verba dixit.

Trojani belli ſcriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romæ, Præneſte relegi;
Qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non
Plenius, ac melius Chryſippo, & Crantore dicit.
Cur ita crediderim, niſi quid te detinet, audi.
Fabula, quâ Paridis propter narratur amorem,
Græcia Barbariæ lento colliſa duello,
Stultorum Regum, & populorum continet æſtus.

Antenor

Antenor cenſet belli præcidere cauſam.
Quid Paris? ut ſalvus regnet, vivatque beatus,
Cogi poſſe negat. Neſtor componere lites
Inter Peliden feſtinat, & inter Atriden.
Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi.
Seditione, dolis, ſcelere, atque libidine, & irâ
Iliacos intra muros peccatur, & extra.
Rurſus quid virtus, & quid ſapientia poſſit,
Vtile propoſuit nobis exemplar Vlyſſem;
Qui domitor Trojæ, multorum providus urbes,
Et mores hominum inſpexit, latumque per æquor
Dum ſibi, dum ſociis reditum parat; aſpera multa
Pertulit, adverſis rerum immerſabilis undis
Sirenum voces, & Circes pocula noſti;
Quæ ſi cum ſociis ſtultus, cupidusque bibiſſet;
Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus. &c.

Auctoritati accedit ratio. Nam Poëmati Epico hic finis conſtitutus eſt, ut Principem virum virtutibus, quæ ipſum deceant, omnibus exornet. Virtutes autem primariæ, ac veluti Regiæ, vel paci, vel bello accommodatæ ſunt, aut etiam utrique. In pace hæc ſunt; Vrbes, & civitates fundare; Religionem conſtituere; pietatem fovere; dies faſtos, ac nefaſtos dicere; alere cives præmiis, & magnificentiâ ad virtutem; à vitiis deterrere pœnis; matrimonia legibus ſancire, amoribus moderari. Nunc verò, quam partem Virgilius luculenter, & magnificè non tractavit? Libros primum, tertium, quartum, quintum, ſextum, & partem ſeptimi qui legerit attentè, næ is dubio locum nullum relictum eſſe fatebitur, quin de re politicâ præſcripſerit diligentiſſimè. In bello hæc dominantur; delectus militum, prælia, duella, inſidiæ, civitatum obſidiones, & quæ his affinia ſunt bellicæ virtutis officia. Extitítne aliquando vel Hiſtoricus, qui diſertè magis in his verſatus ſit? aut etiam extiturúsne eſt aliquis, qui diligentiùs, & magnificentiùs ea deſcribi, atque narrari poſſe putet, quàm ab eodem Marone libris altero, ſeptimo, octavo, nono, decimo, undecimo, & duodecimo celebrata ſunt? Atque has virtutis Heroïcæ partes uno Poëmate comprehendit Virgilius, & uni Heroï attribuit. Homerus verò eaſdem duplici cùm

Poëmate, tum Heroë distinxit. Sapienter à Tasso factum puto, qui Virgilium imitari maluit. Habent enim Æneis, & Hierosolyma admirabile illud, quod in Epico carmine veluti caput esse voluit Aristoteles cap. XXIV. Nam esse unum aliquem hominem, qui virtutes illas omnes πολιτικας, & militares complexus sit, admirabilius est, & Heroïcum magis, quàm si quis excellat quidem alterâ, alterâ verò deficiat.

AD DISPVTATIONEM DE EPICA APPENDIX.

DEFINITIO METAPHYSICA Epopœiæ.

I. *Etymologia Epopœiæ.* II. *Epopœia dicitur pictura.* III. *Epopœia quì mendacium dicatur.* IV. *Epopœiæ definitio Stoica.* V. *Epopœiæ accurata definitio.*

QVANQVAM ea explicatio Epici carminis, quæ per quatuor cauſas à nobis explicata eſt, ſatis eſſe poterat viro Philoſopho; cùm ea ſit perfecta uniuſcujuſque rei cognitio, quæ ex quatuor cauſis aſſurgit; ne quid tamen jure deſiderari queat, & ut omnium mentes expleamus, hìc appendicis loco Metaphyſicam definitionem Epopœiæ attexemus.

I. Epopœiæ, ſive Epici carminis ἔτυμον, & nominis notatio eſt à dictione Græcâ (τὸ ἔπος) quæ verbum, & vocem hominis ſignificat; à quâ ſuâ primâ poteſtate amplâ ſanè atque laxâ ad ſtrictam magis reſtringitur, & illi parti poëſeos addicitur, quæ verſu ἑξαμέτρῳ Heroüm facta celebrat. Auctore Euſtathio id audeo, qui ſic præfatur in Iliadem. Επος (inquit) ἰδιάζει ἐπὶ τῶν ῥαψῳδουμένων κατά τι ἑξάμετρον. Tum Epici Poëtæ: οἱ ἐν τῷ ἑξαμέτρῳ ἡρωϊζοντες. Tullio non placuit iſta vox, Epopœius; Epicum Poëtam maluit appellare, lib. de opt. gen. orat. *Ennius* (inquit) *ſummus Poëta Epicus.* Deinde, *Tragici, Comici, Epici, Melici etiam, atque Dithyrambici.*

II. Pleriſque

II. Plerisque omnibus mirificè arrisit illud Simonidis dictum, quod à Plutarcho lib. de aud. Poët. accepimus: *Ζωγραφίαν μὲν εἶναι φθεγγομένην τὴν ποίησιν, ποίησιν δὲ σιωπῶσαν τὴν ζωγραφίαν. Poësin picturâ loquaci, & picturam poësi tacitâ definiri.* Neque nobis sanè itidem displicet tralatio illa, quandiu tralatio est; quæ tamen si pro definitione accuratâ producitur, inepta est cùm ad alias poëseos partes, & species explicandas, tum multò magis ad definiendam Epopœiæ naturam.

III. Nonnullis Poësis omnis videtur mendacium illustre, aut cantatæ quædam malis artibus delitiæ, atque præstigiæ. Nam & Pelusiota, ut monuimus, mendacium poësi in materiam dedit, & Aristoteles partes Poëtæ primarias esse dixit, ψεύδεσθαι κατὰ τὸ εἰκός; mentiri ut par est: & Plato docet Poëtam maximè laborare περὶ τὰ θεῖα ὄντα, ἀλλὰ τῶν ὄντων εἴδωλα. Pace eorum hominum dictum sit. Aristotelis, & Platonis, atque aliorum Philosophorum mentem non satis inspexêre, qui τὸ ψεύδεσθαι Aristotelicum, & τὸ εἴδωλον Platonicum pro ignavâ illâ imbecillitate animi, quâ quis menti vitium offert, & præter illam loquitur, fuêre interpretati; cùm Philosophi ad fabulam respexerint, quâ viri Principes officij sui admonentur.

IV. Stoïcis, ut quidem retulit Laërtius, poësis est: Σημαντικὸν ποίημα, μίμησιν περιέχον θεῶν, καὶ ἀνθρωπείων. Straboni verò libro primo est, Μιμητικὴ τοῦ βίου διὰ λόγου. Quæ omnia ut vera sint, non tamen sunt ejusmodi, quæ rei naturam satis explicent.

V. Ex Aristotelis præceptis carmen Epicum in hæc verba definiri debet. Est imitatio actionis unius, integræ, perfectæ, totius, quæ narratione dramaticâ, & versu hexametro viros Principes cum admiratione, & delectatione ad primarias virtutes excitet, atque adhortetur. Definitionis Metaphysicæ partes duæ sunt; ex quibus illa effertur, & existit; genus, & differentia. In definitione Epopœiæ pro genere est imitatio; quæ adjuncta sunt ei reliqua, differentiæ officio funguntur. Nam imitatio pluribus disciplinis sui copiam facit. Philosophus sub initium de Poëticâ loquitur in hæc verba. Ἐποποιία δ', καὶ ἡ τῆς τραγῳδίας ποίησις, ἔτι δὲ κωμῳδία, καὶ ἡ διθυραμβοποιητικὴ, καὶ τῆς αὐλητικῆς ἡ πλείστη, καὶ κιθαριστικῆς· πᾶσαι τυγχάνουσιν οὖσαι μίμησις τὸ σωόλον. Id est

Epopœia

Epopœia, quæque eſt Tragœdiæ poëſis. Comœdia præterea, & Dithyrambica, & pleræque ex iis quæ tibiâ & citharâ canunt; omnes planè in id conveniunt, ut ſint imitatio. Hæc de genere Epopœiæ ſatis ſunto.

Epopœiam ab aliis diſciplinis ſegregat reliqua pars definitionis allatæ: ab iis quidem, quæ ſolutâ oratione utuntur; quia ipſa verſu canit: à Dithyrambicâ & Lyricâ, ſive illa citharâ, ſive tibiâ utatur, tum quia Epopœia verſu loquitur hexametro, tum quia actionem unam, totam, illuſtrem, & πολυμερῆ, & certæ cujuſdam magnitudinis ornandam ſuſcipit: à Comœdiâ, & Tragœdiâ, quia ipſa eſt ἐξηγητικὴ, id eſt, *narrativa*, ut docet Ariſtoteles capite XXIII.

D. O. M.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVYS, PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE & de Navarre, à nos amez & feaux les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de nôtre Hoſtel, Baillifs, Seneſchaux, Prevoſts, leurs Lieutenans; & à tous nos Officiers Iuſticiers qu'il apartiendra, Salut: Nôtre cher & bien-amé le Reverend Pere PIERRE DE MAMBRVN, Theologien de la Compagnie de IESVS, Nous a remontré qu'il a compoſé le livre intitulé *Conſtantinus*, Poeme Heroïque, celuy *de Carmine Epico*, & les Eclogues qui ont cy-devant été imprimez & donnez au public par la permiſſion que Nous en avons cy-devât donnée: Mais que depuis ayant encore compoſé le livre *De Culturâ animi*, autres Eclogues & Oeuvres Poëtiques, il deſireroit avec nôtre meſme permiſſion les faire toutes reimprimer ſous le titre de *PETRI MAMBRVNI OPERA POETICA*, par tel Libraire ou Imprimeur qu'il voudra choiſir. Mais craignant que ſur les premiers exemplaires aucuns le vouluſſent imprimer ou contrefaire ſans ſon conſentement, & luy ôter par ce moyen la liberté, & faire perdre les frais qui ſeroient faits à ce ſujet; il Nous a requis treshumblement nos Lettres à ce neceſſaires. A CES CAVSES, deſirant bien & favorablement traitter ledit Expoſant, & afin qu'il ne ſoit fruſtré de ſon travail, Nous luy avons permis & octroyé, permettons & octroyons par ces preſentes de faire imprimer par tel Libraire ou Imprimeur que bon luy ſemblera, en un ſeul ou pluſieurs volumes, ſous ledit titre de *Petri Mambruni Opera Poëtica*, pour le vendre, debiter & diſtribuer durant ſept années, à commencer du jour que ledit livre ſera achevé d'imprimer, à la charge que ledit Suppliant, ou le Libraire qui aura ſon droit, l'imprimera correctement & ſur bon papier. Deffendant à tous Libraires, Imprimeurs, ou autres perſones, de vendre, debiter ou diſtribuer, imprimer ou faire imprimer par toutes les Terres & Seigneuries de nôtre obéiſſance ledit livre, ou partie d'iceluy, durant ledit temps, ſans le conſentement exprès dudit Expoſant, ou de ceux qui auront charge de luy, ſur peine de confiſcation des exemplaires, trois mil livres d'amande, dont la tierce partie à Nous, un tiers aux pauvres enfermez, & l'autre tiers à l'Expoſant; & de tous dépens, dommages & intéreſts envers luy & autres; à la charge d'en mettre trois exemplaires, ſçavoir deux en nôtre Bibliotéque gardée au Convent des Cordeliers de nôtre bonne ville de Paris, & le troiſiéme en celle de nôtre tres-cher & feal le Sieur Seguier, Chevalier, Chancelier de France, avant que de l'expoſer en vante, à peine de nullité des preſentes. SI VOVS MANDONS, que de tout le contenu en ces preſentes vous faſſiez & ſouffriez joüir & uzer pleinement & paiſiblement ledit Expoſant, ou ceux qui auront droit de luy, ſans ſouffrir qu'il luy ſoit fait ou donné aucun trouble ou empeſchement à ce contraire. Mandons au premier nôtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'execution deſdites préſentes tous actes, ſaiſies & exploicts à ce requis & neceſſaires, ſans demander autre congé ny permiſſion, nonobſtant clameur de Haro, Chartre Normande, & Lettres à ce contraires. Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit livre autant des preſentes, ou extraict d'icelles, elles ſoient tenuës pour dûëment ſignifiées. Car tel eſt nôtre plaiſir. DONNE' à Paris le vingt-ſixieme jour d'Avril l'an de grace mil ſix cens ſoixante, & de nôtre Regne le dix-ſept.

PAR LE ROY, en ſon Conſeil.

Signé, LABBE'.

Et ſcellé du grand Sceau de cire jaune ſur ſimple queuë.

Ledit R. Pere de Mambrun a cedé & tranſporté le ſuſdit Privilege à Gervais Laboë, Imprimeur à la Fleche.

Acheué d'imprimer pour la premiére fois le douziéme Avril mil ſix cens ſoixante & un.

Digitized by Google

Digitized by Google

gitized by Google